








1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE



HISTORIA PHILOSOPHIÆ

VITAS, OPINIONES, RESQUE GESTAS, ET DICTA PHILOSOPHORUM SECTÆ CUJUSVIS COMPLEXA

AUTORE

THOMA STANLEIO

Ex Anglicô sermone in Latinum translata, emendata, variis dissertationibus atque observationibus passim aucta,

ET

TRIBUS TOMIS

DIGESTA.

ACCESSIT VITA AUTORIS.

TOMUS PRIMUS.



VENETIIS, MDCCXXXI.
Apud Sebastianum Coleti.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

DOCTISSIMO ERUDITISSIMOQUE VIRO

JACOBO MARCHI

Medicæ Facultatis Profeſſori prudentiſſimo, feliciſſimo.

HIſtoriam hanc Philoſophicam, quæ veterum Græcorum præcipue vitas, & opiniones ex antiquorum plerumque Auctorum verbis concinnata complectitur, egregium Thomæ Stanleii eruditiſſimi Angli fœtum, e vernacula Auctoris lingua in Latinam ſumma cura translatam, & minime ſpernendis additionibus, atque adnotatiunculis locupletatam, e prælis meis poſt Lipſienſem editionem nunc primo prodeuntem tibi ſiſto, Vir præclariſſime; non eo quidem conſilio, ut tuis auſpiciis commendatum opus velociori curſu in virorum antiquæ philoſophię penetralia ingredi cupientium manus advolet: ſive ut pondus aliquod approbatione tua ei accedat. Illud eſt enim præſtantiſſimi Auctoris in orbe litterario nomen atque exiſtimatio; ea ampliſſimi argumenti dignitas atque varietas; ea denique libri exquiſita cura elaborati, numeriſque omnibus abſoluti excellen-

LECTORI BENEVOLO
SALUTEM.

Magna præfatio magnum malum. Tribus igitur verbis, Amice Lector, monendus es, quid in Latina hac editione Historiæ Philosophiæ & Philosophorum, a Th. Stanlejo quondam adornatæ, præstitum fuerit. Primo *igitur cum tota hac historia plerumque nihil sit aliud quam cento, ex ipsis veterum autorum verbis contextus, & loci communes ad historiam Philosophicam, optimo ordine dispositi; loca autorum omnia, in Anglicis Stanleii parum diligenter citata, evolvenda fuerunt; ubi extent, curatius, quantum fieri potuit, indicandum, & ubi fortassis Stanlejus a mente eorum discessisset, ostendendum, quod passim in notulis, hinc inde adspersis, fecimus. In quibus & alia tum ad sensum eorum, tum ad historiam Philosophorum pertinentia passim tetigimus. Cumque* porro *in more positum fuerit Stanlejo passim, eruditorum dissertationes integras inserere, ad argumentum hocce spectantes, nos quoque unam alteramve, ut factum in Socratis & Heracliti historia, intexere huic operi non dubitavimus, inprimis vero de veteribus eclecticis, de quibus altum apud Stanlejum silentium, ad calcem nonnulla adiicere. Imo & ipsi textui Stanlejano supplementa passim inseruimus haut contemnenda, quæ ut a Stanlejanis discerni possent, duobus uncinulis ( ) includenda duximus. Contra omittere quædam, a Stanlejo in gratiam popularium suorum Anglice conversa, est visum, qualia Nubes Aristophaneæ & quæ ex Sexti Empirici Hypotyposibus repræsentavit, cum ea prolixiora molem hujus libri augere haut debere visa fuerint, quæ ex ipsis autoribus non nimis raris, ex quibus ad verbum eadem serie descripta sunt, rectius petantur. Historiam Philosophiæ Orientalis, prout ab eruditissimo Viro IO. CLERICO jam olim in Latinum sermonem translata ornatior, notisque ejus, & eruditis observationibus referto indice locupletior, processerat, retinuimus. Tu, Bone Lector, vale, atque qualemcunque hanc opellam boni consule.*

AUTO-

AUTORIS DEDICATIO ANGLICÆ EDITIONI PRÆMISSA

AD
AVUNCULUM SUUM
JOANNEM MARSHAMUM.

HUnc librum tibi offero, primùs qui autor ejus consilii mihi extitisti. Exemplum eruditissimus Gassendus præbuit, quem tamen ita sequendum esse haut duxi, ut idem, quod ille, partium studium præ me ferrem. Ille enim unius Philosophi res explicandas cum suscepisset, laxatis frænis ex argumento illo cepit occasionem, excellentissima ingenii sui inventa liberaliter cum orbe erudito communicandi. Mihi, majoris ambitus opus cum propositum fuerit, eadem opportunitas unum aliquem ornandi data non fuit: qui singulos debita meritis ipsorum commendatione ornatos ut dimitterem, mearum partium esse existimavi. Hoc ego emolumenti ex argumenti varietate me cepisse spero. At longe majora sunt, quæ tu hortatione tua ad hoc opus contulisti, quæ si, minora ut sint, optare mihi liceret, nunc certe optarem: ut affectus atque studii in te magis esse constare posset, id quod jam ago; cum sola sibi, ut nunc sunt res nostræ, gratitudo id vindicet.

Nepos tuus tui amantissimus

tibique addictissimus

THOMAS STANLEY.

PRÆFATIO AUTORIS.

Historia, præterita docens, ut futuris prospicere valeamus, & ex alienis periculis cautos nos faciens, pictura non est absimilis. Idem utrinque finis est; & quemadmodum artis imperitiam prodit, qui totam imaginem oculo minus curioso lustraverit, artifice id quod excellentissimum est in ea cum animi quadam contentione spectante; ita ille, qui rerum gestarum explicatione vaga & generali contentus mentem in aliquo, cujus præcipuæ in fabula sint partes, non defigit actore, præcipui ex historiis capiendi emolumenti jacturam facit. Quod enim singularem aliquem hominem spectat, cum propius nos attingat, animum quoque nostrum vehementius impellere solet.

Hinc duo historiæ genera observamus, quorum alterum res populi alicujus prosequitur, alterum virorum rebus gerendis illustrium præclara facta exponit. Utriusque exemplum Homerus dedit, prioris in Iliade, qua belli infestarum gentium descriptionem complexus est: posterioris in Odyssea, qua solius Ulyssis res gestas explicavit.

*Cum vero hominum vita omnis vel rebus gerendis occupetur, belli pacisque negotiis intenta; vel contemplatione contineatur, à publicis vacans muneribus, & sapientiæ studiis, rerumque divinarum, humanarumque meditationi consecrata; in duas abire species illam, quæ virorum clarorum res tractat, historiam abire necesse est. Vel enim res gestas describet eorum, qui toti in republica administranda fuerint occupati, eo modo, quo in dramatis alicujus lineamentis personas delineatas videas, quarum forma atque ingenia sigillatim unam aliquam fabulam componunt, cujus generis maximam partem Plutarchi vitas, Cæsaresque Suetonii esse animadvertas. Vel vitas nobis sistet eorum, qui aliquo doctrinæ & scientiæ genere excelluerunt, quemadmodum de Poetis Antiphon, de Astrologis Eudemus, de oratoribus Cicero & Plutarchus, de Grammaticis Suetonius sunt commentati. De Philosophis vero longe plures scripserunt, de quibus tamen sigillatim agere nihil est opus, cum ætatem majorem partem scripta eorum non tulerint, quamobrem præcipuorum ex iis nomina tantum recensuisse erimus contenti. Sunt illi Aetius, Anaxilides, Antigenus, Antisthenes, Aristocles, Aristoxenus, Callimachus, Clitomachus, Diocles, Diogenes Laertius, Eunapius, Heraclides, Hermippus, Hesychius, Hippobotus, Jason, Idomeneus, Nicander, Nicias, Panætius, Phanias, * Plutarchus, Sotion, Theodorus.*

Plerorumque ex his, quod maxime dolendum, ne vestigia quidem supersunt. Unicus in eo genere autor, qui antiquiorum Philosophorum historiæ inservit, Diogenes Laertius restat: sequioris ætatis sapientes Euna- pius

* Vel id enim vel simile nomen hic legi debebat, nam nihil est *Porrius*, quod habetur in Anglicis Stanleii.

pius delineavit. Imo quod auget litterarum calamitatem, adeo exigua sunt, qua Laertius prastitit, si subsidiorum, que ipsi ad manum erant, consideres copiam, ut de iisdem hominibus longe plura apud alios autores sparsa invenias: qua quanta potui diligentia in hoc volumine digerere sum conatus.

Neque parum autem hac nostra atate est opportunum, veterum Philosophorum scrutari doctrinas, qua tanta quotidie opinionum pullulat seges, quarum pleraque ex antiquitatis ruinis, quibus sepulta jacebant, tantum eruuntur, quas adeo primis restitui par erat autoribus. Sunt alia, qua recentiorum ingeniis debeantur, incrementa tamen capere possint, si ex eo ad quod processimus fastigio, despicientes ad ipsum fundum usque oculis penetremus, ex quo primum philosophia caput extulit: atque ita, quantos progressus fecerit, expendamus, ab initiis licet orta, sensus fere & rationem nostram fugientibus.

Licet vero Gracorum nonnulli genti sua natales philosophia vindicaverint, doctiores tamen ex Oriente ejus derivare origines non dubitarunt. Ut enim omittam obscuras Atheniensium de Musao, de Lino Thebanorum, & Thracuni de Orpheo fabulas, sane a Thalete origines Graca Philosophia repetendas esse in dubium vocari nequit, qui in Orientem suscepto itinere, rerum naturalium scientiam, Geometriam, Astrologiam inde in Graciam secum attulit. Qua causa fuit, cur Sapiens *inter Gracos audiret, qui eodem tempore aliis quoque sex viris honor fuit habitus, quod morum & reipublica gerenda prudentia excellere crederentur. Ita enim omnis generis doctrinam antiquissimis temporibus σοφίαν* (sapientiam) *appellari moris fuit, σοφὸς vero* (sapientes) *ejusdem professores, qui animo ad majorem in disciplinis excellentiam assurrexissent. Qui Philosophia nomine, quod* studium sapientiæ *significat, primus uteretur, Pythagoras fuit, Philosophus ipse, solum Deum, mortalium neminem, Sapientem esse existimans.*

Quantum ad eos vero qui Sapientum *nomine honorati fuerunt*, Laert. L. 1, §. 40. *omnium eorum, maxime septem istorum, qui celebrantur, laudi mirum in modum detrahit Damon Cyrenaus. Anaximenes omnes Poeticis studiis dicit addictos fuisse. Dicaarchus neque Sapientum neque Philosophorum censu eos haberi patitur, viros bonos fuisse dicens, & bonos legumlatores. Scripsitque de eorum cum Cypselo, Periandri filio, congressu, qui ipse ei interfuisse dicitur Archetimus Syracusius. Omnes eos apud Crœsum fuisse, Thalete excepto, Ephorus affirmat. Sunt qui in Panionio etiam, & Corinthi, & Delphis una cum Periandro convenisse dicant.*

Sunt quadam ipsorum sententia, de quibus non omnes consentiunt, ad diversos eas autores referentes. Sic de hujus autore variant,

Hac sapiens Chilon Lacedamone dixerat olim:
Nil nimium; justo tempore facta placent.

Neque de numero eorum minor est controversia. Ille Leandrius pro

Cleobu-

Non Leophantum Gorsiadem, ut interpretes vertunt.

*Cleobulo & Mysone Leophantum filium Gorsiadæ Lebedium vel Ephesium in illum censum refert, & Epimenidem Cretensem. Plato in Protagora Mysonem pro Periandro ponit. Ephorus, Mysone omisso, Anacharsin substituit. Sunt qui Pythagoram addunt. Dicæarchus eorum quatuor allegat ab omnibus agnitos, Thaletem, Biantem, Pittacum, Solonem: tum alios nominat sex, e quibus tres sint eligendi, Aristodemum, Pamphilum, Chilonem Lacedæmonium, Cleobulum, Anacharsin, Periandrum. Acusilaum quidam addunt Caba vel Scabra, Argivum. Hermippus in tractatu de VII. sapientibus ait, septendecim omnes fuisse, & ex iis septem diversimode nominari: sunt illi Solon, Thales, Pittacus, Bias, Chilon, Cleobulus, Periander, Anacharsis, Acusilaus, Epimenides, Leophantus, Pherecydes, Aristodemus, Pythagoras, Lasus Hermioneus, Charmantida, vel ut Aristoxenus vult, Sisymbrini filius, Anaxagoras *. Hippobotus in suo de Philosophis commentario in hunc censum refert Linum, Orpheum, Solonem, Periandrum, Anacharsin, Cleobulum, Mysonem, Thaletem, Biantem, Pittacum, Epicharmum, Pythagoram.*

Ita Suidas: Ἀκȣσίλαος Κάβα, ὡς Ἀργεῖος ex quo patet, aliter Laertium explicandum esse, quam explicavere Interpretes ejus.

Laertius hoc eos ordine recensuit: Thales, Solon, Chilon, Pittacus, Bias, Cleobulus, Periander: eisque addit Anacharsin, Mysonem, Epimenidem & Pherecydem. Hi, inquit, Sapientes fuere appellati, quibus Pisistratus Tyrannus a quibusdam iungitur. Inter Romanos quoque tres fuere cognomine Sapientum inclyti, M. Cato, C. Lælius, & L. Acilius.

* Deest unus; nam XVII. recensendi erant, quem *Mysona* putat Casaub. ad Laert. l. c.

Vita & Scripta

THOMÆ STANLEII

Equitis.

Non expectabit heic Lector longam consiliorum ac eventuum variorum narrationem. Ut aulici enim atque militis vita in aula & castris consumitur, ita viro erudito intra musei sui solitudinem suum elabitur tempus. Stanleii igitur nostri summum & præcipuum decus ut litteræ ei conciliarunt, ita vita ipsius historiam omnes res in litteraria republica præclare gestæ absolvent.

Fuit autem THOMAS STANLEJUS patre natus THOMA, lucem primum adspexit in Comitatu Hartfordiensi, locum Cumberlovv-Green Angli appellant. Anno ætatis XIV. Cantabrigiam abiit, ubi Balcancholii, qui frater erat Decani Dunelmensis, commissus tutelæ in in aula Pembrociana fuit. Vir ille egregius, qui nuptiis sibi iunxerat Stevvardiam, Stanleii nostri aviam, singularem pupilli hujus curam gessit, nec quidquam prætermisit eorum, quæ fovendo atque augendo ejus

in ho-

in bonas litteras amori, qui summus in eo apparebat, inservire quacunque ratione valerent.

In Academia adhuc agente eo ingenium ejus sese exerere cœpit, læto eorum, quæ posthac ab ipso expectanda essent, omine. Hic enim poemata illa composuit ex versibus inæqualibus composita, aliaque carmina, quæ una cum quibusdam ex Gallis, Italis & Hispanis Poetis in nostrum sermonem conversis, uno volumine, postquam ab exteris in patriam rediisset, prodierunt. * *Quemadmodum vero inventionis fertilitatem in prioribus carminibus suis affatim orbi erudito probavit, ita in posterioribus, quæ palmam prioribus haut dubie præripiunt, diligentiam & eruditionem summam luculentissime demonstravit.* Madrigal.

* Europa, Cupido crucifixus, Pervigilium Veneris cum notis Lond. 1649. Anacreon, Bion, Moschus, Secundi basia, Ausonii Cupido crucifixus, Pervigilium Veneris, cum aliis Poematibus 1651. 8.

Domum postquam ex itinere in Galliam, Italiam, & Hispaniam rediisset, atque eruditionem suam ultra patriæ insulæ limites circumtulisset, matrimonio sibi junxit Dorotheam, Jacobi Engani, hæreditarii in Flower in comitatu Northantoniensi, filiam, utroque parentum adhuc superstite, ipse annos nondum egressus, quibus juxta Angliæ leges suo jure vivere posset. Neque tamen ea vitæ mutata ratio animum ejus immutavit, vel ex affectu, quo in litterarum studia ferebatur, quidquam detraxit. Neque enim vel rei familiaris cura, vel uxoris ætate florentis blanditiæ, ut studia, quæ pertinaciter prosequebatur, intermitteret, impetrare ab eo poterant. Equidem de ipso affirmare non ausim, quod doctissimus Galliarum Cancellarius de seipso testatus est, geniali die sex non amplius horas studiis suis permissas esse conquestus: affatim tamen assiduam ejus, quam studiis impendit operam, opera ejus loquuntur amplissima, limitesque vitæ angusti, quibus ad finem ea perduxit. Budæus de asse præf.

Primum quo rempublicam litterariam beavit opus Historia vitarum & opinveterum Philojonumsophorum Græcorum fuit: opus eruditissimi Gassendi imitatione primum susceptum, qui Copernici, Tychonis Brahei, Peurbachii, Regiomontani, & aliorum recentiorum Astronomorum atque Philosophorum. Neque primus Stanlejus fuit, qui istam provinciam in se suscepit. Nempe vitarum antiquiorum Philosophorum volumen Imperatoris Marci Antonini ætate compilavit Diogenes Laertius, & post eum vitas Sophistarum Eunapius. Sique ab iis discedamus, quæ hodienum supersunt in eo genere scriptis, Antisthenes, aliique complures, quorum scripta perierunt, de eodem argumento sunt commentati. Scripsit nostra ætate Gerardus Vossius quoque brevem de Philosophia & sectis Philosophorum commentationem, ut alios nunc prætermittam. Omnes tamen Stanlejus, qui eum præcessere, sive amplitudinem propositi operis, sive multitudinem observationum singularium, quas collegit, consideres, superavit.

Quanta orbis eruditi approbatione opus istud satis amplum exceptum fuerit, editionum identidem iteratarum multitudo affatim testatur. Certe ip-

te ip-

te ipsius argumenti excellentia & varietas, & veterum lectio tam copiosa, quam autor omni parte explicavit, admiratoribus carere non potuit. Praeterea maxima pars mortalium ex ejus generis commentationibus delectationem capere solet, neque multos reperias, qui non cupiant vitas & res gestas eorum cognoscere, quorum virtutes mirantur. Haec causa est, quae tantam scriptorum multitudinem excitavit, qui Principum vitas, virorumque, & belli, & pacis artibus clarorum, aliorumque, quorum aliqua fama, vel in imperiorum mutationibus pars esset, describerent. Aliis vicissim historia Theologorum, Jureconsultorum, Poetarum, Medicorum homines oblectantibus, quorum labores benigne excepti, utilesque pariter ac jucundi existimati fuerunt.

Est nempe duplex homines instituendi ratio, quarum altera praeceptis, exemplis altera nititur. Prior jejuna est, minusque foecunda, nec nisi languide vim exerit. Altera vivida magis est, & vi majore in hominum agit animos, excitans mentem, atque inclinans ad imitanda ea, honesta quae sunt, & excellentia, & a vilibus atque improbis rebus avertens. Philosophos igitur quidem, virorumque a publicorum negotiorum turba semotorum honestum otium & meditationes Stanlejus nobis delineavit: summaque industria vitas eorum, opiniones de bono & malo, meditationes de universa rerum natura, de principiis rerum cogitata, vitae humanae, morumque, & reipublicae gerendae explicatas rationes ipsorumque mores & ingenia digessit, oculisque nostris subjecit.

Heic ergo vestigia quasi liceat intueri, quibus artes & scientiae, omnesque sapientiae humanae partes incesserunt, variosque inde ab infantia eorum incrementorum gradus, donec ad illud, in quo nunc posita sunt, fastigium perveherentur.

Mentionem antea feci autorum, qui ante Stanlejum in illo campo sese exercuere, impari sane successu. Nempe scopi eos superat amplitudine, & succinctius narrat, nec a meta vario excursionum genere divagatur, ex vastissima fragmentorum amplitudine opus concinnans suum, aliis praeteritorum, & quae ipsi collecti ex longa lectione scriptorum thesauri suppeditare valerent.

Partibus opus absolvitur undeviginti, quarum prima de septem Graeciae sapientibus agitur, quorum tanta apud veteres fama extitit: Reliquae copiose duodecim sectas Philosophorum diversas sistunt, vitas celeberrimorum sapientiae professorum, & doctrinas, quibus inclaruerunt. Ultima pars de Chaldaica agit philosophia, quod ut abstrusum est argumentum, & valde difficile, ita minore eruditionis apparatu, quam Stanlejus nostro erat ad manus, absolvi non potuit.

Primus, qui rerum naturalium studiis sese impendit, Thales Milesius fuit, magnificum sapientis nomen, praeclaris inventis Geometricis & Astronomicis, nec non de universa rerum natura meditatione promeritus. Ille aquam principium corporum naturalium esse statuebat, ex quo primum existerent, & in quod ultimo redirent. Terram vastissimam

stissimam molem esse docebat, in abysso h. e. vastissimo oceano fluctuantem, atque inde terræ motus & fontium origines explicabat. Deum omnis in natura motus ajebat esse autorem, eumque hoc universum animare. Narrat Stanlejus, magnetem eum ac succinum anima non destitui existimasse, idque ex virtute, qua corpora quædam trahunt probasse. Eum inventorem metiendæ Pyramidum ex umbra earum altitudinis ajunt, veraque siderum deficientium caussa, quæ in monstris ante eum, & futurarum calamitatum portentis habebantur. Relatum autori nostro, defectionem eum prædixisse solis, quæ quinquennale inter Medos, Lydosque bellum finivit: cum territi ea indocti illi homines, atque solem faciem a strage imminente avertere existimantes, positis armis controversias componerent. Idem honoris nomen juxta cum Thalete Solon, Chilon, Pittacus, Bias, Cleobulus, Periander indepti fuere: Qui legum excellentissimarum & rerum publicarum constituendarum autores fuere, quemadmodum Thales, qui in Orientis partibus peregrinatus rerum Mathematicarum & naturalium sibi scientiam comparaverat, primus earum lucem in Græciam intulit. Ut adeo illustre sapientis nomen reliquis illis propter excellentissima morum & civitatis regendæ præcepta fuerit datum, quod Thales excellentissima Geometriæ & rerum naturalium scientia fuerat promeritus. Quemadmodum sapientis nomen omnes illos ornavit, qui plus quam vulgus in quocunque genere rerum sapere viderentur, donec Pythagoras philosophiæ nomine nomen sapientiæ permutaret, tanquam rem, quæ erat religio ejus, nemini jure nisi infinite & summe sapienti tribui posse arbitratus.

Nemo hic expectabit, ut vitas eorum penitius explicemus, atque ita præveniamus lectorem, doctrinas eorum, epistolas, sermones ab autore in isto opere collectos reperturum.

Duo fuere sectarum omnium, in quas philosophia divisa est, capita quasi & fontes, nam vel ab Anaximandro, Thaletis discipulo, derivantur, atque ea Jonica dicitur philosophia, vel a Pythagora, principe illo philosophorum, cujus schola a loco, ubi doruit, Italica est dicta. Anaximander a magistri sui doctrina discessit, principiumque rerum non aquam cum illo, sed infinitum esse statuit, quam tamen sententiam suam explicatam non dedit. Primus ille obliquum Zodiacum esse observavit, & Geographicas tabulas & solaria confecit. Quamvis, Salmasium secutus, Stanlejus noster Gnomonem ejus puncta tropica & æquinoctialia tantum indicasse existimat, horarum vero divisionem temporibus longo post intervallo secutis adscribat. In secta illa post eum Anaximenes celebratur, & Anaxagoras, & reliqui.

Socrates Atheniensis novam scholam constituit. Ei virtutum inprimis studium, morumque doctrina, & leges, quibus vita & actiones humanæ continerentur, curæ fuere. Parentem ille statuarium habuit, ultra natalium tamen sortem eum ingenii excellentia provexit. Neque cathedrariis tantum lectionibus ille vacavit. Ubicunque esset sermonibus, & prodesse

noverat,

noverat, & delectare. Scholam ipsi campus, forum, compita, amicorum domus, ipse denique carcer, molestissima licet illa mansio esset, præbebat, in qua virtutis atque eruditionis præcepta traderet. Nemo erat, qui sapientiam ejus, sententiarum sublimium & adamantinarum, orationis facilitate & suavitate conspicua non esset admirator, illaque principatum inter philosophos ipsi vindicabant. Vera de Deo doctrina tenax fortissime Deorum pluralitatem impugnabat, unde inimicis ejus calumniæ nata fuit occasio, quasi ἄθεος esset, Diisque infensus, quæ causa etiam ipsis mortis supplicio eum afficiendi extitit. Id vero hausta cicuta tanta animi subiit magnitudine, tanta mentis serenitate, ut affatim omnibus pateret, & summa imperii rationis in affectus ejus vis, & maxima malitia hostium ejus impotentia, quæ ne mortis quidem terroribus mentis ipsius tranquillitatem turbare valeret, aut efficere posset, ut vel moriens alius a Socrate videretur. Magnis, nec sine animorum quadam contentione agitatis sive inter paganos, sive inter Christianos controversiis materiam Dæmon ejus præbuit, qui rebus ejus præerat, & eorum, quæ paulo post ipsi essent eventura, existeret index: Quod argumentum peculiari capite in vita ejus Stanlejus noster tractavit. Neque tamen omni illa virtutis suæ & sapientiæ excellentia Aristophanis malignam evitare potuit scurrilitatem, qui acerbissime eum in dramate, quod Nubes inscripsit, perstringere sustinuit, quod Anglice interpretatus Stanlejus appendicis loco (in Anglica hujus operis editione) vitæ ejus subjecit.

Jonica sectæ philosophia, quæ ante Socratem intra unius scholæ subsisterat limites, ab eo inde tempore in varias scholas, sectasque divisa fuit, quarum nonnullæ exiguæ & famæ & durationis fuere. Major aliarum fuit celebritas, quæ & ætatem tulere. In priore genere Cyrenaica, Megarica, Eleatica, & Eretria commemoranda: in altera Academica, & Cynica, quibus Peripatetica & Stoica origines debent.

Cyrenaicæ sectæ princeps Aristippus fuit, Socratis auditor. Ille in voluptate summum bonum positum, neque virtutem, nisi quousque eo conducat, commendabilem esse existimabat. Distinctionem inter justum & injustum, æquum & iniquum humani arbitrii esse, neque naturæ dictamine, sed lege & consuetudine niti censebat. Principiis, quæ tenebat, morum vita respondebat soluta, quam omni genere voluptatum perdebat. Ingenii suavitas Dionysio, Siciliæ tyranno, eum commendabat, quem maxime offendebat Platonis severitas, quam morositatem appellabat Princeps superbus. Non continere me possum, quo minus hic mentionem faciam ex innumeris, quæ feruntur, hujus Philosophi ingeniose & cum acumine dictis, magna diligentia ab autore nostro collectis, pauca nonnulla. Interrogatus a Dionysio, qua re motus ad se accessisset, respondit commercii causa id factum esse, ut ea nempe, quibus ipse abundaret, Dionysio offerret, atque ab eo vicissim, quibus careret, acciperet. *Cujus dicti ea sententia fuit: paratum se esse, ut ingenii opes cum Dionysio commu-*

communicaret, conditione ea, ut ipse vicissim opibus Dionysii frueretur: Temperantia, sobrietatis ac continentiæ legibus nequicquam se teneri putabat. Famosi aliquando scorti domum ingressus præsentium quendam erubescere observavit. Cui ille: Intrasse non nocet, sed exitum invenire non posse. *Offerente ipsi Dionysio feminas emendatissima forma tres, utque, quam vellet, sibi haberet, præciperet, omnes abduxit Paridis sibi vitandum esse fatum causatus, cui male cesserit, quod stolido judicio duabus unam prætulerit. Affectus nonnisi duos agnoscebat, voluptatem & dolorem, a quibus omnes actiones humanas derivabat: eos vero ex temperamento cujusvis variam induere faciem ajebat. Animi serenitatem, tranquillitatemque, & ab affectibus immunitatem, in quibus rebus summam alii felicitatem collocant, ridebat, hæc enim* motus & actionis defectus, *&* tædiosa indolentia *ipsi esse videbantur. Sed & vitæ simplicitatem veteris amici sui Antisthenis contemnebat, abundantiam contra, & luxum aulà Siculæ mirabatur. Sunt alii ejus generis joci ejus a Stanlejo suo loco relati, me enim jam vereor limites, quibus contineri volebam, esse transgressum, dum specialioribus istis inhærere sustinui.*

Post Cyrenaicam de Megarica quoque, Eleatica, & reliquis sectis egit Stanlejus, Socraticarum tamen sectarum celeberrima Academica fuit, quæ nomen a loco Schola accepit. Princeps ejus Plato extitit, de cujus natalibus fabulas haut paucas, easque portento haut carentes collegit Stanlejus. Pervulgata apud Athenienses obtinuerat fama, Apollinem ad matris ejus sese demisisse amplexus, patrique ejus sese obtulisse, utque a consuetudine uxoris, donec peperisset, abstineat præcepisse. Callidum inventum! quo vice plus simplici credulis maritis in illis paganismi tenebris feminæ imposuere. Ut opibus vero affluebat Plato, ita postquam Socratem aliquamdiu audivisset, in exteras abiit regiones, ut maximos illius temporis audiret Philosophos. In Italia Pythagoræ vacavit doctrinæ, multaque ex Mosaicis scriptis hausisse videtur, in quæ peregrinantem ipsum incidisse est verosimile. Dialogorum inventor quibusdam creditur. Eam tamen scribendi formam illum excoluisse tantum, & perpolivisse putat Stanlejus qui Analyticam, quam vocant, ratiocinandi viam, divinum inventum! eum inivisse primum arbitratur, qua supposita rei, de qua quæritur, veritate, quæ eam consequantur, disquiritur.

Egregium usus ejus methodi exemplum a Cartesio habemus in meditationibus & methodo, ubi præcipuas doctrinas philosophicas accurate & firmiter demonstravit. Exempla etiam ejus methodi occurrunt in libris Euclidis, Apollonii, Pappi, aliorumque veterum Geometrarum, ut Stanlejo est observatum. Plato quidem Mathematicas artes in omni genere scientiarum usui esse posse existimabat, omnesque auditores suos rerum Geometricarum scientia antea imbutos ad scholam suam accedere volebat.

Philosophia ejus prima Christianismi ætate in autoritate fuit, cujus

rei

rei eam causam esse putat Stanlejus; quod Deum filium habere unigenitum, qui autoritate polleat in omnes creaturas, agnoverit. Paucis ut absolvam, magna est in haut paucis doctrinæ ejus cum nostra religione convenientia.

Animam Plato immaterialem & immortalem esse statuebat, eandemque liberam esse, neque aliunde determinari, fato tamen obnoxiam, atque necessitati.

Ingenium ipsi magnum atque sublime fuit, eloquentia, & facultatis imaginatricis fœcunditas, quæ in admiratione rapiat legentium animos. Philosophiæ ejus plenius explicandæ causa, veteris Academiæ doctrinæ epitomen ex Cicerone, & post eam compendium ejus magis perfectum Stanlejus exhibuit. Multa eam in rem collecta apud Plutarchum, Laertium, Apulejum invenias, verum eis omissis noster Alcinoi elegit introductionem, tanquam integram magis, quam integram appendicis loco Philosophi hujus vitæ subjunxit. Imo & ad illustrandum magis hoc argumentum postremo loco Platonicum sermonem, stylo Poetico lingua Italica a Joanne Pico, Comite Mirandulano, adornatum adjecit.

Post fata Platonis in duas sectas discipuli ejus discesserunt, prima in vetere Academia sedes retinebat; altera Lycæum occupavit. Reliqui Peripatetici dicebantur, quorum princeps Aristoteles extitit, Stagirita. Ille neque natalium splendore, neque educationis felicitate Platonem æquavit. Eum tamen unguentariam exercuisse, vel medicamenta vendidisse Athenis negat Stanlejus. Qui hoc æque ac divinos honores Pythiæ, uxori Aristotelis, exhibitos, & conspirationem contra Alexandrum inter calumnias reiicit, uti nullo fundamento nixas, ita in memoriam summi viri maxime injurias. Plurimum ille adiumenti sive Logicæ arti, sive reliquis disciplinis attulit: Categorias invenit, syllogismos in formas redegit, modis ac figuris eos circumscripsit, cavillandi artes detexit, de Metaphysicis, Physicis, naturali animalium historia, & reliq. quampluribus voluminibus commentatus est.

Fortunam hujus Philosophi mirari subeat, certe enim singulare est plane, tam diversa esse potuisse ejusdem ætatis de eodem homine judicia. Sacris interdictum quibusdam est, fidei quasi essent proditores, qui ejus scripta explicarent. Vicissim ab aliis Scholis & Academiis ea commendata fuere, ita ut alia doctrina discentibus nulla proponeretur. Fuit ætas, qua regulam & normam veritatis scripta ejus præbere crederentur. Genium naturæ eum vocarunt, inventisque suis summum humanæ sapientiæ fastigium attigisse creditus est. Aliis vicissim philosophia ejus nugacissima visa est, inanis verborum strepitus, litibus forendis unice accommodata. Verum quicquid ea de re sentias, diligenter & accurate summam doctrinæ ipsius Stanlejus repræsentavit.

Ex Socratis schola Cynici quoque prodierunt, in quibus principatum Antisthenes tenuit, cujus nomini celebritatem Diogenes inprimis, discipulus ejus, conci-

conciliavit. Difficile est nominis Cynicorum explicare origines. Stanlejus partim a Cynosarge illud deducit, ubi scholam Antisthenes habuit, partim a moribus caninis. Primas in hac secta Diogenes tulit, qui tantam nominis sui famam doctrina plane singulari excitavit, ut eum videre Alexander M. cupiret. Ejus in dolio mirabilem œconomiam, homines pleno meridie lucerna accensa investigatos, aliaque singularia vitæ ejus, magno studio in hoc opere Stanlejus digessit.

A Cynica secta Stoica origines ducit, autorem Zenonem habuit, qui ubi Cratetem primum post alios Philosophos audivisset, novam hanc sectam postremo condidit. Magni ex hac schola viri prodierunt, plurimosque ea dogmatibus altum & sublime spirantibus delinivit. Eo enim tendit, ut homines contra corporis mala obfirmet, iisque contra fortunæ insultus arma induat. Unicum Deum Zeno agnoscebat, cujus diversas virtutes & operationes diversa nomina exprimerent. Summam hominis felicitatem in virtute collocabat, quæ unica homini ad vitam immortalem, solidamque, & duraturam voluptatem sit via. Mundi hujus machinam olim dissolvendam, flammisque consumendam esse putabat. Absolutum vero, quod homini in corpus pariter atque animum suum tribuebat, imperium, pestilentissimam doctrinam peperit, quod cuivis, ut libitum fuerit, animam liceat abiicere. Est nihilominus in hac philosophia aliquid magnificum, & sublime, quod possit præstringere oculos eorum, qui externum tantum virtutum paganarum spectant splendorem. Quanta enim gravitate Zeno sapientem suum ad mortem contemnendam, & æquo animo omnem fortunam in hac vita ferendam instruxit!

Dialecticam facultatem Stoici ad subtilitatem usque excoluere, neque minus in morum doctrina excelluerunt: Sed illa specialius persequi non est animus. Reliquias eorum doctrinæ ex Laertio, Cicerone, Stobæo, & reliquis Stanlejus collegit, ejusque philosophiæ summa capita satis dilucide ad finem vitæ Zenonis explicavit. Post Zenonem Cleanthes, Chrysippus, Panætius, & reliqui in ea schola excelluerunt, qui omnes pro meritis ab autore nostro laudantur.

Fuere autem Stoici ultimi omnium philosophorum; qui a Thalete descenderunt, atque in iis Jonicæ sectæ successio finitur.

Pythagoras, quem Samium credunt plerique, Italicæ sectæ caput fuit; diu ille in Ægypto versatus est, perdiscendorum ejus gentis mysteriorum causa. Narrat Stanlejus captum eum a Cambyse, atque, ab eo Babylonem missum esse, ubi magis familiariter usus est, atque Chaldæis, imo & Ezechieli, Prophetæ, innotuit. Vir erat forma egregius, venerabilis adspectu, & qui studia hominum sibi posset conciliare: ut Hyperboreus Apollo a sectatoribus creditus fuerit.

Discipulorum concursus ad neminem philosophorum tantus, quam ad Pythagoram est factus. Obedientiam ille exactissimam requirebat omnibus dictis suis præstandam, silentiumque bienne auditoribus suis imponebat.

Temperantiam in præcipuis virtutibus commendabat, ad corpus perfecte subigendum summe necessariam, Philosophia ejus mysteriis scatebat. Animarum statuebat praexistentiam, & per varia corpora migrationem. Hinc de seipso in scriptis suis referebat, Æthalidem se ante bellum Trojanum fuisse, Mercurii filium, postea Euphorbum; inde Hermotimum, tum Pyrrhum Delium, postremo Pythagoram. In iisdem scriptis suis narrat CCVII. ante annis ex inferis se venisse, aliaque ejus generis incredibilia. Vitæ ejus Stanlejus disciplinæ ejus & doctrinæ summam, ut & symbolicam docendi rationem subjecit, eruditissimi item Reuchlini explicationem doctrinæ Pythagoricæ addidit. Hujus sectæ accensendus Empedocles est, Archyta item & Philolaus, quibus verum universi hujus systema in acceptis ferendum, in quo centrum sol occupat, terra in planetarum chorum relata.

Sectæ ex Italica natæ quatuor fere sunt, Heraclitica, Eleatica, Sceptica vel Pyrrhonia, & Epicurea. Heraclitus ingenii felicitate eam possedit doctrinam quam multa demum indagine atque labore alii sibi comparare solent.

Animus ejus contemplationi addictus, & rerum humanarum contemtor, ut solitudinem præferret, effecit. Humanæ itaque valedicens societati in montis cujusdam vertice solus egit; stultitiam & vanitatem hominum ibi deplorando ut posset vacare.

Eleaticæ sectæ Princeps Democritus, diversissimi ab Heraclitео ingenii fuit, subridere semper videbatur, atque ridiculis affectibus hominum deridendis, quos in nullius momenti rebus assidue proderent, unice delectabatur: diligentiam inquam, & labores, in iis prosequendis, tædium item & tristitiam, ubi minus ex voto illa succederent. Abderitani, in quibus vitam degebat, frequentes ejus spectantes cachinnos, mente minus valere suspicabantur, eamque ob rem Hippocratem accersebant medicinam ab eo postulantes. Verum cum Diacosmum suum coram illis recitaret, insaniæ suspicio in admirationem est versa. Primus hic doctrinæ de atomis & vacuo fuit inventor, cujus elementa Stanlejus delineavit. Scepticorum choragus Pyrrho extitit, qui judicia mortalium sola verorum falsorumque apparentia niti affirmabat, suspensumque adeo semper teneri animum, neque ad decidendum determinari, volebat. Omnis hominum istorum industria in inveniendis argumentis & rationibus dubitandi etiam in rebus evidentissimis versabatur. Integram eorum philosophiam suo loco explicatam invenient harum rerum curiosi.

Postrema sectarum autorem habuit Epicurum, qui, juxta autorem nostrum, omnes alios scribendi diligentia superavit. Summum ille bonum in voluptate ex virtute collocavit. Valde autem philosophiæ ejus nocuit partim perversa doctrinarum interpretatio, partim abusus quorundam ex sectatoribus ejus, unde factum est, ut tanquam vitiorum omnium scaturiginem, omnisque in moribus corruptelæ fontem, eum haud pauci fastidirent. Stanlejus

autem

autem noster ducit tum minus firmam corporis qua usus est valetudinem, tum summam ejus sobrietatem, affatim argumentorum ad diluendas qua sparsa contra Epicurum fuere calumnias suppeditare. Sed neque ara, memoria ipsius post fata dicata, hominem eum fuisse credere patiuntur, ita, ut inimici eius volunt, voluptatibus addictum. Cetera notum omnibus, principia rerum atomos & vacuum eum statuisse, mundum vero, contra quam Aristoteli atque aliis quibusdam est visum, aternum credidisse: imo eum novitatis sua argumenta ipsum pra se ferre affirmavit, sic artium enim & scientiarum incrementa argumentum suppeditare omni exceptione maius exigua eius atatis ursit. Doctrinam eius de universo, providentia & rerum principiis elegantissima carmine Lucretius explicavit, vitamque ejus Petrus Gassendus, Philosophia Epicurea nostra atate instaurator, delineavit.

Sed ad ultimas tres partes vasti huius operis est progrediendum, quibus Chaldaica, Persica & Sabaa philosophia explicatur. Nempe ut Europaorum doctrina omnis a Gracis, ita horum philosophia a gentibus orientalibus derivatur, neque adeo luculenter de primis ejus originibus constat. Veterum sapientum scripta iam olim perierunt, Plato vero & Pythagoras, qui eorum sententias sua intexuerunt philosophia, ita illis sunt usi, ut difficile sit eorum doctrinarum a propriis horum philosophorum inventis discernere. Hac vero in re ista difficultas tantum abest ut absterrere Stanlejum potuerit, ut calcar potius ipsi addiderit: qui maxima proinde cura fragmenta hinc inde sparsa collegit, & iis qua bona sunt fidei a sublestis distinctis, orientalium doctrinam nobis quodammodo delineavit.

Ætate Alexandri M. observationes siderum per 470000 *annos penes se continuatas esse iactabant. Sed inanem eam fuisse gloriationem est statuendum, quandoquidem, affirmante Stanlejo, omnes, quas tum producere poterant observationes duorum millium annorum spatium non excedebant. Neque hodie antiquius astronomia eorum monimentum superest quam ara Nabonassarea, qua ab anno periodi Iuliana* 3967. *initium ducit.*

Primus artium & scientiarum apud Chaldaos autor vulgo Zoroastres habetur: quis vero ille fuerit, aut cuius atatis, obscurum est, Doctrinam ejus discipulis ipsius, Magi, propagavere; quam in Graciam invexit circa tempora Alexandri M. Berosus.

Non autem solebat Orientalium sapientia promiscuo auditorum cœtui in scholis explicari, sed certa eam sibi vindicabant familia, in quibus pater liberos instituebat, ut ea ratione ad posteros arcana illa scientia propagaretur. Sapientes eorum apud vulgus pro sacrosanctis habebantur, locis habitabant separatis, privilegiis & vacatione a publicis muneribus ornabantur. Varia eorum secta vel classes existebant, in quas pro studiorum ratione distinguebantur, quales Physicorum, Sacerdotum, Astrologo-

rum &c. Magnus eorum magister Zoroastres trifariam rerum universitatem divisit: In res scilicet aeternas principio destitutas & fine: immortales, quae non principio quidem, fine tamen carerent, & mortales, sive corruptioni obnoxias. Primum omnium rerum Deum summum atque aeternum dicebant, quem patrem vocabant & regem, ejusque essentiam lucem esse statuebant & veritatem.

Proximum post Deum locum Daemonibus suis attribuebant sive bonis sive malis, quos ignis regiones atque aeris, aquae item & terrae inhabitare credebant. Bonos quidem in luce praesentiae divinae versari, Deique ministros esse & nuntios statuebant. Malos, quos spiritus tenebrarum esse credebant, hinc inde vagari, humanoque generi infensos, perpetuo noxae & perniciei ejus intentos esse docebant. Hos terram & mare, remotissimosque eorum secessus, cavernas atque abyssos implere censebant. Malorum Daemonum alios aliis censebant esse deteriores. Qui in aere resident petulantiae & jocis dediti habebantur, hominibus oblectandis variis artibus suis inservientes, & lusus atque amores inspirantes. Illi contra, qui solitudines & loca obscura frequentant, vel in speluncis atque cavernis terrae habitant, maligni credebantur, & feroces, saevissimarum ferarum more omnes in quos inciderint dilaniantes. Eosque, si numinis nutu sedes suas deserere permittantur, humana ingredi corpora, inque iis insaniae, morbi sacri, motuum convulsivorum, aliorumque morborum horrorem incutientium existere causas.

Post res immateriales mundi corporei succedunt, hos septem numerabant, unum Empyreum, aethereos tres, tres desuper materiales, qui terrestrem globum juxta eos componebant ex aqua, aere atque terra compositum.

Verum de Theologia eorum & rerum naturalium studio satis. Succedit ea pars eruditionis Chaldaicae, quae prognosticorum & futura praesagiendi artes continet; in his praecipua sunt astrologia, auguria, somniorum interpretationes, oraculorum explicationes, aliaque ejus generis scientiae secretae.

Tertia sapientiae pars, qua viri illi celebrati fuere, Magia erat; tam naturalis quam Theurgica. Harum priorem maximo sibi esse credebant adjumento ad dominium in mundum istum corporeum exercendum: ad depellendas feras & venenata animantia, ad conservandos terrae proventus, ad tempestates, tonitrua, & quid non? averruncanda, Theurgicam vero magiam Daemonas sibi obnoxios reddere jactabant, ita ut bonos ad opem ferendam accersere, malos vero depellere valerent. Nolim eas res altius persequi, fontes ipsos consulere lectores mallem; ex quibus ut de cultu, religionibus, ritibus, artibus & scientiis harum gentium ad satietatem usque haurire valeamus, Stanleius noster copiam nobis fecit,

Histo-

Historia philosophica Stanleii ita delineata, ad reliqua ingenii ejus monimenta progrediamur, sive publicam lucem jam adspexerint, sive privatorum museis hucusque contineantur.

Finito nempe opere modo laudato, ante quam XXIIX. ætatis annum implevisset Stanlejus, Æschylo manum admovit, difficillimo & impeditissimo Poetarum Græcorum, cumque incredibili labore in illustrando eo & instaurando desudasset, A. 1663. accuratam & splendidam ejus editionem absolvit. Arduum opus & dignum Stanleii sive ingenio, sive facultate in Græcis litteris summa. Sane insuperabiles ejus laboris difficultates Henrico Stephano, Cl. Salmasio aliisque qui critico acumine valuerunt, sunt visæ, ut desperandum esse de opere eo perficiendo plane fuerint arbitrati. Quis Æschylum possit affirmare Græce nunc scienti magis patere explicabilem, quam Evangelia & Epistolas Apostolicas. Unus ejus Agamemnon superat obscuritate, quantum est librorum sacrorum cum suis Hebraismis & Syriasmis & tota Hellenistica suppellectile vel farragine, inquit Salmas. de Hellenist. Epist. Dedic. p. 37.

Primas sex ejus Poetæ tragœdias publici juris fecerat Aldus Manutius Venetiis A. 1518. Post eundem poetam Adrianus Turnebus edidit cum subjunctis ei editioni lectionibus variantibus Anno 1552. Eodem anno Venetiis quoque prodiit, recensente Francisco Robortello, qui conjecturas suas & Mich. Sophiani castigationes adjecit, atque huic editioni choephoræ primum accessere, una cum scholiis ex antiquis codicibus. Non multo post totam collectionem Tragœdiarum Æschyli, magis quam antea emendatarum, Petrus Victorius edidit, Henrico Stephano imprimente. Postremo omnium septem ejus Tragœdias Antuerpiæ ann. 1580. Gul. Canterus vulgavit, in qua editione ut infinitorum locorum taceam emendationem, metrum Æschyli explicatur. Promisit in suis ad Strabonem notis Æschyli editionem If. Casaubonus, sed vel non stetit promissis, vel omnis ille ejus labor maximo reipublicæ litterariæ detrimento periit. Post viros illos magnos Stanlejus opus aggressus est, quid vero præstiterit, ipsa ejus præfatio operi præmissa docebit. Textum Græcum ex Canteri editione repræsentavit, Scholia ex Victoriana depromsit, varias lectiones, epistolas, præfationes, conjecturas & observationes addidit. Priores item tragœdias cum vetustis codicibus duobus contulit, quorum alterum Bodlejana, alterum Arundelliana Bibliotheca suppeditavit, uterque beneficio & humanitate Seldeni ad eum pervenit. Ex horum codicum priore scholia ad tres priores Tragœdias supplevit, ex posteriore vero scholia antea inedita in lucem protraxit. Metri rationes a Cantero explicatas emendavit, fragmenta collegit, novam versionem latinam concinnavit, totumque opus eruditissimo commentario consummavit.

Præter hæc doctrinæ ejus monimenta publice prostantia, alia reliquit indefessi laboris specimina, qualia manuscripta asservantur partem

majorem in instructissima maxime reverendi Episcopi Norvicensis Bi-
No. 667. *bliotheca. In ea invenias prolixiores eius* ad Æschylum Commentarios,
No. 668. *octo voluminibus in forma majore (in folio vulgo dicimus) comprehen-*
sos. Adversaria *item, in quibus varia Sophoclis, Euripidis, Stepha-*
ni de urbibus, Juvenalis, Persii, Hesychii, Calimachi aliorumque scri-
No. 669. *ptorum veterum loca emendantur & explicantur.* Commentarii *item*
No. 670. *amplissimi ad Theophrasti characteres, & exercitatio Philologica de pri-*
mitiis sive decimis praeda, quas in epistola ad Hebraeos Melchisedecus
Abrahamo obtulisse dicitur. Quae omnia scripta excellentissima scatent
doctrina, magnoque proinde merito suo a praesentibus possessoribus eorum
in pretio habentur.

En brevem tibi de nostri autoris rebus commentationem, Viri ipsa facie decori, neque cuiquam sua aetate modestia, candore, & doctrina inferioris.

Ea vero apud suae aetatis homines fuit existimatione, quae meritis ejus responderet: aetatis annos scripta numero excedebant; Picum Mirandulanum in eo orbi redditum diceres, eadem enim quo ille aetate vivere desiit, Gentem nostram familia sua abstrictissimam relinquens; qua Anglia duos adeo illustres dedit cives Thomam Stanlejum nempe, & Joannem Marshamum.

CON-

CONSPECTUS CHRONOLOGICUS HISTORIÆ PHILOSOPHORUM GRÆCORUM*

* In isto conspectu Chronologico multa addi & mutari poterant, in primis Olympionicarum longe plenior in eo catalogus dari: qualem dedit in limine editionis Oxoniensis Pindari Rev. Episcopus Litchfieldiensis Gul. Lloydius: verum Stanleio sua videbantur esse relinquenda.

Olymp.	*Archontes*	*Victores Olympii*
XXXI		
2		
3		
4		
XXXII		
2		
3		
4		
XXXIII		
2		
3		
4		
XXXIV		
2		
3		
4		
XXXV	*Damasias* v. Vit. Thalet. cap. 2.	*Spharus*. Dionyſ.
2		
3		
4		
XXXVI	*Epaenetus* Antig.Caryſt.Hiſt. Mi- (ra. 133.	*Phrynon* Euſeb. idem forte qui cum Pittaco certavit Pit.c.1.Ant. Caryſt.tamen Victorem huius an- ni Strytamanta vocat.
2		
3		
4		
XXXVII		
2		
3		
4		
XXXVIII		
2		
3		
4		
XXXIX	*Draco* Clem.Al.Str.I.Tatian.Suid.	
2		
3		
4		
XL		
2		
3		
4		

	1. *Thales* natus vid. Thales. c. 2. 2. *Solon* circa hęc tempora natus.	1. *Ancus Martius* R.Roman. Dionys. Halic. L.3.
	(pit.Per.c.2. 4. *Periander* regnare Corinthi cę.	
	Arion vid. Periandr. c. 4. 1	

Olymp.	*Archontes*	*Victores Olympii*
XLI	*Heniochides* Dionyſ. Halic. L. 2.	*Cleonidas* Dionyſ.
2		
3		
4		
XLII		
2		
3		
4		
XLIII		
2		
3		
4	*Ariſtocles* fortaſſis Marm. Arund.	
XLIV		
2		
3		
4		
XLV	*Megacles* fortaſſis Plut. Solon.	
2		
3		
4		
XLVI		
2	*Philombrotus* Plut. in Solon.	
3	*Solon* Laert. in Solon.	
4	*Dropides* Philoſtr. in Critia.	
XLVII	*Eucrates* Laert. in Anacharſ.	
2	*Simon* Marm.	
3		
4		
XLVIII	*Philippus* Clem. Strom. I. Euſ. (Chron.	*Glaucias* Pauſan. *Glycon* Euſeb.
2		
3		
4		
XLIX		
2		
3	Damaſias ſecundus Marm. vid. Vit. Thalet. c. 2.	
4		
L		*Epitelides*
2		
3		
4	*Archeſtratides* Dionyſ. L. 4.	

		2 TarquiniusPriſcusR.Rom.Dionyſ.L.3. 3 Alyattes in Lydia regnare incipit.
	Anaximander naſcitur Laert.	
ÆRA PHILOSOPHICA	1 Epimenides Athenas luſtrat (Laert. 3 Solon factus Archon Laert.	
	1 Anacharſis ad Solonem venit Athenas. Laert.	
	4 Periander moritur Laert.	
1 2 3	Anno hujus Olymp. tertio, *Damaſia* Archonte, Thales & reliqui *Sapientū* nomen indepti ſunt, unde initium ducitur æræ Philoſophicæ Thales c.5	
3 4 5 6	Theſpis tragœdias exhibet a Solone caſtigatus, Sol. c. X. Anaximander zodiaci obliquitatem obſervat Plin.	4 Servius Tullius Rex. Rom.

Olymp.	Archontes	Victores Olympii
LI		
2		
3	*Aristomenes*, Laert.	
4		
LII		
2		
3		
4		
LIII	(cyd.	
2	*Hippoclides* Marcellin. Vit. Thu-	
3		
4		
LIV		
2		
3	*Comiés* Plut. Solon. Marm.	
4	*Hegestratus* Plut. Solon.	
LV		
2		
3		
4		
LVI	*Euthydemus* Marm.Laert. vid. vitam Chilon.	
2		
3		
4		
LVII		
2		
3		
4		
LVIII	*Erxiclides* Paüsan.Phot.vid.Tha-	*Diognetus*.
2	(let.	
3		
4		
LIX		
2		
3		
4		
LX		
2		
3		
4		

Æra Philos.		
7		
8		
9	*Pittacus* moritur.	
10		
11		
12		
13		
14		
15	*Pythagoras* nascitur.	
16		
17		
18		
19		
20		
21		
22		
23		*Cyrus* in Persia regnare incipit.
24		
25		
26		4 *Crœsus* Lydiæ Rex.
27	*Chilon* Ephorus Laert.	
28		
29		
30		
31		
32		
33		
34		
35		
36		
37	*Pythagoras* in *Ægyptum* abit.	
38		
39		1. *Cyrus* Crœsum vincit.
40		
41		
42		
43		
44		
45		
46		

Olymp.	Archontes	Victores Olympii
LXI	-- *nans* 1. Marm.	*Agatharchus*.
2	(tius	
3	*Thericles* Diod.exc.p.241.vel po-	
4	Heraclides Dionyſ. Halic. 4.	
LXII		*Erixidas*.
2		
3		
4		
LXIII		
2		
3		
4		
LXIV	*Miltiades* Halic. 7.	
2		
3		
4		
LXV		
2		
3		
4		
LXVI		
2		
3		
4		
LXVII		
2		
3		
4		
LXIIX	*Iſagoras*. Halic. 5.	*Iſchomachus*.
2		
3		
4		
LXIX	*Aceſtorides*. Halic. 5.	*Iſchomachus*.
2		
3		
4		
LXX	*Myrus* Halic. 5.	*Nicaſtas*.
2		
3		
4		

Æra Philos.		
47		
48		
49		(Hal. 4.
50		4 Tarquinius Superbus R. Roman.
51		
52		
53	(XVII. Arist. Pol. V.	
54	*Pisistratus* moritur regni anno	
55		
56		
57	*Cambyses* Ægypto subiugata *Py-*	3. *Amasis* R. Ægypti moritur, cui
58	*thagorā* captivū Babylona mittit.	Psammetichus filius succedit.
59		
60		
61		
62		4. Darius Hystaspes R. Persiæ.
63		
64		
65		
66		
67		
68		
69		
70	*Pythagoras* in Italiam abit.	
71		
72		
73		
74		
75		
76		
77		
78		
79		
80		
81		
82		
83	*Anaxagoras* nascitur.	
84		
85		
86	*Pythagoras* moritur Euseb.	

Olymp.	Archontes	Victores Olympii
LXXI	*Hipparchus* Halic. 6.	*Tiſicrates*.
2	*Pythocritus* Marm.	
3		
4		
LXXII	*Diognetus* Hal.6. (Hal.7.Pauſ.El.2.	*Tiſicrates*.
2	*Phanippus* 2.Plut.Ariſtid. *Hybrilides*.	
3	*Ariſtides* Plut.ib. Marm. (27.	
4	*Themiſtocles* Thucyd. I. Pauſ.lib.	
LXXIII	*Anchiſes* Hal. 8. *Lacratidas* Schol. Ariſt. Suid. *Phadon*. Plut.	*Aſtylus*.
2		
3	*Philocrates* Marm.	
4		
LXXIV	*Leoſtratus* Hal. 8.	*Aſtyalus*.
2	*Nicodemus* Hal. 8.	
3		
4	*Calliades* Marm.	
LXXV	*Xantippus* Marm. *Cal.* Hal. 9. Diod.	
2	*Timoſthenes* Marm. *Xãtippus* Diod.	
3	*Adimantus* Marm. *Timoſthenes*	
4	Adimantus Diod. (Diod.	
LXXVI	*Phadon* Halic. Diod.	*Scamandrus*.
2	*Dromoclides* Diod.	
3	*Aceſtorides* Diod.	
4	*Menon* Diod.	
LXXVII	*Chares* Marm. Halic. Diod.	*Dandes*.
2	*Praxiergus* Diod. (vit.Socr.c.I.	
3	*Apſephion* Marm. *Demotion* Diod.	
4	*Theagenides* Marm.	
LXXVIII	*Theagenides* Halic. Diod.	*Parmenides*.
2	*Lyſiſtratus* Diod.	
3	*Lyſanias* Diod.	
4	*Lyſitheus* Diod.	
LXXIX	*Archedemides* Diod. *Archim.* Pauſ	*Xenophon*.
2	*Euthippus* Marm. *Tlepolemus*	
3	*Conon* Diod. (Diod.	
4	*Evippus* Diod.	
LXXX	*Phaſicides* Diod. *Phraſides* Halic.	*Tyrymenas*.
2	*Philodes* Diod.	
3	*Bion*. Diod.	
4	*Callias* 1. Marm. *Mneſitides* Diod.	

Æra Philos.		
87 88 89 90		
91 92 93 94		2 Pugna Marathonia.
95 96 97 98		3 Darius moritur.
99 100 101 102		
103 104 105 106	Anaxagoras Athenas ivit Laert.	1 Xerxes Hellespontum traiecit pugna Salaminia.
107 108 109 110		
111 112 113 114	Socrates nascitur, lapis cęlo delapsus ex Anaxagorę prędictione.	
115 116 117 118		
119 120 121 122		1 Artaxerses Longimanus R. Persiæ.
123 124 125 126	Democritus nascitur anno ætatis Anaxagoræ 40. Laert.	

Olymp.	Archontes.	Victores Olymp.
LXXXI	*Callias* Diod. Halic.	*Polymnastes*.
2	*Sosistratus* Diod.	
3	*Ariston* Diod.	
4	*Lysicrates* Diod.	
LXXXII	*Charephanes* Halic.	*Lycus*.
2	*Antidotus* Diod.	
3	*Euthydemus* Diod.	
4	*Pedieus* Diod.	
LXXXIII	*Philiscus* Diod. Halic.	*Crisson*.
2	*Timarchides* Diod.	
3	*Callimachus* Diod.	
4	*Lysimachides* Diod.	
LXXXIV	*Diphilus* Marm. *Praxiteles* Diod.	*Crisson*.
2	*Lysanias* Diod.	
3	*Diphilus* Diod. Halic.	
4	*Timocles* Diod.	
LXXXV	*Myrichides* Diod. Anon. Olymp.	*Crisson*.
2	*Glaucides* Diod.	
3	*Theodorus* Diod.	
4	*Euthymenes* Diod.	
LXXXVI	*Nausimachus* Diod.	*Theopompus* vel ut Plato *Diopompus*.
2	*Antilochides* Diod.	
3	*Chares* Diod.	
4	*Apseudes* Diod.	
LXXXVII	*Pythodorus* Diod.	*Sophron*.
2	*Euthydemus* Diod.	
3	*Apollodorus* Diod.	
4	*Epaminondas* Diod.	
LXXXIIX	*Diotimus* Diod. (vit. Euclid. c. 3.	*Symmachus*.
2	*Euclides* Diod. *Euclees* Arist.	
3	*Euthydemus* Diod.	
4	*Stratocles* Diod.	
LXXXIX	*Isarchus* Diod.	*Symmachus* 2.
2	*Amyntas* Diod.	
3	*Alcaus* Diod.	
4	*Astyphilus* Marm. *Ariston* Diod.	
XC	*Aristophilus* Diod.	*Hyperbius*.
2	*Archias* Diod.	
3	*Antiphon* Diod.	
4	*Euphormus* Diod.	

Æra Philos.			
127			
28			
29			
30			
131	Circa hoc tempus natus est *Xeno-*	1 Ab Urbe condita 300. Halic.	
32	*phon*.		
33			
34			
135			
36			
37			
38			
139			
40			
41			
42			
143			
44			
45			
46			
147			
48			
49			
50			
151		1 Archelaus R. Macedoniæ.	
52		2 Belli Peloponnesiaci annus	1
53			2
54			3
155	*Anaxagoras* moritur.		4
56			5
57			6
58			7
159	Pugna ad Delium cui *Socrates* & *Xeno-*		8
60	*phon* interfuere. *Nubes* Aristoph. repręs.		9
61	Nubes Aristoph. repræsentatæ vice 2.		10
62	ad. Tempus Symposii *Xenophontis*.		11
163			12
64			13
65			14
66			15

Olymp.	Archontes	Victores Olympii
XCI	*Aristomnestus* Diod.	
2	*Chabrias* Diod.	
3	*Pisander* Diod.	
4	*Cleocritus* Diod.	
XCII	*Callias* Diod. Halic.	
2	*Theopompus* Diod.	
3	*Glaucippus* Diod. Halic.	
4	*Diocles* Diod.	
XCIII	*Euctemon* Diod.	
2	*Antigenes* Diod.	
3	*Callias* Diod.	
4	*Alexias* Diod.	
XCIV	*Pythodorus*	
2	*Euclides* Diod.	
3	*Aricion* Diod.	
4	*Ixanetus* Diod.	
XCV	*Laches* Diod.	
2	*Aristocrates* Diod.	
3	*Ithycles* Diod.	
4	*Lysiades* Diod.	
XCVI	*Phormio* Diod.	
2	*Diophantus* Diod.	
3	*Eubulides* Diod.	
4	*Demostratus* Diod.	
XCVII	*Philocles* Diod.	*Terinaus*.
2	*Nicoteles* Diod.	
3	*Demostratus* Diod.	
4	*Antipater* Diod.	
XCVIII	*Pyrrhion* Diod. *Pyrgion* Halic.	*Sosippus*.
2	*Theodotus* Diod.	
3	*Mystichides* Diod.	
4	*Dexitheus* Diod.	
XCIX	*Diotrephes* Diod.	*Dicon*.
2	*Phanostratus* Diod.	
3	*Menander* Diod.	
4	*Demophilus* Diod.	
C	*Pytheas* Diod.	*Dionysiodorus*.
2	*Nicon* Diod.	
3	*Nausinicus* Diod.	
4	*Callias* Diod.	

Æra Philos.			
167			16
68			17
69			18
70			19
171		*Thucydides* finit, incipit *Xe-*	20
72		*nophon.*	21
73			22
74			23
175		(scensus.	24
76		2 Primus *Cyri* in Asiam ad-	25
77		3. Dionysius Syracusis re-	26
78		gnare incipit.	27
179	XXX. Tyranni Athenis vit. Socr.		
80	(c. 9.		
81	(xxx Tyranni depositi.		
82	Xenophon exercitum reducit:	4. Cyri adscensus in Asiam.	
183	Socratis mors; Xenophontis ex-		
84	peditionis finis.		
85			
86			
187			
88		1 Agesilaus in Asiam adv. Persas	
89		proficiscit. (pe Coroneam.	
		2 Agesilaus cum Boetiis pugnat pro-	
90		3 Conon mœnia Athenarum.	
191			
92			
93			
94			
195			
96			
97			
98			
199	Aristoteles nascitur Laert.		
200			
201			
202			
203			
4			
5			
6			

Olymp.	Archontes.	Victores Olymp.
CI	*Chariander* Diod.	*Damon*.
2	*Hippodamus* Diod.	
3	*Socratides* Diod.	
4	*Asteius* Marm. Diod.	
CII	*Alcisthenes* Diod. Demosth. Halic.	*Damon*.
2	*Thrasiclides* Mar. Dio. Demost. Pauf.	
3	*Dysnicetus*. Diod. *Dyscinetus*. Pauf.	
4	*Lysistratus*. Diod.	
CIII	*Nausigenes*. Marm. Diod.	*Pythostratus*.
2	*Polyzelus*. Diod. *Polytelus* Halic.	
3	*Cephisodorus*. Marm. Diod.	
4	*Chion*. Diod.	
CIV	*Timocrates*. Diod. Halic.	*Phocides*.
2	*Chariclides*. Diod.	
3	*Cliston*. Diod. Halic.	
4	*Nicophemus*. Diod. Halic.	
CV	*Callimides*. Diod. Halic.	*Paurus*.
2	*Eucharistus*. Diod. Halic.	
3	*Cephisodorus*. Diod. Halic. (lic.	
4	*Agathocles*. Marm. Diod. Hal. Pau-	
CVI	*Elpines*. Diod. Halic.	*Paurus*.
2	*Callistratus*, Marm. Diod. Halic.	
3	*Diotimus*. Diod. Halic.	
4	*Eudemus*. Diod. Halic.	
CVII	*Aristodemus*, Diod. Halic.	*Micrinas*.
2	*Thessalus*. Diod. Halic.	
3	*Apollodorus*. Diod. Halic.	
4	*Callimachus*. Diod. Halic.	
CVIII	*Theophilus*. Diod. *Theomnestus*.	*Polycles*.
2	*Themistocles*. Diod. Hal. (Halic.	
3	*Archias*. Diod. Halic.	
4	*Eubulus*. Diod. *Eudorus*. Halic.	
CIX	*Lyciscus*. Diod. Halic. (lic.	*Aristolochus*.
2	*Pythodorus*. Diod. *Pithodotus*. Ha-	
3	*Sosigenes*. Diod. Halic.	
4	*Nichomachus*. Diod. Halic.	
CX	*Theophrastus*. Diod. Halic.	*Anticles*.
2	*Lysimachides*. Diod. Halic. (lic.	
3	*Charondas*. Diod. *Charonidas*. Ha-	
4	*Phrynichus*. Diod. Halic.	

Æra Philos.		
207		
8		
9		
10		
211		
12		
13		
14		
215	Eudoxus floret Laert.	1. Dionyſius Senior moritur ſuccedit filius
16		
17		
18		
219		
20		
21		
22		
223		
24		
25		
26		
227		
28		
29		3 Dion occiditur;
30		
231		
32		
33		
34		
235	Plato moritur ann.nat.82.Athen.	
36	*Ariſtocles* ad *Hermiam* abit *Atar-(nam.*	
37		
38	AriſtotelesMitylenas petit,Laer.	
239		
40	Ariſtoteles ad R. Philippum abit, anno ætatis Alexandri XV, Laert.	
41		
42		
243		
44		
45		
46		

Olymp.	Archontes	Victores Olympii
CXI	*Pythodorus* Diod. *Pythodemus* Hal.	*Cleomantis*.
2	*Evanetus* Diod. Halic.	
3	*Ctesicles* Diod. Halic.	
4	*Nicocrates* Diod. Halic.	
CXII	*Niceratus* Diod. *Nicetes* Halic.	*Eurylas*.
2	*Aristophanes* Diod, Halic.	
3	*Aristophon* Diod. Halic.	
4	*Cephisophon* Diod.	
CXIII	*Euthycritus* Diod. Halic.	
2	*Chremes* Diod. *Hegemon* Halic.	
3	*Anticles* Diod. *Chremes* Halic.	
4	*Sosicles* Diod. *Autides* . Halic.	
C XIV	*Hegesias* Diod.	*Micinnas*.
2	*Cephisodorus* Diod. Halic.	
3	*Philocles* Diod. Halic.	
4	*Archippus* Diod.	
CXV	*Neachmus* Halic.	*Dinomenes*.
2	*Apollodorus* Diod. Halic.	
3	*Archippus* Diod. Halic.	
4	*Demogenes* Diod. Halic.	
CXVI	*Democlides* Diod. Halic.	*Parmenio*.
2	*Praxibulus* Diod. Halic.	
3	*Nicodorus* Diod. Halic.	
4	*Theophrastus* Diod. Halic.	
CXVII	*Polemon* Diod. Halic.	*Apollonides*.
2	*Simonides* Diod. Halic.	
3	*Hieromnemon* Diod. Halic.	
4	*Demetrius Phalereus* Diod. Hal.	
CXVIII	*Charinus* Diod. *Carimus* Halic.	*Andromenes*.
2	*Anaxicrates* Diod. Halic.	
3	*Corybus* Diod. *Corabus* Halic.	
4	*Xenippus* Diod. *Euxenippus* Hal.	
CXIX	*Pherecles* Diod. *Pherides* Halic.	
2	*Leostratus* Diod. Halic.	
3	*Nicocles* Diod. Halic.	
4	*Calliarchus* Diod.	
CXX	*Hegemachus* Halic.	
2	*Euctemon* Halic.	
3	*Mnesidemus* Halic.	
4	*Antiphanes* Halic.	

Æra Philoſ.		
247	(13.	1 Regni Alexandri initium.
48	Ariſtoteles docet in Lycæo ann.	
49		3 Alexandri in Aſiam expedi-
50		tio c. Darium.
251		
52		
53		
54		
255		
56		
57		
58		
259		
60		
61	(que moritur.	
62	Ariſtoteles Chalcidem abit, ibi-	
263	anno æt. 63. Laert.	
64		
65		
66		
267		
68		
69		
70		
271		
72		
73		
74		
275		
76		
77		
78		
279		
80		
81		
82		
283		
84		
85		
86		

Olymp.	Archontes	Victores Olympii	Æra Philos.
CXXI	*Nicias* Halic.		287
2	*Nicostratus* Halic.		88
3	*Olympiodorus* Halic.		89
4	*Philippus* Halic.		90
CXXII			291
2			92
3			93
4			94
CXXIII		Idæus Pausan. Eliac. 2.	295
2			96
3			97
4			98
CXXIV			299
2			300
3			1
4			2
CXXV			303
2			4
3			5
4			6
CXXVI			307
2			8
3			9
4			10
CXXVII	Pytharatus Cic.		311
2			12
3			13
4			14
CXXIIX			315
2			16
3			17
4			18
CXXIX	*Diognetus*.		319
2			20
3			21
4			22
CXXX			323
2			24
3			25
4			26

Olymp.	Æra Philos.
CXXXI	327
2	28
3	29
4	30
CXXXII	331
2	32
3	33
4	34
CXXXIII	335
2	36
3	37
4	38
CXXXIV	339
2	40
3	41
4	42
CXXXV	343
2	44
3	45
4	46
CXXXVI	347
2	48
3	49
4	50
CXXXVII	351
2	52
3	53
4	54
CXXXIIX	355
2	56
3	57
4	58
CXXXIX	359
2	60
3	61
4	62
CXL	363
2	64
3	65
4	66

Olymp.	Æra Philos.
CXLI	367
2	68
3	69
4	70
CXLII	371
2	72
3	73
4	74
CXLIII	375
2	76
3	77
4	78
CXLIV	379
2	80
3	81
4	82
CXLV	383
2	84
3	85
4	86
CXLVI	387
2	88
3	89
4	90
CXLVII	391
2	92
3	93
4	94
CXLVIII	395
2	96
3	97
4	98
CXLIX	399
2	400
3	1
4	2
CL	403
2	4
3	5
4	6

Olymp.	Æra Philos.	
CLI	407	
2	8	
3	9	
4	10	
CLII	411	
2	12	
3	13	
4	14	
CLIII	415	
2	16	
3	17	
4	18	
CLIV	419	
2	20	
3	21	
4	22	
CLV	423	
2	24	
3	25	
4	26	
CLVI	427	
2	28	
3	29	
4	30	
CLVII	431	
2	32	
3	33	
4	34	
CLVIII	435	
2	36	
3	37	
4	38	
CLIX	439	
2	40	
3	41	
4	42	
CLX	443	
2	44	
3	45	
4	46	
CLXI	447	
2	48	
3	49	
4	50	
CLXII	451	Clitomach.
2	452	floret.
3	453	Carneades
4	54	moritur.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

PARS I. HIST. PHIL.

De iis qui SAPIENTES audiebant.

THALES.

SOLON.

CHILO.

PITTACUS.

BIAS.

CLEOBULUS.

PERIANDER.

SOS-

III.

Vit-

Pars

XX.

SECT.

XII.

IV. Vo-

CAP.

PARS XIII. HIST. PHIL.

DE CHALDÆIS.

XIX.

PARS XIV.

DE PERSARUM PHILOSOPHIS.

PARS XV.

DE SABÆORUM PHILOSOPHIS.

Chaldaica Zoroastris, ejusque discipulorum oracula.

NOI

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Tomaso Maria Gennari Inquisitore nel Libro intitolato *Thomæ Stanley Historiæ Philosophicæ &c. ex Anglico Sermone in latinum translatæ*, non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à Sebastiano Coleti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa;

Dat. 4. Febraro 1729.

Andrea Soranzo Proc. Ref.
Pietro Grimani Kav. Proc. Ref.

Agostino Gadaldini Segretario.

1730. 25. Settembre
Registrato nel Magistrato Eccellentissimo contro la Bestemmia.

Angelo Legrenzi Segretario.

HISTORIA PHILOSOPHIÆ

PARS I.

DE IIS QUI SAPIENTES APPELLATI FUERUNT.

THALES

CAP. I.

PATRIA THALETIS ET PARENTES.

NON ea ſemper magnis ingeniis, quæ favente fortuna præclaris inventis ſuis egregie de poſteris meruere, felicitas obtigit, ut debitis virtuti ſuæ præmiis frui poſſent; dum gloriam illorum habitus, quem ſequiora tempora haut raro placitis induunt eorum, ſive addendo ſive demendo, haut parum ſolet obfuſcare. Gratitudinis itaque leges hoc poſtulare a nobis, qui veterum doctrina profecimus, videbantur, ut memoriam Præceptorum noſtrorum tuentes, adcurate inquireremus in eos, qui, improbo ſuſcepto labore, nobis lætiſſimam meſſem reliquerunt. Paſſus id genus injuriæ fuit *Thales*, vir ſapiens, *Mileto* oriundus, qui primus naturalis ſcientiæ & artium Mathematicarum *Græcis* extitit autor, a quibus ad nos quoque illa eruditionis pars derivata fuit. Ita vero tam præclaræ operæ honorem adverſariorum quorundam ejus ambitio, aliorum autem induſtria obſcuravere, ut autori optime merito vix pars exigua gloriæ, quæ debita eſt illi, relinquatur. Operæ itaque pretium me facturum exiſtimavi, ſi, quicquid de homine, cui tam multum debent omnes, qui bonas litteras amant, collectum mihi obſervatumque fuit ordine explicare aggreſſus fuero.

De ejus igitur originibus quidem, obſcura valde ſunt, quæ veteres memoriæ prodiderunt. Natum in *Phœnicia* exiſtimant quidam, quorum ſententiæ cum ex Diogenis Laertii, allegatorumque ab eo autorum, teſtimonio plurimum roboris accedere videatur, ut ab ejus verbis expendendis initium faciamus neceſſe eſt, quæ ita fere interpretes vulgo ſolent repræſentare:

' *Thales, ut Herodotus, Thuris ac Democritus ajunt, patre Examio, matre Cleobulina natus eſt, ex Thelidarum familia, qui, Phœnicum nobiliſſimi, a Cadmo & Agenore originem ducunt, Platone quoque teſte*. Diogen. L.I.Sect. 22.

Herodoti autem teſtimonium, quod Hyginus (1) etiam atque Hygin. L.II.c.2

A Sui-

1. Hygini verba ſunt. *Thales enim qui diligenter de his exquiſivit natione fuit Phœnix ut Herodotus Mileſius dixit*. Quæ corrupta ſunt aperte, quis enim Herodotus ille? Sic itaque corrigendum: *Natione fuit Phœnix ut Herodotus, Mileſius ut alii dicunt* STANLEY. Forte melius G. J. Voſſium ſecutus, Menagius ad illum Diogenis locum, qui vocem *Mileſius* alieno loco poſitam, poſt *Thales*. ponendam putat.

Astro- nom. P. 260. Suid. in Θαλ. Herod. Clius p. 43. Suidas, communi abrepti errore ita accipiunt, ac si natum in Phoenicia hunc sapientem dixisset, adversam sententiam diserte probat, sic enim ille: *Thales Milesius genus antiquum a Phoenicibus derivans.* Unde colligere fas est, *Duridis* quoque ac *Democriti* alium sensum, vel saltem contrarium, non extitisse: idemque esto de *Leandro* judicium, cujus testimonium Herodoti autoritati, ut Phoenicem fuisse Thaletem probaret, Clemens Alexandrinus subjunxit. (Margin: ἐτι ἐων τὸ ἀνέκαθεν γένος Φοῖνιξ. Clem. Al. Str. I. p. 300. D.)

Diogen. l. c. in not. ad Diogen. l. c. *Mileti autem civis adscriptus est, profectus cum Neleo, qui e patrio solo, Phoenicia, exciderat.* Quam quidem relationem, ut cum jis quae de *Neleo* a veteribus narrata habemus, conciliaret vir doctiss. *Isaacus Casaubonus*, apud Diogenem in verbis ὅτε ἦλθε σὺν Νειλέῳ ἐκπεσόντι φοινίκης pro ἐκπεσόντι substituit ἐκπεσὼν, ut sensus sit *Thaletem* ex Poenicia relegatum cum *Neleo* Miletum concessisse. (2) Quae profecto mutatio insignem parit anachronismum; *Neleo* enim illo Thales noster recentior est annis plus. CCCC. Si itaque ipsum illum Diogenes respexit *Neleum*, vel erroris gravissimi reus tenebitur, vel verba ejus corrupta, & de majoribus *Thaletis* accipienda esse dicendum: quem sensum levissima facta mutatione admittent, si nempe legas hoc modo: ἐπολιτογραφήθησαν δὲ ἐν Μιλήτῳ, ὅτε ἦλθον σὺν Νειλέῳ ἐκπεσόντι φοινίκης. Ut sensus sit eos, *Phoenices* cum essent, in *Cariam* fuisse delatos, civesque scriptos *Mileti*, ea aetate qua *Neleus*, *Codri* filius, regno Atheniensi, ut frater natu minor eo potiretur, pulsus, Jonias Colonias isthac deduxit, quarum Metropolis *Miletus*, ab eo condita, extitit. Videndi de illa Colonia Herodotus, Strabo & Aelianus. (Margin: Herod. L. IX. p. 347. Strab. L. XIV. p. 633. 635. Aelian. V. H. VIII. 5.)

Diogen. l. c. *Sed, ut pluribus visum, indigena Milesius & claro genere natus est*: ita enim vertunt vocem ἰθαγενής. Vox tamen ista ita accipi potest, ut priori sententiae opponatur: quae cum *familia* tantum ejus, non *patria*, faciat mentionem, ad illam hoc quoque loco, non istam, respici dixeris. Nempe ista *Diogenis* mens est: quidam ex *Phoenicio* genere, (eorum nempe, qui *Mileti* jus civitatis adepti fuerant,) ortum *Thaletem* credunt, alii ex Graeca familia eaque nobili origines ejus deducunt. Hanc posteriorem autem sententiam Plutarchus sequitur, qui *Herodoto* id vitio vertit, quod Thaletem primas origines Barbarae genti debere affirmet: itemque Hermippus, qui gratias eum fortunae testatur egisse, *quod Graecus natus esset, non Barbarus.* (Margin: Plutarc. de Herod. Malig. p. 857. D. ap. Diog. Laert. L. 1. segm. 33.)

CAP. II.

De Aetate Thaletis.

Ortum primo anno tricesimo quinta Olympiadis *Thaletem Appollodorus in Chronicis tradit.* Sapientem appellatum *Damasia* Athenis Archonte, dicit Demetrius Phalereus. Ἄρχων, sive Princeps, secundum Dionysium Halicarnasseum, Athenis Damasias fuit *anno II. Olympiadis XXXV, quo Roma Ancus Martius, Regum Romanorum quartus, regnum fuit auspicatus.* (Margin: Diogen. Laert. L. I. Segm. 37. ib. segm. 22. Dionys. L. 3. § 36. p. 170.)

In istis anachronismum unius anni agnoscunt viri docti, qui Thaletem (Margin: Sigon. de Athen. tempor.)

2. Non quidem Casauboni mutatio hunc anachronismum gignit, quem ordinaria quoque lectio committit. Nihil tamen in verbis Stanleii mutare volui.

Voss. de scient. Mathemat. c. 32. §. 8. Scal. ad Euseb. p. 83. Meurs. de Archont I. II. Petav. Ration. temp. II. 12.

letem *Damasia Archonte* natum volunt. Unde est, quod Sigonius, Vossius atque alii, Thaletis nativitatem ad annum II. Olympiadis XXXV. differant, Scaligero, Meursio, Petavio, atque aliis, *Damasia* magistratum ad annum ejusdem Olympiadis retrahentibus; ut eum cum Thaletis natali conjungere liceat. Male omnino utrique, *Damasia* enim magistratus nihil ad natales Thaletis. Qua de re ut magis luculenter constet, bis *Damasiam* Archontem in Atheniensium fastis inveniri tenendum est; primo quidem anno II. Olympiadis XXXV. proximo post Thaletis natalem anno, & rursum Olympiadis XLIIX. anno IV. quo anno *Sapientis* titulum Thales consecutus fuit: cujus rei facere mentionem non possumus præterita commendatione lucis insignis, quæ rebus chronologicis ex marmoribus Oxoniensibus, a Joanne Seldeno editis, conciliata fuit.

Euseb. l. c. Diogen. Laert. L. l. s. 38. Plutarch. Vita Lycurg. p. 41. C. Scali. ad Euseb. p. 74.

Nec hoc prætermittendum, alium fuisse *Thaletis* nomine, quem *Eusebius* ad Olympiadem VIII. Diogenes Laertius autem & Plutarchus ad Homeri ætatem, Hesiodique atque Lycurgi referunt. Scaliger, qui illam temporis notationem ferri vix posse animadvertit, ejus tamen causam assequi non potuit. Lycurgus enim atque Iphitus Olympicos ludos instituerunt XXVII. Olympiadibus antequam iis Corœbus vinceret, qui primus in iis, teste Eusebio, victor extitit. Confundunt autem duos istos Thaletas haut pauci, Physicusque eorum prior audit Eusebio, cum tamen illud scientiæ genus Græcis a posteriore traditum demum esse constet. Suidas Phlegonte autore *Thaletem* alterum VII. Olympiade floruisse affirmat, cum de priore haut dubie accipiendus sit *Phlegon*.

Suid. V. Thales.

Augustin. de C. D. XIIX. 24. & 27.

Certeque omnes ii, qui circa VII. Olympiadem *Thaletem* vixisse ajunt, *Thaletem* priorem cum posteriore, veramque Olympiadum epocham cum vulgari confundunt. *Thales* enim prior ea Olympiade, quæ post primam *Iphiti* fuit septima, vixit: eodemque intervallo a *Corœbi* Olympiade *Romulus* floruit.

Clem. Al. Str. I. p. 332. A

Hac temporum perturbatione doctissimus Patrum, Clemens Alexandrinus, abutitur, probaturus Thaletem ultimis Prophetarum ætate esse inferiorem. *Sic*, inquit, *demonstratum est, eos qui Darii Hystaspis ætate, secundo regni ejus anno vaticinati sunt, Aggæum ajo, Zachariam & Malachiam, qui erat duodecim Prophetarum unus, ut qui vaticinia sua ediderint Olympiadis XLIIX. anno I. Pythagora fuisse antiquiores, qui LXII. Olympiade vixisse dicitur, ipsoque etiam Thalete, Græcorum Sapientum antiquissimo, qui circa L. Olympiadem floruit*. Quasi isto argumento non hoc potius evinci queat, quod eodem tempore Thales & Prophetæ illi in vivis fuerint, quæ est Eusebii sententia. *Tempore, inquit, Cyri Persarum Regis, septem sapientes floruere. Hoc tempus fuit, quo ultimi inter Prophetas Hebræorum vaticinia sua ediderunt, plusquam sexcentorum annorum post Trojam eversam, post Mosen annorum non minus quam quingentorum*. Verum si cum Clemente Alexandrino ad Darii Hystaspis tempora Prophetas istos velimus referre, multum erunt ætate inferiores Thalete. Regni enim habenas Darius ultimo LXIV. Olympiadis anno moderari cœpit.

Præp. X. 4.

subvertit, cum tamen isti felicissime cum omnium VII. Sapientum ætate conveniat.

Horum primus *Thales* fuit, merito ceteris omnibus propter insignem eruditionem anteferendus, quam nemine magistro sibi comparaverat. Tempus, quo istum consecutus est honorem, incidit in annum ætatis ejus LIX.

Secundus *Pittacus* est, *Mitylenæus*, qui XLII. Olympiade floruit, tertio vero Olymp. LII. anno ad plures abiit.

Bias tertius appellatur, *Prienensis*, Pittaco coævus, qui Alyattæ & Crœsi ætate vixit.

Quartus *Solon* succedit, Athenis *tertio* XLVI. Olympiadis anno Archon, Olympiade LV. vita functus.

Quintus *Cleobulus* vocatur, patria *Lindius*, Soloni tempore suppar.

Sextus *Myson Chenaus*.

Septimus *Chilon Lacedamonius*, qui Ephorus extitit Olymp. LVI.

l. c. *Horum Fama*, teste Plutarco, *plurimum aucta fuit, tripode ab uno ad alterum misso, generose illis & modeste sibi invicem concedentibus*. Cujus rei occasione ita fere *Diogenes Laertius & Valerius Maximus* exposuere.

Laert. l. 28. Val. Max. IV. 1. Laert. l. c. Val. max. l. c. *Jonici adolescentes quidam a piscatoribus Milesiis jactum retis emerunt, reti educto, aurea mensa Delphica magni ponderis extracta est, orta inde contentio, illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, his fortunam tractus se emisse dicentibus: Res demum propter novitatem & magnitudinem pecunia ad universum ejus civitatis populum est delata Delphos a Milesiis missum, responsumque a Deo est:* Laert. l. c.

De tripode ex Phœbo quaris Milesia proles.*
Huic tripodem addico cui sit sapientia prima.
Tum Milesii communi consensu Thaleti dederunt, ille cessit Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsque per omnium Sapientium orbem. Ad ultimum ad Solonem pervenit, qui & titulum amplissima sapientia & pramium ad ipsum Apollinem transtulit. Val. Max. l. c.

Aliter tamen ista referuntur a Callimacho in Jambis, apud Laertium, l. c. s. 28. *Bathyclem* enim *quendam, Arcadem, phialam ait reliquisse, atque jussisse dari sapientum primo; datamque Thaleti, ac per orbem rursum Thaleti: Quam ille Apollini Didymao miserit*, cum ista, *secundum Callimachum*, inscriptione:

Plebem regenti me Thales Nilao dat,
Clarum bis hoc qui jam assecutus est donum.

Pedestris autem oratio sic se habet. *Thales, Examii filius, Milesius, Apollini Delphico Gracorum hoc pramium, bis nactus, dicat. Qui autem circumtulerat phialam, Bathyclis filius, Thyrion vocabatur*, Alludunt ad hanc fabulam sequentes Phœnicis Colophonii versus:

Thales suorum civium optimus longe. ap. Athen. Dipnos. XI. p. 495. C.
Et pluribus mortalibus sui secli.
Prastantior, accepit auream pelvim.
Eudoxus autem Cnidius, Evantesque Milesius, ajunt, Crœsi amicum quendam aureum poculum a rege accepisse, ut

* Stanlejus ex Valerio Maximo antea retulit, *auream mensam* fuisse quæ cum reti educta fuit: jam ex Laertio oraculum allegat, quod *tripodis* facit mentionem. Id vero non perturbare lectorem non potest. Cui perturbationi facilis medela, si meminerit Laertium *tripodem* fuisse affirmare quod *phialam* alii, alii *mensam auream* vocant.

se, ut illud sapientissimo Græcorum daret; ipsumque Thaleti dedisse, pervenisseque illud postremo ad Chilonem. † *Ei vero, cum a Pythio quæreret, quisnam esset se sapientior, responsum esse Mysonem; Hunc Eudoxus pro Cleobulo: Plato, pro Periandro, ponit. De ipso hæc fuere Apollinis verba:*

Oetæum quendam prognatum
Chene Mysonem,
Te magis esse ajo rebus sublimibus aptum.

Missus autem, ut rogaret, fuerat Anacharsis. Dadacus Platonicus & Clearchus, phialam a Crœso ad Pittacum missam, atque ita in orbem circumlatam ferunt. Andro vero in tripode, (qui liber videtur fuisse, totus de hoc argumento agens, Clementi Alexandrino etiam allegatus Olympiade L. Thaletem ceterosque VI. Sapientes floruisse probaturo) *Argivos ait virtutis præmium sapientissimo Græcorum tripoda constituisse, idque Aristodemo Spartano fuisse adjudicatum, qui idem concesserit Chiloni. Meminit Aristodemi Alcæus quoque hoc modo:*

Nam dicunt quoque Aristodemum
Non imbellia verba
Spartæ hæc explicuisse;
Pauper nemo probus; quantivis dives habetur.

Sunt qui dicant a Periandro ad Thrasybulum, Milesiorum tyrannum onustam navem missam fuisse. Ea vero cum circa Coum mare naufragium fecisset, inventum post a quibusdam piscatoribus tripodem. Phanodicus vero circa mare Atticum amissum, atque in urbem delatum scribit, & ex decreto publico Bianti missum. Alii a Vulcano fabrefactum tradunt, ac pro munere Pelopi a Deo datum, cum ille uxorem duceret: Demum ad Menelaum pervenisse, raptumque cum Helena ab Alexandro, in Coum mare fuisse conjectum a Lacana, (Helena*) *rixarum eum causam fore* (oraculo eam in rem allegato) *adstrente. Postea cum quidam illic Lebedii retis jactum mercati essent, tripoda quoque fuisse comprehensum; & cum exorto cum piscatoribus jurgio Coum detulissent, nihilque proficerent, Miletum, quæ erat metropolis, appellavere. Missi a Milesiis legati fuere, quibus spretis bellum Cois Milesii intulerunt, plurimisque hinc inde cadentibus, divino oraculo responsum est sapientissimo dandum tripoda. Moxque in Thaletem utraque partes consensere:* (Cois lubenter homini privato jam concedentibus, quod acerbissimarum antea inter ipsos Milesiosque controversiarum causa extiterat.) *Eum vero Thales, postquam in orbem circumlatus ad se rediisset, Didymæo devovit Apollini. Cois responsum ab Apolline obtigerat:*

Plut. Solon. p. 80. C.

Non prius Ionii Meropesque a Marte recedent,
Quam tripodem auratum, pelagus quem misit in altum
Vulcanus, vos rursum ipsi mittatis in ædes
Mox hominis, cui sit sapientia noscere promta,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahuntur.

Milesiis, ut supra jam diximus, responsum:

De tripode ex Phœbo quæris Milesia proles? & rel.

 Hu-

† In textu Stanleii est *ad Solonem* nescio cujus errore, nam apud Laertium [illegible] legitur.

* Equidem Stanlejus hæc ita repræsentat ac si apud Diogenem legisset [illegible] pro [illegible]: Et in Parenthesi masculum nomen *Helleni* addidit. Verum id forsan non ei æque ac amanuensi tribuendum.

Vit. Solon. p. 80. Hucusque Laertius. Plutarchus sequentia addit: *Thalete Biantem se sapientiorem esse affirmante, ad illum pervenit, ab illo rursus ad alium missus est tanquam sapientiorem. Inde ita per circulum eundo, rediit iterum ad Thaletem. Postremo Mileto Thebas translatus, & Apollini Ismenio est consecratus. Theophrastus author est Prienem primum ad Biantem eum fuisse destinatum, deinde ad Thaletem, remittente eum Miletum Biante, ad extremum Delphos deportatum. Hac fama est a plerisque vulgata, nisi quod donum pro mensa, alii phialam a Crœso missam, alii relictum ibi a Bathycle polum prodant.*

Cic. de Leg. II. 11. Strabo L. XIV. p. 635. C. Hacque ratione primæ Thaleti ab oraculo delatæ, quamobrem a Cicerone atque Strabone Princeps Sapientum, quem ceteri omnes agnoverint superiorem, adpellatur.

CAP. VI.

De Philosophia Thaletis.

Laert. I. 24. Cic. de nat. Deor. I. 10. & ap. Lactant. I. 1. p. 18. Strabo L. XIV. p. 635. Plut. de plac. I, 3. Justin. Paræn. ad Græc. p. 6. Tertull. Apolog. c. 26. Lactant. de falsa rel. I, p. 18. Thales, ut Laertius ait, *primus de Natura disseruit, secundum nonnullos*. Cicero, qui primus Græcos Philosophos loqui docuit ore Romano, *Thaletem* fatetur *primum de talibus rebus quæsivisse*. Strabo *ante alios Græcos omnes causas rerum naturalium & Mathematica eum rimatum dicit*. *Philosophiæ inventorem* appellat Plutarchus: Justinus Martyr *Philosophorum antiquissimum*. Tertullianus *principem Physicorum*: Lactantius *primum, qui de causis naturalibus quæsivit*.

SECT. I.

Aquam Rerum Omnium Esse Principium.

Naturales autem rerum causas investigans, *aquam primum corporum naturalium principium ex quo existant primo, & in quod postremo resolvantur esse existimavit*. Ejus sententiæ argumenta, Plutarcho referente atque Stobæo, sequentia ipsi fuere: Plutarch. plac. Philos. I. 3. Stob. Ecl. Phys. I, 13.

Primum, quod semen, omnium animalium principium, humidum est. Unde fit probabile, omnia ex humore nasci tanquam principio.

Deinde, quia omnes stirpes humido aluntur, idque suæ fœcunditatis causam habent, eoque destituta exarescunt.

Præterea quoniam ipse solis stellarumque ignis aquæ exhalationibus aluntur, ipseque adeo mundus. Unde etiam Homerus aquæ omnium rerum primordium adscribit, hoc versu:

Oceanus cunctis præbet primordia rebus.

Aristot. Metaph. I. 3. Seneca Natur. qu. 6, 6. Huic ut inserviret opinioni, Aristotele teste, *infimum aquæ locum assignabat: Terram*, quod Seneca ait, *totam subjecto judicans humore portari & innatare, sive illud oceanum voces, sive magnum mare, sive alterius naturæ simplicem adhuc aquam, & humidum elementum. Hac,* inquit, *unda sustinetur orbis, velut aliquod grande navigium, & grave his aquis, quas premit. Gravissimam* nempe *partem mundi, non posse*, ait, *spiritu tam tenui fugacique gestari*. Ex his Aristoteles explicandus, qui *Thaletem* docuisse ait, *terram, ad natandum idoneam, eo quo lignum aliaque ejus generis modo conquiescere: Ejusmodi autem res omnes* Metaph. I, 3.

Non aëri innatare sed aquis.

Hoc fundamento nixus *aquas* Laertio teste,* *terramotuum esse causam* ajebat. Simili modo de eo Seneca: *ait terrarum orbem aqua sustineri, & vehi more navigii, mobilitateque ejus fluctuare tum cum dicitur tremere.* Inter ejus rei argumenta, Seneca rursum docente, hoc extitit: *quod in omni majore motu erumpunt fere novi fontes, sicut in navigiis quoque evenit, ut si inclinata sunt & abiere in latus, aquam sorbeant: quæ in omni onere eorum quæ vehit, si immodice depressa fuerit, aut superfunditur, aut certe dextra sinistraque solito magis surgit.*

qu. nat. III. 13.

qu. nat. VI. 6.

Liquet autem ex *Homeri* testimonio, cujus autoritate suam de aqua, primo omnium principio, sententiam, Plutarcho & Justino Martyre referentibus, Thales tuebatur, illam, licet non æque cultam, ab aliis Græcorum ante Thaletem propositam jam fuisse. Et alibi *Plutarchus* Hesiodi producto loco

Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ'·

Cunctorum primum Chaos extitit, addit: *major pars Physicorum antiquissimorum aquam Chaos appellavere; voce derivata παρὰ τῆς χύσεως ab effusione.* Apollonii item Scholiasta ** ad verba illa:

χθὼν αὐτὴ ἐξ ἰλύος ἐβλάστησε·

Ex luto est condita terra

Zenone allegato affirmat, *Chaos, ex quo omnia secundum Hesiodum facta fuerunt, aquam fuisse quæ subsidens in lutum abierit, quod condensatum in solidam degeneraverit terram.* Quibus adde Orphicum illud:

Plutarch. in Tr. ignis an aqua utilior. p. 955. E

Hesiod. Theogon. init. Argon. 4. v. 676.

Ἐκ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέστη.

Ex aqua genitum lutum.

ap Athenag. p. 18. A.

Hanc vero doctrinam a Phœniciis accepere, cum quibus antiquissimum Græcis commercium intercessit. Ex Phœnicia enim Linus venit, inde Orpheus eruditionem suam petiit, idemque de Thalete veteres testantur. Idque plane evincit Numenii, ex antiquis Philosophi, locus, quo ipsa *Mosis* verba pro hac sententia allegavit: *Spiritus Dei motum ciebat super faciem aquarum.* Egregium etiam apud Eusebium ad hoc ipsum probandum testimonium occurrit: *Phœnicum Theologia Principium hujus universitatis ponit aerem tenebrosum ac spiritu fœtum, seu mavis tenebrosi aeris flatum ac spiritum, chaosque turbidum, altaque caligine circumfusum. Hæc porro infinita esse, nullumque nisi longo sæculorum intervallo terminum habere. Verum, ubi spiritus, inquit, amore principiorum suorum flagrare cœpisset, eumque simul esset mixtio consecuta, nexum hunc mutuum cupidinem appellarunt. Is quidem rerum omnium procreationis principium fuit. Spiritus vero suam ipsius procreationem minime agnoscebat. Ex hac illius conjunctione prodiit Mot. Id quod limum nonnulli, alii aquosæ mixtionis corruptionem esse volunt, ex qua secuta productionis semina, ipsaque adeo rerum universarum generatio extiterit.*

Porphyr. de antr. Nymph. p. 256.

Euseb. Præp. L. 10.

Nec Indi hujus doctrinæ ignari fuere, quos Megasthenes dicit *de multis cum Græcis sentire, ut, quod mundus sit ortus, & interiturus, & spha-*

Strabo L. XV. p. 713.

* Id quidem apud Laertium minime invenio: Vestigium vero ejus rei ap. Aristot. l. c. juxta quem Thales τὴν γῆν ἐφ' ὕδατος ἀπεφήνατο εἶναι

** Mirum ex Scholiasta Apollonii similia citari, qui ne γρῦ quidem ad illum, quem Stanlejus indicat locum, annotavit: Mihi illa verba, quæ hic allegantur combinata videntur ex Joannis Diaconi allegoriis ad Hesiodi Θεογ. [illegible] v. 116. & Scholiis ad v. 117.

sphaericus: & quod conditor & administrator ejus Deus universum permeet. Universarum rerum primordia diversa esse, mundi autem aquam.

Cum autem vox ἀρχὴ *principium*, apud Philosophos quidem causam effectricem notet, atque adeo stricte accepta reliquas causas excludat, nobilissima tantum significata; hoc ipsum occasionem nonnullis dedit, ut Thaletis opinionem illam in partem deteriorem acceperint: ac si nullo alio admisso *principio* Deum aquam faciat:* At vero Thaleti nihil aliud *principium* significare, quam materiam, facile ex Plutarcho colligas, Thaletem reprehendente, quod *principium* cum *elemento* confundens, unum ista esse dicat atque idem, *cum quidem* inquit, *longissime a se invicem dissideant ista.* Elementum *enim omne compositum est:* principia *neque composita sunt, neque substantia sunt completa. Sane enim elementa vocamus terram, aquam, aerem, ignem. Principia vero alias vocamus naturas, eo quidem respectu, quod nihil est eis prius, ex quo nascantur. Alias enim, si prima haut essent, principia dici ipsa non possent: sed hoc potius ita esset appellandum, ex quo nata illa intelligerentur. Terra autem & aqua ortu prior est aliqua materia, ex qua extiterunt, forma scilicet carens materia: tum ipsa forma: tertium privatio. Falsa itaque est Thaletis sententia, qui aquam elementum pariter ac principium omnium rerum esse statuit.* Plutarch. de Plac. Philos l. 2.

Ex quibus Plutarchi verbis colligimus objectionem ad *vocem* tantum non *ad rem* pertinere. Nempe *principii* atque *elementi* distinctio cum ea ætate in usu haut esset, Thales per principium *effectricem causam* non intellexit, quod evidentissimum ex Aristotele fit rursus: *Thales quidem aquam ait esse* (principium,) *quare terram quoque super aquam asserebat esse. Fortassis hanc habuit opinionem, quia nutrimentum omnium humidum esse videbat, ipsum quoque calidum ex eo factum, eoque omne animal vivere. Ex quo autem res fiant, id esse principium omnium. Propter hoc igitur hanc habuit opinionem, & quoniam cunctorum semina naturam humidam sortita sunt. Aqua vero natura principium humidis est.* Aristot. Metaph. l. 3.

SECT. II.

De Deo.

Cræso sciscitanti quid de diis arbitraretur, post aliquot deliberandi commeatus, referente Tertulliano, *nihil renuntiavit* Thales. Videturque Scriptor allegatus quæ inter *Simonidem & Hieronem* gesta fuere vel similem saltem Historiam in animo habuisse. Tertull. ad Nation. l. II. c. 2.

Veram autem Thaletis de Deo opinionem ex duabus sententiis ejus discere licet, a Laertio allegatis, & ab Alexandrino Clemente repetitis, ita tamen ut illustrationis causa quædam adderet: *Quid vero,* inquit, *non illa quoque Thaletis, quæ ex his sumta sunt, in secula seculorum Deum gloria affici? idemque cordis cognitor qui a nobis dicatur, eum Deum esse aperte fatetur. Rogatus enim* Strom. V. p. 594. D.

Tha-

---

* Non tam ex eo natum putem errorem de Thaletis religione, quod ἀρχὴ causam effectricem notet, quam quod καὶ ἀρχὴν aquam statuat, aliis post Anaxagoram τοῦ inter ἀρχὰς referentibus, quem Thales pariter ac cetera omnia excludere numero unitatis videbatur. Verum Thales de *Principiis Physicis* tantum & *materialibus* agere voluit.

Thales, quid sit Deus? Id, inquit, quod neque habet principium nec finem. Cum autem rogasset alius, an Deum lateat homo aliquid agens: Et quomodo, inquit, qui ne cogitans quidem? Sicque Cicero, Thalete autore *Homines existimare oportere*, ait, *omnia, quæ cernuntur Deorum esse plena.* †

L. 2. de Leg. c. 11.

Certe primam causam agnovit mundique autorem, quippe qui, Laertio teste, docuit, *antiquissimum eorum omnium quæ sunt esse Deum, pulcherrimum mundum, ab eo enim factum esse.* Id quod a Cicerone confirmatur: *Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quæsivit, aquam dixit esse initium rerum; Deum autem, eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Si Dii possunt esse sine sensu & mente, cur aquæ adjunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?* Sic Cicero; qui ita Thaletem interpretatur, ac si principium materiale juxta cum efficiente æternum statuat: quæ Thaletis quidem opinio minime fuisse videtur, qui Deum *antiquissimum omnium quæ sunt dixit*. Hoc interim verba Ciceronis evincunt, Anaxagoræ Mentem, quam materię jungens ille Philosophus, summam nominis celebritatem ex eo indeptus fuit, Thaleti jam fuisse cognitam, & ab eo ad Anaxagoram derivatam.

Laert. l. 35. Cic. de Nat. Deor. I, 10.

Affirmabat porro immutabili providentiæ suæ decreto mundum gubernare Deum. *Thales* (inquit Stobæus) *interrogatus quid fortissimum sit? Necessitas respondit, omnem enim mundum gubernat. Est vero necessitas providentiæ constans judicium & immutabilis potestas.* Huc omnino etiam pertinet, quod idem Stobæus Thaleti tribuit autori, *quod primus motor immobilis sit*, Aristoteli etiam, verum præterita autoris mentione, usurpatum.

Ecl. Phys. c. VIII. p. 10, adde

Laert. I. 36.

Physic. VIII. 7.

Ante eum de Deo quædam, sed manca ea admodum, ab *Orpheo* tradita fuerant, Clementi Alexandrino aliisque allegata. Verum, ut ex Cicerone audivimus antea, primus *Thales* fuit, *qui de talibus rebus quæsivit*. Ex Ægypto autem ista eum derivasse ne ipsi quidem Gręci diffitentur, inde enim Deorum suorum nomina sese accepisse agnoscunt, primosque esse concedunt Ægyptios, qui oculis in cœlum conversis, naturamque Universi admirati, divinæ naturæ diligentius animum adverterint.

Admon. ad Gent. p. 48. C

Herodot. Lib. 2. p. 69.

SECT. III.

De Dæmonibus.

Thales (Plutarcho autore) *cum Pythagora ac Platone & Stoicis* Dæmones *res spirituales esse defendebat, Heroas vero animos a corporibus separatos, eorumque duo esse genera, bonorum atque malorum. Heroas bonos animos esse bonorum, malos malorum.* Eundem ordinem Thaleti observatum testatur etiam Athenagoras, ita tres istas classes ex mente ejus disponens, ut primam Deorum mortalium, Dæmonum secun-

Plac. Philos. I, 8.

Athenag. Apolog. p. 25. & Laert. VIII, 8. 33.

† Stanlejus ultima Ciceronis verba expresserat ita: *Omnia cernere Deos*, intentionem Ciceronis & animum potius quam verba spectans. Namque eo animo Cicero omnia Deorum plena esse dicit, ut vereamur eos, coram res nostras intuentes. Id tamen lectoribus imponere poterat, ut *Thaletem* omnia nosse Deos hac sententia Ciceronem docuisse existimarent: Qui tamen hoc tantum dicit quod & alii Philosophi quidam, Empedocles, Pythagoras & rel. πλήρη omnia esse δαιμόνων, h.e. plena omnia esse præstantioris naturæ Spiritibus qui ea quidem intueantur, quibus pręsentes sunt, non omnia tamen propterea norint: conf. cap. seq.

eundam, tertiam Heroum faciat. Hoc Pythagoras etiam secutus fuit *Deos Dæmonibus, hominibus Heroes cultu præferendos esse statuens.*

Stob. Ec. Phys. c. I. p. 2. Aristot. De Ani. I. 8. Cic. de Leg. II. II. Laert. VIII. I. 32.

Defendebat item, Stobæo affirmante, *plenum Dæmonum esse mundum.* Idque etiam spectare Aristoteles creditur, loco a Cicerone repetito, Thaletem statuere inquiens *omnia, quæ cernuntur Deorum esse plena.* Eandem sententiam Pythagoræ Laertius tribuit, *plenum esse aerem universum animorum, qui Dæmones sint atque Heroes.*

de Myster. Sect. I. c. V. sq.

Eadem sententia ante *Thaletem* Græcos occupaverat, *Hesiodum* inprimis, An vero eo argumento negare liceat ab Ægyptiis istam doctrinam hausisse Thaletem, mihi dubitare fas esto. Eandem plane eorum extitisse opinionem ex Jamblicho discas licet. Præterea & Pythagoram & Platonem, quos Plutarchus jungit Thaleti, hujus sententiæ patronos, ex Ægyptiorum fontibus eruditionem hausisse constat.

SECT. IV.

De Anima.

Plut. de Plac. Philos IV. 2 Stob. Ecl. Phys. c. XL. p. 93. Aristot. de anima I. 2. Plato. L. X. de Rep. p. 894. sq.

PLutarchus pariter atque Stobæus affirmat primum fuisse *Thaletem*, qui αὐτοκίνητον *naturam seipsam moventem* animam esse dixerit. *Aristoteles* tradit κινητικὸν eum *animum* dixisse, ob motum, quem aliis rebus impertiatur, quo ipso utraque pars definitionis animi, quam Plato proposuit, absolvitur. Nempe quod *Animus res sit habens in se movendi & se ipsam & alias res potestatem*: Quam Plato definitionem isto argumenti genere ivit stabilitum: * *Inter motus species principem locum ille tenet, quo se ipsum quid movet.* ** *Quicquid vero se ipsum movet, vivit: Et quicquid vivit, hoc ipso vivit, quod seipsum moveat.* † *Potestas igitur seipsum movendi naturam absolvit ejus, quam animam vocamus, substantia.* †† *Hæc anima est origo generationis, motusque eorum, quæ sunt, fuerunt, & erunt, omniumque rursus his contrariorum: Quandoquidem & mutationis, & universi motus causam esse constat, & antiquiorem corpore, quod secundo motu impellit.* * Paulo post vero istos animæ motus nominat: *Velle, considerare, curare, consultare, recte & secus judicare, gaudere, tristitia affici, audere, timere, odisse amare &c.* ** *Primi isti motus, suscipientes secundos, qui corporei sunt, omnia in incrementum & decrementum perducunt, concretionem vel condensationem, & discretionem vel rarefactionem.* Hanc ipsam opinionem, a Thalete primum excitatam, aliquamdiu in Scholis *Pythagoræ, Anaxagoræ, Socratis & Platonis* consensus sustinuit, donec ab Aristotele effutcillaretur, sequentibus potissimum usus argumentis. *I. Nihil* moveri nisi quod in loco sit: nihil in loco esse nisi quantum: inque animam adeo, quæ quantum non sit, nullam quatuor motus specierum, nec lationem scilicet, alterationemque, nec

Stobæus. Ecl. Phys. L. I. c. XL. p. 93. Arist. de anim. L. I. c. IV.

---

* Notandum hæc, non αὐτολεξεὶ apud Platonem legi, sed ab Autore ex ejus X. libro de Republ. esse collecta. Memoria enim eum fefellit *Timæum* in margine allegantem. ** Respiciuntur verba Platonis T. III. p. 894. C. D. † Huc spectantia Platonis verba legas p. 895. C. †† Hic sensus est verborum Platonis p. 895. in fin. * Hæc sunt apud Platon. p. 896. A. B. Motus secundus vero ei est, qui ab alio in aliud fit, & cujus vi in seipso nihil movetur. Verbo: Motus mere *passivus*. ** Hæc p. 896. C. habetur, & quæ sequuntur p. 897. A.

nec diminutionem atque accretionem per se cadere posse. II. Animæ non competere natura sua ut a seipsa moveatur, cum res extrinsecus ei oblatæ eam, prout occasio ferat, impellant. In primo autem horum argumentorum si *locus* intelligatur de corporis circumscriptione, non tantum omnium rerum negandus erit motus, quæ, ut scholæ loquuntur, *definitive* in loco sunt, quales Spiritus omnes, verum etiam sphæræ cœlorum extremæ, si Aristotelea definitio *loci* illi sit applicanda. Porro quasdam motus species, diverso licet & extraordinario modo, animæ competere, non quidem prout occasio tulerit, vel ut in Scholis loquuntur *accidentaliter* tantum, concludere licet, vel ex anima seipsam latius, prout incrementa ceperit corpus, diffundente. III. Ex intelligentia, quam perfectionem esse concedunt omnes, speciemque adeo alterationis. Atque eam quidem Thaletem inter animæ motus censuisse, ex illo ejus effato apud Diogenem
Laert. I. 35. Laertium patet: *Velocissimum mens, nam per universa discurrit*. Unde &
Tusc. I. 20. Cicero, ipsis fere Thaletis verbis professus *nihil mente esse velocius*, & nullam celeritatem cum mentis celeritate comparari posse, Aristoteleam ἐντελέχειαν *continuatam motionem & perennem fuit interpretatus*. Contra secundum Aristotelis argumentum *memoria* atque *reminiscentia* actus quod excipiamus suppeditant. Prima enim rebus quidem excitatur externis, sed tamen *objective*, ut in scholis quidem loquuntur, tantum, ita ut motus quidem ab ipsa proveniat anima. Per *reminiscentiam* autem seipsam movet, atque a *privatione* procedit ad *habitum*, sine rei externæ adjumento.

Observationem meretur, inter ceteras ab Aristotele contra hanc Thaletis sententiam allegatas rationes, De anim I. 3. unam duci ex eo, quod *corpora resurgere* non repugnet, sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ tantum monendum duximus.

Ex altero eorum quæ ad animam definiendam adhibuit Thales (*quod scilicet res alias moveat*) colligere fas esse existimavit, animam *magneti* etiam & *succino* esse tribuendam. quod *ferrum* ille, ista *paleas* moveat. Laert. I. 24. *Inanimatis etiam* inquit Laertius *animas inesse putavit - conjiciens id ex magnete lapide & succino*. Cujus posterioris exempli rationem in eo ad Laert. l. c. male quærit *Aldobrandinus*: *quod* De anim. l. 2. *venenum sic aversetur, ut ejus tactu non solum mutato colore erubescat, sed etiam strideat*. Sed planius * Aristoteles; *Eorum quos memoravimus Thales animam videtur existimavisse* κινητικόν *quid esse, h. e. motum producere aptum, namque lapidi animam tribuit eo quod ferrum moveret*.

Animam porro hominis immortalem statuit, primusque qui ita statuit, si *Chœrilo* fides, extitit. *Pherecydi* hujus sententiæ natales tribuit *Cicero*, magis tamen verosimile est ex Ægypto eam Thaletem attulisse, fuisse enim eam Ægyptiorum sententiam Herodotum testem habemus. Laert. I. c. Cicer. Tusc. I. 16. Herod. I. 2. p. 87. init.

SECT. V.

De Mundo.

V*Nicum esse mundum*, Thales statuit, *a Deo conditum*, quam sen-

* Nihil video clarius quod de succino afferat Aristoteles, de magnete enim tantum loquitur, de quo eadem ratione mentem explicaverat Aldobrandinus. De succino nihil.

sententiam, verissimam certe, omnes, ipso Aristotele teste, amplexi Philosophi sunt, donec ab ipso ea rejiceretur, ut contraria approbata, falsam itidem de mundi æternitate tueri posset opinionem, quæ admitti, ut ipse fatetur, non potest, si initium eum habuisse admittatur.

Plutarc. Plac. Ph. II. 1. Laert. I. 35. Aristot. de Cœlo. I. 10. 12.

Dicebat porro Thales: *Pulcherrimum mundum, ut qui a Deo factus sit*, ejusque *partem esse quicquid apte ordinatum sit atque dispositum*, cujus rei causa, Plutarcho (*a*) teste, κόσμον primus mundum Pythagoras appellavit.

Laert. I. 35. *a* Plut. II. I.

Noctem ajebat *una prius extitisse die*: (*b*) Quam creationis circumstantiam Orpheus (*c*) quoque observavit, & *Hesiodus*, qui a Pheniciis id habuerunt. Hæc causa fuit computandorum à Germanis (*d*) Gallis (*e*) & Numidis (*f*) per noctes temporum.*

b Laert. I. c. *c* Timot. Chrong. ap. Scal. in Græc. Eusebi. p. 4. *d* Tacit. de mo-i. Ger. c. XI *e* Cæsar. de Bell. Gall. VI. p. 236. *f* Nic Damascen. ap. Stob. p. 293. Serm. 42.

Mundum docebat esse animatum, animamque ejus esse Deum, per omnes partes diffusum, cujus vis motrix divina aqua elementum penetret. Quod ita a Philosophis Hermeticis explicatur: ut divinus spiritus, mundum istum ex primis aquis producens, infusus quasi inspiratione continua rebus naturalibus, & per eas liberaliter diffusus, secretoque quodam & continuo actu omnia agitans, imo & singulas partes, prout tulerit ratio eorum, movens, universi hujus anima illis dicatur.

Laert. I. 27. Laert. I. 35. Plutarc. sept. Sap Conv. p. 153. C. Plut. de Plac. I, 18 Plut. I. c. c. 9.

Mundum loco contineri, id quod convenit cum illa *loci* definitione, qua *spatium* dicitur. Illi autem, qui, Aristotelem secuti, *locum* definiunt quod sit *superficies*, utut partes mundi in loco esse tueantur, totum tamen mundum in loco esse coguntur negare.

Plut. ib. c. 16. Plut. de Plac. Ph. II. 13.

Vacuum in mundo *non dari* statuebat, quam, observante Plutarcho, sententiam Philosophi probant omnes, qui animatum mundum esse, & providentia gubernari admittunt, contrarium tuentibus eis, qui ex atomis mundum coaluisse, esseque inanimatum, neque providentia regi defendunt.

Materiam fluxam esse atque *mutabilem*.

Corpora esse *rem patibilem* & in infinitum posse dividi.

Mistionem fieri *elementorum compositione* docuit.

Terrestris substantia esse stellas, sed tamen ignitæ. (*g*) Illi autem, qui ignitas stellas esse ajunt, in eam sententiam, Aristotelis judicio, (*h*) ex eo devenere, *quod totum istud corpus superiora occupans ignitum censeant esse*.

Lunam ejusdem cum sole dixit esse natura, * (*i*) *ab eo tamen lucem accipere*. Ejusque sententiæ primum autorem Thaletem faciunt Plutarchus & Stobæus, quamvis Eudemus, Theoni (k) allegatus, primum Anaximandrum ita sensisse statuat.

Lucis in noviluniis defectum in luna solam causam esse, ei propiorem, suisque radiis undiquaque eam circumfulgentem.

Unicam esse terram (*l*) *figura rotunda, globi instar habentem*, (*m*) *in medio positam mundi*: (*n*) *quo spectat, quod Cleodemus ei tribuit effatum*, (*o*) *confusionem id pariturum universalem*.

g Plutar. Plac. II. 13. Achill. Tat. Isag in Arat. p. 123. & Stob. Ec. phys. p. 53. *h* Arist. de cœlo II. 7. *i* Plut. Plac. II. 28. Stob. Ec. phy. p. 60. *k* conf. Voss. de S. Math. p. 147. Theoni & Eudemo contradicit Stobæus Ec. phys. p. 59 testatus propriū Lunæ lumen Anaximandrū tribuisse. *l* Plut. de Plac. III. 9. *m* Plac. Philos. III. 10. *n* Plut. ib. c. II. *o* ap. Plu. Sept. Sa. p. Conv. p. 158. C.

* Idem quoque Atheniensibus in more positum teste Censorino de die Nat. c. XXIII quos hic a Stanleio prætermitti minime par erat.

* Priora quidem ista apud Plutarchum & Stobæum non lego, ex quo tamen a Stanleio allegantur, nescio unde depromta, forte spuria plane.

lum, si terra ex mundo tollatur.

Ventis etesiis Nili deberi exundationem putavit, (*a*) qui canicula exoriente post æstivum solstitium spirare occipiunt, atque, Aristotele (*b*) autore, ex septentrionibus surgentes, versus remotiores plagas procedunt.

a Laert. I. 37.
b Meteor. II. 6.

Ei, ut Plutarchus ait, *adversa fronte in Ægyptum irruentes, ut intumescant aqua efficiunt, ita ut mare ventis excitatum ostia fluvii subire necesse sit, atque adeo impedire eum, ut libere in mare sese effundere nequeat, sed retrocedere cogatur.*

Quo facto, ut Diodorus Siculus addit, (*c*) *Ægyptum inundat, cujus valde depressum est solum. At ea, licet simillima vero videatur, facile tamen exploditur ratio. Vera enim ea si esset, omnes fluvios in mare desinentes, Etesiis oppositis ventis simili modo exundare oporteret.* Atque ita Diodorus philosophatur in egregia de hoc argumento disputatione, quam Agatharchidæ opinione allegata concludit, esse nempe Nili exundationem a pluviis, ex Æthiopiæ montibus delabentibus.

c de Plac. L. IV. c. 1.
d Diod. Sic. L. I. d. 35.

CAP. VII.

De Geometria Thaletis.

Florid. L. IV. p. 28. ap. Laert. L VIII. S. 11. De Vita Pythag. I. 2.

APulejus, qui *Geometriæ penes Grajos primum repertorem* Thaletem appellat, magis ejus manibus æquus esse videtur, quam Anticlides & alii, qui ejus inventi gloriam vel Mœridi vindicant, vel ipsi Pythagoræ, qui tamen Iamblicho, Pythagoræo, fatente, a Thalete Mathematica accepit. Origines scientiæ & progressus, ad eum usque perfectionis gradum ad quem a Pythagora subvecta fuit, (id quod erroris de inventione ejus extitit causa,) a Proclo istis quidem verbis exponitur.

Geometria Ægyptiis origines debet, initiis ex agrorum mensuratione ductis, qua carere illi ob Nili illuviem haut poterant: ea enim terminos quibus agri cujusvis terminabantur dissipabat. Nec mirum istam æque ac alias scientias, commoditati origines debere & opportunitati. Nempe procedit, ut de generationibus dici solet, ab imperfectione ad perfectionem. Estque adeo rationi consentaneus a sensu ad considerationem, & a consideratione ad intelligentiam, progressus. * *Quemadmodum apud Phœnicios igitur, mercatura invitante, certa numerorum ratio initia accepit; Ita apud Ægyptios Geometria ea, qua diximus, occasione reperta fuit. Thales autem, in Ægyptum delatus, primus inde hanc scientiam ad Græcos derivavit. Multa & ipse invenit, suosque discipulos variarum rerum principia edocuit, generalius alia, alia specialius explicans. Proximus ei memoratur, qui Geometrica attigerit* **, *Ameristus, Stesichori Poetæ frater, cujus & apud Hippiam Eleatem mentio est, tanquam in ea arte excellentissimi. Post illos Pythagoras, a primis initiis philosophiam, eo spectantem, persecutus, eam in liberalis disciplinæ formam redegit.*

In Euclid. L. d. I. p. 19. Ed Herv.

SECT. I.

Propositiones ab eo inventa.

GEometriam ab Ægyptiis acceptam, variis eum, ut Proclus innuit, propositionibus auxisse, a Dio-

* Lacuna hic supplenda: καὶ ἀπὸ τοῦ λογισμοῦ εἰς τὸν νοῦν ἡ μετάβασις, quod expressit etiam in versione sua Barocius.

** Lege: τοὺς ἐφαψάμενος τῆς περὶ γεωμετρίας σπουδῆς μνημονεύεται STANLEY. Nempe in edd. vulg. legebatur ὃς ἐφαψάμ.

Laert. I. 24.

Diogene Laertio quoque confirmatum habemus, testante, *eum maxime promovisse, quæ Callimachus, in Iambis, Euphorbum Phrygem invenisse ait, videlicet Scalena trigona &c.* Nec dubitare fas est, quod complures earum ab Euclide Elementis suis inserta fuerint, cujus iste erat scopus, ut ab aliis inventa colligeret atque digereret, accuratiore addita earum demonstratione, quę superficiarie probata hucusque fuerant. Ex his Thaletis esse sequentia constat.

Euclid. L.. Def 17. Procl. in Eucl. I. L. II. p.44. Ed Heru. Euclid I. I. prop. 5. In Eucl. 1. L. III. p. 67. fin. τὰς ἴσας ὁμοίας

I. *Quivis Diameter circulum bifariam secat.* Hanc propositionem, quæ pars est definitionis Diametri apud Euclidem, a Thalete primum demonstratam esse Proclus affirmat.

II. *Triangulorum Isoscelium anguli ad basin sunt inter se æquales: & productis æqualibus rectis, anguli sub basin erunt inter se æquales.* Hoc quoque inventum perinde ac alias multas propositiones Thaleti nos debere, Proclus ait. Illum enim primum & observasse & docuisse, Isoscelis cujusvis angulos ad basin æquales esse, atque stylo antiquo *similes æquales* appellasse.

Euclid. L. I. prop. 15. ap. Procl. l. c. p. 79. fin.

III. *Si duæ rectæ sese mutuo secent, angulos ad verticem facient inter se æquales.* Hoc theorema, teste Eudemo, primus invenit Thales, primus demonstravit Euclides.

Eucl. L. I. prop. 26. Proclus lib. cit. p. 92. med.

IV. *Si duo triangula duos angulos duobus angulis æquales habeant alterum alteri, unumque latus uni lateri æquale, vel quod æqualibus adiacet angulis, vel quod uni æqualium angulorum subtenditur & reliqua latera reliquis lateribus æqualia; alterum alteri, & reliquum angulum reliquo angulo æqualem habebunt. Istud Theorema*, verba Procli habes, *Thaleti tribuit Eudemus, cum enim quam longe a littore distent naves mari acta indicaverit, & eo quidem, quem referunt, modo, hujus id præstiterit theorematis ope necesse est.*

Laert. I. 24.

V. *Pamphila*, citante Laertio, *testatur, primum descripsisse in dimidio circulo triangulum recto angulo.* Atque ea autoritate motus Ramus in Geometr. Thaleti II, III, IV, & V. propositionis, Libri IV. Euclidis, inventionem tribuit: quæ propositiones agunt de triangulo cum circulo conjungendo, adeoq; vocem καταγράψαι apud Laertium, tam de circumscribendo, quam de inscribendo triangulo in circulo accepit. Attamen in omnibus propositionibus illis nihil est, quod *triangulo recto angulo* conveniat: ut omnino si retinenda sit vox ὀρθογώνιον ad XXXI. propositionem Libri III. ista Laertii spectent potius, ex qua descriptio *trianguli recto angulo* in circulo derivari potest. Sed tamen quoniam nulla ejuscemodi propositio apud Euclidem invenitur, relatioque illius, quem allegavimus ad istud theorema, obscura admodum est & partialis tantum; mendi suspectus sit Laertii textus, videturque casu in eum irrepsisse vox κύκλῳ, qua omissa verba Laertii: καταγράψαι τὸ τρίγωνον ὀρθογώνιον exacte respondent Vitruvianis illis, *Pythagoricum trigonum orthogonium describere*; quibus *respicit, ut alibi latius explicavit, XLVII. Propositionem primi libri Euclidis: In rectangulis triangulis quadratum, quod a latere rectum angulum subtendente describitur, æquale est quadratis, quæ a lateribus rectum angulum comprehentibus describuntur.* Hoc ipsum vero quod Vitruvius, Proclus atque alii Pytha-

L. X. c. 11. L. IX. c. 1.

gorae

gorae hoc Theorema tribuant, argumento est a Laertio illud heic respici, qui addit Thaletem ob illud inventum *bovem immolasse*. [Laert. L. VIII. s. 12.] *Quamvis alii*, ut addit idem, *Pythagorae id adscribant, in quibus etiam est Apollodorus*. Et in Pythagorae vita ex eodem Apollodoro refert, *hecatomben immolasse Pythagoram cum invenisset trianguli, quod ὀρθογώνιον appellant, subiectum recto angulo latus tantundem valere, quantum quae illum continerent*, & esse epigramma:

Pythagoras quondam Dis fecit nobile sacrum,
Inventa est illi linea quod celebris.

[Cic. L. III. de Nat. Deor. extr.] Cicero ex alio licet autore id referens, cum Laertio tamen in sacrificii pretio* consentit, *Pythagoras*, inquiens, *cum in Geometria quiddam novi invenisset, musis bovem immolavisse dicitur*. [ap. Procl. ad Eucl. I. L. 2. p. 31.] Quod gratitudinis genus, a Thalete primum observatum, alii imitabantur, ** Perseus inter alios, qui ita de se ipso:

Spiralem inveniens Perseus in segmine quino
Ternam, nunc gratus mactat opima Deis.

SECT. II.

Ut metiri Pyramidem instituerit.

[a Polyh. c. 32. f. b Idyl. X. v. 313. c L. XXII. c. 15. p. 338. d Var. VII. form. 15.] Aegypti pyramides, a Solino, (a) Ausonio, (b) Ammiano Marcellino (c) & Cassiodoro (d) nullam plane promittere umbram dicuntur, quod, Greavio observante, in excellentissima de hoc argumento dissertatione, vel aestivo tempore vel quod verosimile est magis, de tempore meridiano per tres anni partes, accipiendum videtur.

Nam ex umbra ejus altitudinem metitum Thaletem esse, apud omnes constat. [ap. Laert. I. 27.] Hieronymus autor est, *mensum eum esse Pyramides umbram observando, quando nobis aqua est magnitudine*. Plinius affirmat: [Plin. L. XXXVI. Sect. XVII.] *Mensuram altitudinis earum, omniumque similium deprehendere*, eum *invenisse, umbram metiendo, qua hora par esse hominibus solet*. Plutarchus tamen regulis artis magis conformem, magisq; accuratam descriptionem dedit modi, quem in ista operatione Thales secutus fuit: [Conviv sept. sap. p. 147.] *Scipione ad umbra quam jaciebat Pyramis, finem erecto, ac tactu radiorum solis duo triangula constituente, demonstrabat altitudinem Pyramidis ad Scipionis altitudinem ea esse proportione, quam umbra illius ad hujus umbram haberet*. Quae adeo rationi consentanea est demonstratio, ut communissima haec inde sit via metiendi altitudines ex umbris, quę isto nititur theoremate: *Aequiangulorum triangulorum proportionalia sunt latera, quae circum aequales angulos, & homologa sunt latera, quae aequalibus angulis subtenduntur*. [Euclid. L. VI. prop. IV.] Quod Thaleti adscripturum Proclum fuisse, nolim dubitare, si ad VI. tum usque librum Euclidis commentarium suum ei continuare licuisset. Quae argumenti enim vis est, quo Eudemus Theorematis quarti, sectione praecedente propositi, eum probat esse autorem, cujus ope distantias illum invenisse ait: ea quoque vis ejus est, quod a

 mensura

* *In Sacrificii pretio*, quod nempe Laertius indicat in vita Thaletis S. 25. Nam de Hecatomba, quo numero Sacrificium Pythagorae ille definit, in vita Pythag. L. VIII. s. 12. apud Ciceronem invenies nihil.

** Epigramma illud haut dubie ita apud Proclum legendum:

Τρεῖς γραμμὰς ἐπὶ πέντε τομαῖς τὰς σπειρικὰς εὑρών.
Πέρσευς τῶν δ' ἕνεκα δαίμονας ἱλάσατο.

In primo versu male editum: εὑρὼν τὰν σπειρικὰν.

mensura altitudinum petitur, ut probetur istius, de quo agitur, theorematis eum autorem extitisse. Ceterum magnæ pyramidis altitudo, quam mensus Thales fuit, si ex perpendiculo æstimetur, juxta Greavium pedum est CCCCXCIX, si ex declivi judicetur adscensu, pedum est DCXCIII.

CAP. XVIII.

De Astronomia Thaletis.

a Vid. Lucian. π. ἀστρολογ.
b ἐν τῇ βίβλῳ ἡ μεγάλων ἀστρολογ. δὲ πόσα; Tzetz II. XII. v. 174.
c Plato in Epinom. adde Theon. in Mathemat. Platon. c. I. p. 11. ap. Laert. I. 23. Plin. H. N. L. V. c. 13. Aristot. de Cœlo. II. 12.

FAbulis omissis de Orphei lyra, septem Planetis subludente (a) Hesiodi (b) item, quæ vix ultra ortus & occasus majorum quorundam stellarum procedebant observationibus, imperfectis adeo, ut omnes eos qui superficiali illa contenti scientia vivunt, indolis Hesiodeæ Astronomos appellet Plato; (c) tuto cum Eudemo atque aliis affirmabimus, *Græcorum primum, qui Astronomiæ fuerit peritus, Thaletem extitisse*. Quam ex Phœnicia allatam scientiam Plinius esse affirmat. Si Aristoteles est audiendus, magnam ejus scientiæ partem Ægyptiis Græci debent, ubi diu illa exculta fuerat. Atque eo sane iter se instituisse Thales fatetur, ut cum Astronomis sibi versari liceret.

SECT. I.

De Sphæra Cœlesti.

Thal. Ep. ad Pherec. apud Diog. Laert. I. 43. De Plac. Philos. II. 11.

THales & Pythagoras (verba sunt Plutarchi repetita apud Stobæum) *eorumque Sectatores, cœlum in circulos quinque dividunt, ipsi Zonas appellant, nomina eorum sunt, Arcticus, qui semper est conspicuus: Tropicus æstivus: Æquinoctialis: Tropicus brumalis: Antarcticus, semper occultatus nobis. Horum tribus mediis substernitur obliquus, singulos attingens, cui Zodiaci nomen est. Omnes autem isti a meridiano, per septentriones in oppositam ducto partem, medii finduntur*. Male igitur Zonarum inventionem Parmenidi tribuit Posidonius: Zodiaci vero obliquitatem Anaximandro, Pythagoræ, vel Ænipodi alii nonnulli.

Strabo L. II. p. 94. D.

Tropicos eum primum Eudemus, Laertius solis *accessum a puncto conversionis ad punctum conversionis* invenisse ait. Vox enim τροπαὶ apud Laertium non solstitialem tantum locum, sed & æquinoctialem notat. Ita Sextus Empiricus. *Tropica signa sunt, per quæ sol delatus mutationum & conversionum in aere causa est. Tale signum aries est, eique opposita libra: similiterque Capricornus & Cancer. In ariete enim verna fit conversio, hyberna in Capricorno, æstiva in cancro, in libra autumnalis*. Firmat hancce explicationem Laertius; *Duos solum libros Thaletem composuisse de conversionibus & æquinoctio, eumque anni tempestates divisisse*, testatus.

Diogen Laert. I. 24.

adv. Mathem. I. p. 111. D. D.

L. I. Sect. 23.

SECT. II.

De Sole, Luna & Stellis.

PRimus apparentem Solis Diametrum, qui angulus est in oculo formatus, DCCXX^mam^ orbitæ ejus partem esse observavit. Eam enim haut dubie istorum Diogenis verborum sententia est, καὶ πρῶτος τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος τοῦ σεληναίου ἑπτακοσιοστὸν καὶ εἰκοστὸν μέρος ἀπεφήνατο: qua lectione ex qua solem septingenties vigesies a luna superari magnitudine, conficitur, nihil ridiculum magis esse potest. Cum enim, quod in confesso est apud omnes, eclipsium causam non ignoraverit Thales, solem luna esse majorem ignorare haut potuit.

L. I. S. 24.

Nec

Nec multo meliorem hunc textum fecere, qui legunt: καὶ πρὸς τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος τὸ τοῦ σεληναίου. Textus vocem ζωδιακοῦ pro σεληναίου sibi deposcere potius videtur, vel aliam, quæ similem vim habeat; quo spectant Archimedis ista: *hoc supponimus, quando Aristarchus ait, solem apparere ea magnitudine, qua sit DCCXXa pars Zodiaci; animum enim intendebat, ut instrumentorum ope angulum inveniret; apparente solis Diametro in oculo formatum: Verum difficile est accurate tale quid assequi: Neque oculus enim, neque manus, neque instrumenta, quibus observatio peragitur, fidem habent, sufficientem exacta demonstrationi.* Quam quidem correctionem Apuleius confirmavit istis: *Idem sane* (Thales) *jam proclivi senectute, divinam rationem de sole commentus est: quam equidem non didici modo, verum etiam experiundo comprobavi: quoties sol magnitudine sua circulum, quem permeat, metiatur. Id a se recens inventum Thales memoratur edocuisse Mandryatum Prienensem, qui nova & inopinata cognitione impendio delectatus, optare jussit, quantam vellet mercedem sibi pro tanto documento rependi. Satis, inquit, mihi fuerit mercedis, Thales sapiens, si id, quod a me didicisti, cum proferre ad quospiam cœperis, tibi non adsciveris, sed ejus inventi me potius, quam alium repertorem prædicaveris*

In Arenar. p. 451.

Florid. L. IV. p. 29.

Primus idem Ursæ minoris sidus invenit, Callimachus: †

Plaustri notasse dictus est minusculas Stellas, periti queis navigant Phœnices.

Hyginus affirmat illud ἄρκτε nomine ab eo primo insignitum fuisse.

ap. Laert. I. 23. Achill. Tat. Isag. in Arat. p. 123. Hygin Poetic. Astron. c. II. fin.

SECT. III.

De Eclipsibus.

PRimum Thaletem, Laertius ait, *Eclipses antea prædixisse, prout Eudemo traditum in Astrologica Historia, eoque Xenophani & Herodoto maxime in admiratione fuisse, idque ipsum Heraclitum quoq; Democritum. que testari.* Eundem Eudemi locum * Theon Smyrnæus quoque & Clemens Alexandr. allegavere. Geminaque Plinius habet: *apud Græcos autem investigavit primus omnium Eclipses* Thales.

Laert. I. 23.

Plutarchus, *primum eum extitisse*, ait, *qui solarem Eclipsin observaverit, ejusque causam lunam prodiderit esse, qua linea recta ei subiiciatur, id quod in vase aqua repleto, vel speculo liceat observare, Luna vero Eclipsin umbram terræ efficere, quæ posita inter utrumque sidus, id quod minus est, obscuret.*

Theon. ap. Voss. de scient. math. p. 145. Clem. Strom. I. p. 302. A. Plin. H. N. L. II. S. 9. De Pl. c. II. 24. ib. c. 28.

„Herodoti ea de re testimonium, „quod Laertius respicit, istud est: „Quinquenne inter Lydos & Medos ortum erat bellum, in quo „modo Medis Lydi, modo Lydis Medi fuere superiores. Unum nocte „commissum prælium fuit. Cumque „adeo æquo hucusque Marte bellum fuisset gestum, sexto anno adversis cum concurrerent aciebus, „in media pugna evenit, ut in noctem verteretur dies. Quam diei

Herodot. L I. p. 19. Laert. I. 23.

 „im-

† Hos versus Callimachi auctiores duobus ad Manilium p 40. ex Achille Statio allegaverat Scaliger, ut non habeat Menag. ad Laert. p. 13. cur hæsitet unde eos ille deprompserit.

* Proclus vero in IV. primi Euclidis Thaleti hoc ab Eudemo tribui ait, ἐν γεωμετρικαῖς ἱστορίαις. Verum potuit idem utroque in opere dixisse, vid. Voss. de Hist. Gr. L. III. p. 365.

„immutationem Thales Milesius „Jonibus prædixerat, anno quo- „que, quo eventura ea esset, indi- „cato. Lydi vero Medique diem in „noctem verti videntes, pugna de- „sistebant, pacisque consilia ini- „bant: quæ etiam Syennesi, Cili- „ciæ Rege, & Labyneto Babylonio „(quem Nebucadnezarem esse pu- „tat Scaliger) conciliantibus con- „clusa fuit, pactis Argenidis, fi- „liæ Aligaltæ, cum Astyage, Cya- „xaris filio, nuptiis, fœdereque „utrinque hausto *sanguine firmato*.

ad Eu seb. p. 91. b.

Atque ea est de memorabili illa eclipsi narratio, cujus incertum est tempus. Plinius eam ad annum quartum refert Olympiadis XLIIX. ante V. C. anno CLXX. Solinus ad Olympiadem XLIX, anno post Trojam evastatam DCIV, qui est primus ejus Olympiadis annus. Clemens Alexandrinus Eudemi autoritate, circa L. Olymp. eam contigisse ait, Cyaxare Astyagis parente Mediæ obtinente regnum, & Alyatte, patre Crœsi, regnante in Lydia. Eusebius: anno II, Olymp. XLVIII. qui est post Abrahamum MCCCCXXX. Cleomedes totalem fuisse in Hellesponto ait, Alexandriæ vero X. digitos orbis solaris eam occupasse. Ioh. Antiochenus aliquot horas eam durasse ait, sed tamen tribus horis amplius illud temporis spatium esse nequit.

L. II. S. 9. Vide Scaliger. ad Eus. p. 89. Str. I. p. 302. A. L. VI. p. 193.

Diversas Eclipseos illius a recentioribus redditas rationes, sequentes habemus. Ricciolus eam in annum ante C. N. DXXCV. reiicit, cujus mense Majo, die XXVIII, circa sextam a meridie horam contigerit, digitos orbis solaris occupans XII. min. LVI. Calvisius eam contigisse ait ante C. N. anno DCVII, Olympiadis XLIV. anno IV, a Plinio XVIII annis diversus. Jac. Usserius Regno Cyaxaris eam dicit apparuisse, Olympiadis XLIV, anno IV, Nabonassareo CXLIV, die IV. mensis Ægyptiorum Pachon, juxta Calendarium Julianum Septembr. die XX, feria I. Initium ejus post solis ortum H. I. minut. III, secund. XXV. ad digitos obscuratio pervenit IX, duratio Eclipseos duarum horarum. Dion. Petavius Olympiadis XLV. ann. IV. eam attribuit, qui est Periodi Julianę MMMMCXVII, ante C. N. DXCVII, V. C. CLVII. Julii diei IX, feriæ III. initium constituit post noctem mediam H. IV, min. XLV: Eclipsin occupasse orbis solaris digitos IX. min. XXII. durationem ejus fuisse horarum duarum integrarum. Petavium Rocca confutat, quod ejus calculus rei gestæ minus aptus sit circũstantiis, dũ initium eclipseos in summũ mane incidisse dicat, nec magnitudinem Eclipseos quantam in Ponto & Asia minore habuisse oporteat, assequatur. Lansbergius in anno III. Olymp. XLVIII. eam collocat, qui sit Nabonassaris CLXIII, die XII. Tybi, quæ sit Maii XXVIII, digitos occupasse Eclipsin XII, min. XX. in Hellesponto, Alexandriæ vero digitos X, min. XII. Keplerus, Scaliger, Buntingus & Salianus Plinii sequuntur autoritatem: digitos exæquavit, juxta Buntingum, eclipsis XI, min. XXX.

Qui dissensus tam varius an ab astronomorum proveniat incertis calculis, an Chronologorum potius rationibus incongruis, non facile est definire.

SECT. IV.

De Anno.

THaletem anni etiam tempestates distinxisse, Laertius (*a*) ait, primumque mensis ultimam τριακάδα h. e. trigesimam appellasse, (*b*) annumque in dies divisisse CCCLXV. (*c*) Eas anni rationes ab Ægyptiis accepisse videtur, ubi usu receptæ illæ fuere, ita fere ab Herodoto expositæ. „Primi mortalium „Ægyptii annuam periodum adinvenere, XII. mensibus eam distinguentes: & hæc compererunt „ex astris, qui eo prudentius, ut „mihi videtur, hoc agunt, quam „Græci, quod Græci quidem tertio „quoque anno intercalarem mensem introducunt temporum gratia; Ægyptii vero numero tricenorum dierum, quibus XII. menses „taxant, addunt quotannis V. dies, „unde eis ratio circuli temporis „constat eodem redeuntis.

a L. VIII. f. 27. *b* ib. L. VIII. f. 24. *c* ib. f. 27.

Herodotus L. II. p. 57.

Atque hic sequiore ævo Ægyptius annus appellatus fuit, forte quod Ptolemæus eo uteretur, qui in Ægypto vitam egit, ut distingueretur ab anno Juliano, in omnibus partibus Occidentis tum recepto, sex horis insuper aucto. Perfectissima vero Gregoriani anni est ratio, CCCLXV diebus, quinque horis, min. XLIX. & secund. XII, absoluti.

SECT. V.

Astrologicæ Thaletis Prædictiones.

ASTrologiæ addictus studiis quod esset Thales, multorum reprehensionem meruit. Dum nocte aliquando a vetula, Thressa, qua ancilla utebatur, domo eductus, * sideribus intentus esset, in puteum prolapsus est. Qua de re cum querulus eam compellaret, an putas, illa ajebat, o Thales, cœlestia te posse assequi, dum vel ea, quæ ante pedes sunt tuos, ignoras. Nec amici ei parcebant, quod hæc studia opibus anteponeret, ipsi quoque arti detrahentes, tanquam nihil emolumenti sui studiosis afferenti. Contra quos tamen & se & artem defendebat, eo quem Aristoteles exponit modo: „Pauperiem nempe ei exprobrantibus nonnullis, quodque nulli rei „utile sit Philosophiæ navatum studium dictitantibus, præsensisse „eum ajunt Astrologiæ beneficio, „uberrimam fore olearum messem, „dum hyems adhuc esset, *antequam* „*florere cœpissent*, ut Cicero habet: „datoque adeo pignore, cum exiguæ oppido ejus essent facultates, „omnia Mileti & Chii parvo pretio „redemisse oliveta, nemine alio licitante. Tempore vero, quo maturescunt, adventante, cum multi oleas avide quærerent & festinanter, quo vellet pretio eas divendentem eum, magnamque pecuniæ vim hoc ipso colligentem, „ostendisse, quam opes parare philosophis, si velint, sit facile: Non „esse autem opes hoc, quod ipsi „quærendum sibi existiment. Huc vero Plutarchus etiam respicit mercaturam a Thalete exercitam esse quando affirmat.

Plat. Thalet. T. I. p. 174. A.

adde Iamblich. protr. c. XIV. Laert. L. I. f. 34. Aristot. Polit. I. II. adde Plin. XVIII. f. 68. Laert. I. 25.

L. I. de Div. c. 49

Plut. Vit Solon. p. 79. F.

CAP. IX.

Apophthegmata Thaletis.

APophthegmatum ejus primo loco ea sunt commemoranda, quа-

B 3

* Ædibus eduxisse ancillam ad nunc siderum contemplationem Thaletem, scriptorum allegatorum dicit nemo, colligas tamen id licet ex Anaximenis ad Pythagoram Epistola apud Laert. L. II. Section. 4.

Conviv. Sept. Sap p. 153. A. quorum occasionem Plutarchus ita fere exposuit: Amasis Ægyptiorum Rex cum Æthiopum Rege de sapientiæ præstantia certamen iniverat, istasque ei solvendas proposuerat quæstiones: Quid *antiquissimum*? quid *pulcherrimum*? quid *maximum* quid *sapientissimum*? *communissimum*? item quid? *utilissimum*, *noxiumve* maxime? quid *potentissimum*? quidve *facillimum*?

Respondebat Æthiops: *Antiquissimum* tempus: *Sapientissimum* veritas: Lux *pulcherrimum*: Mors *communissimum*: *Utilissimum* Deus: *Noxium* maxime Dæmon: Fortuna *potentissimum*: *facillimum* id quod lubenter quis facit.

„Interrogavit ergo Niloxenum „Thales, an iis contentus Amasis „effatis fuerit. Nempe Niloxenum „in Græciam miserat Amasis cum „aliis quæstionibus, a Sapientibus „solvendis; qui quædam eum approbasse, quædam minus; respondit. Tum Thales, & tamen, inquit, „eorum nullum est, quod erroneum „non sit, atque ignorantiam haut „prodat. Quantum ad primum „enim quomodo tempus *antiquissimum* esse defendi possit? cum „ejus pars elapsa jam sit, pars præsens sistatur, tertia deinceps sit „futura. Id, quod futurum est „enim, magis quam res ac homines, „qui nunc sunt, novum esse oportet. Porro, *Veritatem* eandem cum „sapientia esse, affirmare, nihil est „aliud, quam si dicas, unum esse „lucem & visum. *Si pulchram* autem „lucem esse putat, cur solis obliviscitur? Quæ de Deo, & Dæmone „respondit, audaciam sapiunt, neque carent periculo. Quod de fortuna ait, plane probabile non est: „si tanta enim ejus *potentia*; quid „est quod mutatur tam facile? Neque Mors *communissima* est, non „enim *communis* est viventibus. „*Antiquissimum* omnium Deus est, „initium enim non habet, neque „natales ullos. *Maximum* mundi „spatium cetera continet omnia, * „spatium mundum continet. *Pulcherrimum* mundus, quicquid enim concinne ordinatum est, pars „ejus existit. † *Sapientissimum* tempus est, omnia enim hucusque inventa detexit, detegetque posthac „invenienda. *Communissimum* spes „est, ea enim iis quoque relinquitur, quibus cetera pereunt omnia. „*Utilissimum* virtus est, ea enim omnia ut utilia sint efficit, atque proficua. *Noxium* maxime vitium est, „omnia enim bona corrumpit. *Potentissimum* necessitas est, sola enim „ea vinci nescit. *Facillimum* est, „quod naturæ est consentaneum, „ea enim etiam, quæ volupe nobis „sunt, sæpe repudiantur, molestaque nobis evadunt. Stob: Ser. c. IX etiam ap: Stob. Ser II.

„Istis Apophthegmatibus sequentia accedunt ex Laertio Diogene: I, 35. „Velocissimum mens est, nam per „omnia discurrit. Nihil mortem a „vita differre affirmabat: quæsitusque, quare non moreretur igitur? „quia nihil differt, respondit. Sciscitanti cuidam, utrum prius esset „nox

* Hæc non paulo clarius apud Plutarchum enunciantur τί μέγιστον; τόπος· ἄλλα μὲν γὰρ ὁ κόσμος, τὸν δὲ κόσμον οὗτος περιέχει. Quæ ita debebat exprimere Stanleius: *Maximum spatium: Omnia enim mundus; Mundum spatium continet.*

† Hæc rectius percipiuntur & concinne magis proponuntur lingua Græca, qua κόσμος, quem mundum nos dicimus, *ordinem* notat, & *decorum*, unde eleganter τοῦ κόσμου μέρος dicitur πᾶν τὸ κεκοσμημένον.

„ nox an dies? Nox, ait, una prior „ die. Interrogante alio, lateretne „ Deos homo male agens? ne cogi- „ tans quidem, respondit. Percon- „ tanti adultero, an juraret non „ commisisse se adulterium? perju- „ rium, ait, adulterio est deterius: „ Interrogatus quidnam esset diffi- „ cile? se, inquit, ipsum noscere: „ quid contra facile? alteri obno- „ xium esse (a): Quid suavissimum? „ consequi quod velis: Quid divi- „ num? quod principio caret & fine? „ Ex itinere redux, quidnam esset „ eorum, quæ vidisset, acerbissi- „ mum? senex, infit, Tyrannus: quo „ pacto adversæ fortunæ impetus „ quispiam ferat facillime? Si inimi- „ cos, ait, videat deterius affectos: „ quomodo optime ac justissime vi- „ tam acturi simus? Si quæ in aliis „ reprehendimus ipsi non faciamus: „ Quisnam felix sit? qui corpore sa- „ nus, fortuna locuples, animo non „ ignavus sit.*

(a) ὑποτίθεσθαι quod vertunt ap. Laer. *alteri consilium dare.* Plutarc. Conv. VII. sap. p. 147. A.

Conviv. sep. Sap. p. 160. D. ib p. 149. E.

Addit ista Plutarchus: „ Efferenda esse ea, quæ sunt probabilia, „ reticenda incredibilia. Amicis e- „ tiam ea, quæ fidem excedunt, cre- „ denda esse, hostibus, etiam ubi „ credibilia narrant, fidem derogan- „ dam. Periandro multum turbato „ ob monstrum quoddam, a juvene „ sibi oblato, equa nato, capite e- „ quino, reliquo corpore humana „ forma; Thales eum monuit, non „ expiationibus hic opus esse ob ea, „ que portenderet monstrum. Nem- „ pe ego (inquiebat) autor tibi fue- „ rim, ut hanc tibi legem dicas, ne „ equisonibus utaris, nisi matrimo- „ nio junctis.

„ Sed & ista Stobæus habet: Inter- „ rogatus quid verum mendacio di- „ stet? tantum respondit, quantum „ auribus oculi. Difficile est, sed bo- „ num, sese noscere ipsum, hoc enim „ est naturæ consentaneam vitam „ agere.

Serm. XII.

„ Morum præcepta ab eo tradita, „ hoc modo a Demetrio Phalereo re- „ præsentata habemus: Sponsor fias, „ noxa præsto est. Amicorum tum „ præsentium tum absentium memi- „ neris. † Faciem reddere nitidam „ & speciosam non laborabis, sed „ mentem. †† Ne sis dives improbe. „ Nullum tibi excidat verbum, quod „ te in suspicionem adducat apud „ eum, cui fide es obstrictus. Pa- „ rentibus blandus esto. Malum non „ admitte. Qualia tu contuleris in „ parentes, talia prorsus a tuis li- „ beris, senex cum fueris, expecta. „ Suavissimum est desiderio potiri. „ Molesta res est otium. Noxia est „ intemperantia. Imperitia intole- „ rabilis. Doce ac disce meliora. „ Otiosus ne fueris, ne si locuples „ quidem fias. Domestica mala cela. „ Fac ne invidiæ vitandæ causa mi- „ serabilis fias. Modum adhibe. „ Non omnibus crede. Si imperes, „ teipsum rege. „ Ea sequor Stobæi Exemplaria, quæ Thaleti tribuunt ista, potius quam illa, quæ Pittaco ea adscribunt, quoniam ea maximam partem ad Thaletem Laertius quoque refert.

Serm. CIV. Stob. Ser III.

μή σε διαβαλλέτω λόγος πρὸς τοὺς πεπιστευκότας

εὐτυχίαν legit Stanlei. meum exempl. habet τυχίαν Sed probabilior prior lectio.

Ista vero Ausonius in metrum re- degit,

* Alia quædam apud Laertium subjunguntur, propterea haut dubie prætermissa Stanlejo, quod eadem omnia in paulo post allegandis ex Demetrio Phalereo recurrant.

† Eadem sententia, paulo ante ex Laertio fuit allegata.

†† *Sed mentem.* In Græco est ἀλλ' ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασι ἴσθι καλός, *in studiis pulcher esto.*

L. I. s. 34. Aus. p. 112. degit, Thaletis inscripta nomine:

Turpe quid ausurus, te, sine teste, time.

Vita perit, mortis gloria non moritur.

Quod facturus eris, dicere sustuleris.

Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.

Quum vere objurgas, sic inimice juvas.

Quum falso laudas, tunc & amice noces.

Nil nimium satis est, ne sit & hoc nimium.

a Laert. I. s. 40. b apud Clem. Al. Str. I. p. 300. B. c Hygin. Fab. c. XXI. d Laert. I. 35. Symbolum ejus juxta Laertium(*a*) fuit *Nosce te ipsum*, juxta Didymum (*b*) & Hyginum(*c*):* *Sponsor fias, noxa praesto est*. Tribuit ei & istud Hermippus (*d*), quamvis alii ad Socratem spectare dicant: *Quod gratias nempe fortunae ob tria haec egerit, primo quod rationis particeps natus esset, non brutum animans: Secundo quod vir non mulier: Tertio quod Graecus non barbarus.*

L. I. s. 34. Ejus praeterea a Laertio laudantur sententiae, ἀσμάτων h.e. *versuum solutorum* nomine ** quorum iste est sensus.

Non multa verba prudentis animi indicium sunt.

Unum aliquid sapiens quaere, unum quidpiam praeclarum elige.

Obstrues enim os loquacium hominum non paucorum.

CAP. X.

De Ejus In Republica Gerenda Prudentia.

PPrima ejus studia, Laertio autore, ad Rempublicam gerendam spectabant, in qua magna ejus extitit autoritas, quamvis inter VII. sapientes, Cicerone observante, solus ille civitatis, in qua degebat, tyrannus non extiterit. Cic. de Orat. L. III. c. 34.

Ejus in his rebus facultatis duo habemus specimina. Primum Herodotus suppeditat: *Optimum ergo, inquit, antequam adhuc Jonia everteretur, Milesii Thaletis erat consilium, Phoenicibus progenitoribus orti, qui autor erat Joniis ut communem haberent curiam, eamque in Teo, media enim Jonia Teos: utque non alio loco haberentur cetera urbes, quam ejusdem Reipublicae tribus vel pagi.* † I. I. p. 43. fin.

Alterum a Laertio non minore cum approbatione producitur. Olympiadis LVIII. anno I. Lydiae rex Croesus, Cyri reveritus opes, ipsoque, ut sibi persuaserat, oraculo excita- Laert. I. 25.

* Addi & Ausonius poterat, qui in Prologo Ludi VII. Sapient. cujusvis symbolum edens, ita de Thalete: *Thales* ἐγγύα πάρα δ' ἄτη *protulit*; & in Thalete p. 180. de se Thales inquit:

- Causa sed in scenam fuit
Mihi prodeundi, quae duobus ante me
Assertor ut sententiae fierem meae.
Ea displicebit, non tamen prudentibus,
Quos docuit usus, & peritos reddidit.
Nos ἐγγύα πάρα δ' ἄτη dicimus.

Philoni tamen hanc sententiam tribuit Laertius I. 73.

** ᾄσματα apud Laertium nihil aliud sunt, quam metro dicta, ex quibus compluribus ista allegat atque servat Laertius.

† Merito hic incommoda visa Stanlejo versio Vallae: *Ceteras autem civitates habitatas nihilominus huic parituras, quam aliarum civitatum tribus legibus parerent.* Et Stephani, *nihilominus eodem loco haberi quam tribus*. Sed nisi fallor minus luculenter minusque Herodoti menti consentanee Stanlejus: *Utque reliquae urbes habitatae, nihilominus in existimatione essent, pro ratione civium.* Verum id quod res est nos hic repraesentamus: Id modo erat observandum pro καθάπερ ἰ δῆμοι ἔιεν apud Herodot. legendum καθάπερ εἰ δῆμοι εἶεν. Sic enim omnia plana. Coalescere in unum corpus politicum vult Thales omnes Jonicas civitates, quarum communis curia sit in Teo, ipsae omnes non tanquam distinctae civitates sed tanquam unius civitatis partes, & δῆμοι (quo nomine Athenienses oppida appellabant civitatis jure fruentia) considerarentur.

citatus, Legatos cum muneribus ad principes Græciæ urbes mittebat, socias eas sibi expeditionis contra Cyrum esse cupiens, quam etiam societatem Lacedæmon pariter ac aliæ quædam civitates cum eo inivere. Milesios vero ab isto fœdere arcebat Thales. *Patetque*, ut addit Laertius, *egregiam ejus in rebus civilibus fuisse prudentiam, hocce consilium enim, Cyro victore, saluti urbi fuit*.

Crœso nihilominus præsentissimo fuit adiumento, cum Haly fluvio exercitum transmitteret, si Græcorum quidem aliqua est fides, quamvis adversa Herodoto sententia sedeat, qui de utroque istorum factorum sequentem narrationem instituit. (Herod. L. I. p. 19.) „ Croesus ad Halyn fluvium quum accessisset, pontibus, „ ut credere par est, ibidem obviis, „ trajecit exercitum. Vulgata vero „ apud Græcos fabula est, Thaletem „ Milesium eum transvexisse; Ancipite enim (juxta eos) Croeso, qua „ parte fluvii transmittendus exercitus esset, pontibus ea ætate obviis nullis, Thales, qui in castris „ erat, effecisse dicitur, ut fluvius, „ qui ad lævam exercitus fluebat, ad „ dexteram ejus etiam flueret. Fecisse autem hunc in modum. Fossam peraltam exorsus supra castra, in speciem Lunæ effodit, quo „ castra, ut posita erant amplecteretur a tergo (fluvius,) isthac ex priore alveo per fossam derivatus, castrisque circumductus in priorem „ alveum reduceretur. Adeo, ut „ postquam divisus fluvius fuisset, „ (quod unica nocte factum Lucianus ait) utraque parte transiri potuerit. (Lucian. in Hippia T. I. p. 504. C.) Sunt, qui penitus dicant „ priorem alveum exaruisse, quibus „ tamen non credulus ego. Quomodo enim, id si factum fuisset, redeuntibus eis per fluvium transitus „ patuisset? „ Hanc vero genuinam esse Herodoti sententiam, male intellectam Vallæ, * ex vetere ad Aristophanem Grammatico patet, qui eodem modo rem omnem exposuit, nihil parcens laudibus Thaletis ob egregiam ejus rerum Mechanicarum scientiam. (ad Aristoph. Nub. v. 180.)

Infensissimus porro Tyrannidis hostis erat, atque ab ea non multum abesse quamcunque statuebat Reip. formam, qua unus aliquis rerum potiretur. Id quod ex Plutarcho liquet, ita eum loquentem inducente: (Conv. sept. Sap. S. 147. C. loquitur Thales de dicto a se prolato quod ad gubernatorem navis spectabat, tyrannis ab aliis fuerat applicatum.) „ Quantum autem ad eam translationem, idem mihi, quod juveni, „ accidit, qui, cum canem saxo petens novercam feriisset, ne sic quidem male cecidisse dixit. Certe sapientissimum semper judicavi esse „ Solonem, qui oblatam tyrannidem „ recusavit. Et Pittacus si solus dominari non cupivisset, nunquam „ dicturus erat, difficile est, esse probum. Et Periander, quasi hæreditario malo, a parente accepta tyrannide obsessus, prudenter faciebat, quantum poterat enitens, ut „ ea se liberaret, optimorum virorum usus commerciis, sapientes ad „ se invitans atque Philosophos, & „ ab iis invitatus vicissim, neque admittens aleæ plenum civis mei „ Thrasybuli consilium, qui illum, „ ut

* Verba Herodoti ταύτῃ κατὰ τὴν διώρυχα ἐκτραπόμενος τῶν ἀρχαίων ῥεέθρων, καὶ αὖθις παραμειβόμενος τὸ στρατόπεδον ἐς τὰ ἀρχαῖα ἐσβάλλοι vertit: *In quam cum introduxisset ex pristino alveo fluvium, iterum eum, ubi exercitus trajectus esset, in suum alveum refunderet.*

„ eorum, qui maxime eminerent, „ capita decuteret, hortabatur. Ty- „ rannus enim, qui mancipiis quam „ viris præesse malit, colono non ab- „ similis est, qui loco hordei locustas „ comportare & aviculas voluerit. „ Unicum bonum, quod arbitraria „ hujusmodi dominia, in innumeris „ malis, habent, honor & gloria est: „ si quidem bonis quis ita imperet, „ ut inter eos optimum illum esse „ appareat. Qui autem securitatem „ in ea statione neglecto honore „ quærunt, digni sunt, qui non „ hominibus, sed bestiis præsint.

Plut. T. II. p. 152. A. Stob. S. 46.

In eodem Symposio sequentem in modum de Monarchia, Democratia & OEconomicis philosophatur. *Beatus est princeps, qui natura ordine senex moriatur. Optime ea condita Respublica est, in qua neque divitiis affluunt cives, neque pauperie opprimuntur. Optima ea est familia, in qua Hero tranquillam maxime liceat degere vitam.*

Plut. T. II. p. 154. F. Stob. S. 41. Plut. T. II. p. 155. C. Stob. S. 83.

CAP. XI.

De Scriptis Thaletis.

L. I. S. 23.

Videri quibusdam nihil omnino scripsisse Thaletē *Laertius affirmat, alii scripta ei tribuunt varia.

De naturali Philosophia: † Diserte enim Augustinus ait: Ut successores etiam propagaret, rerum naturas Thaletem scrutatum, suasque disputationes litteris mandantem eminuisse.

L. VIII. de C. D. c. 11. ad. de Vitruv. IX. 7. Simplic Ad Arist. Phys. I. p. 6.

De Astrologia nautica: Cujus Simplicius meminit, Phoco Samio adscriptum ab aliis.

Diogen. Laert. I. 23. posterioris etiam meminit Suid.

De punctis Tropicis & æquinoctialibus, quorum tractatuum utrumque Laertius concinnasse ait Thaletem, existimantem, facilia intellectu cetera esse. Eaque esse mihi videntur Astrologica scripta, quæ Lobon Argiuus, qui de Poetis commentatus est, ad versus CC. complexa fuisse ait.

ap. eund. Laert. S. 34.

De Meteoris, Metricum opus, Suidæ est memoratum.

Temporum suorum historiam scripsit, si fides Joanni Antiocheno, inquienti, *ista Thales, Castor, & Polybius, scriptores sapientissimi, & post hos Herodotus Historiographus, prodidere*, sed hoc forte æque probabile est, quam alterum istud, quod ait, Herodoto nempe antiquiores Polybium & Castorem esse.

L. VI. p. 200. loquitur autem de Croe, si adversus Cyrum expeditione, ejusque eventu.

Ἀδόμενα, * (quorum ea, quæ a Laertio citantur, moralibus ejus sententiis supra inseruimus: ad istud enim genus spectabant, plebis instructioni inservientia,) versuum solutorum genus, ad prosam accedens propius. Unde duo Poetarum genera Demosthenes facit, τοὺς ἐμμέτρως καὶ τοὺς ἀδομένους, ut Casaubonus observat, h. e. *illos, qui metro scribunt*, & *eos, qui liberiore carmine nec metro nimium adstricto ludunt.* Quicquid Laertius in VII. Sapientum vitis ex eo genere allegat, non ex Poeta aliquo desumtum videtur, sed

* In ea sententia Themistius quoque est orat. XXVI. p. 317. Ed. Harduin. qui nec Thaletem, nec alium quempiam ejus ætatis, scripsisse, ait, πρῶτον δὲ Ἀναξίμανδρον ὧν ἴσμεν Ἑλλήνων λόγον ἐξενεγκεῖν, περὶ φύσεως συγγεγραμμένον.

† Huc spectat opus περὶ ἀρχῶν cujus librum II. allegat Galenus de humoribus.

* Putem ego ἀδόμενα esse, quicquid sapientiæ suæ versu prodidit Thales, accenset autem Plutarch. Lib. quare Pythia orac. fundere desierit, Thaletem Orpheo, Hesiodo, Parmenidi, Xenophani, & Empedocli, qui philosophiam suam carmine tradiderint & Suidas π. μετεώρων & ἰσημερίας ἔπεσι eum egisse, ait. Ut causam non videam cur Ἀδόμενα peculiare Thaletis opus esse statuam.

sed ab ipsis sapientibus profectum:

Ex Epistolis ejus duæ tantum ad nostram ætatem pervenere, a Diogene Laertio conservatæ: [L. I. f. 43.]

THALES PHERECYDI. †

[Laert. I. 43.] „Audio te primum Jonum de divinis rebus apud Græcos quædam „editurum. Et certe recte publicæ „potius Bibliothecæ opus tuum, „quam privatis incertisque hominibus committendum esse statuis. „Equidem si tibi gratum id esse cognovero, lubenter tecum de illis, „quæ scripsisti, agam, ac si quidem jubes, ad te Syron mature proficiscar. Neque enim vel ego, vel „Solon Atheniensis, sapientes merito audiremus, si, navigio Cretam „qui petivimus, visendi gratia, Ægyptumque penetravimus, ut „istic Sacerdotibus & Astronomis „congrederemur, ad te non pari studio navigemus. Veniet igitur & „Solon, si annuas. Namque tu, loci „illius amore detentus, raro in Joniam transis, neque peregrinorum „hominum desiderio tangeris. Nos „autem, qui nihil scribimus, Græciam Asiamque peragrando tempus consumere solemus.

[Hæc alio sensu interpretes Laertii accepere, a quibus sibi discedendum esse putavit Stanlejus.]

CAP. XII.

De Auditoribus Et Discipulis Ejus

PRimus Auditorum Thaletis, & sectatorum, cujus aliqua fama sit quidem, Anaximander fuit, Praxiadis filius, Milesius, qui Polycratis, Samii Tyranni, florebat ævo. [Suid. A. νκξιμ. Euseb. Præp. X.] Proximus ei Anaximenes est, ipse Milesius quoque, Eurystrato genitus, qui juxta Eusebium circa annum II. Olympiadis LVI. celebris fuit. [ult. Laert. II. 1. 2 In Ch. ron.] Anaximandrum ille & Parmenidem audiverat. Thaletis tamen se discipulum quoque extitisse ipse fatetur, in quadam ad Pythagoram epistola. **

Neque prohibet quicquam, quo minus, præeunte nobis in ea epistola Anaximene, Pythagoram quoque in Thaletis discipulis censeamus, Italicæ sectæ autorem: qui a teneris inde mysteriorum religionis solertissimus rimator cum esset, primo itinere Miletum ad Thaletem contendit, quem optime studia sua promovere posse speraret, XVIII. uum, Iamblicho teste, ætatis annum nondum eo tempore supergressus. Ut adeo, si Eusebii de natali, & Sosicratis de ætate Pythagoræ octogenaria, sententiam sequamur, (ceteri enim quo magis excedunt hoc tempus, eo difficilius eorum instituti conciliatio potest) factum hoc circa secundum Olympiadis LIV. annum esse oporteat, qui in LXXXII. incidit Thaletis annum. [Apud Laert. L. II. S. 4.] [De Vit. Pyth, I. 2] A Thalete igitur rudimenta excellentis illius sapientiæ accepit Pythagoras, quam consecutus postea fuit. Neque id Iamblichus dissimulat: [l. c.] „*Thales*, inquit, libenter eum accepit, admiratusque tantum eum „reliquis præstare adolescentibus „dixit,

† Thaletis Epistolam ad Pherecydem, quam Laertius produxit νοθείαν sibi suspectam dicit Huetius Demonstr. Evang. p. 77. Et Josephus Scaliger Epist. CCCVI. ad Everardum Vorstium, omnes illas epistolas, quæ Democrito, Soloni, Thaleti & Pittaco apud Diogenem Laertium tribuuntur, multis argumentis, ait, se probare posse, esse confictas a Græcis, quibus nunquam, ut ait, mentiendi voluntas aut facultas defuit. Simile judicium de plerisque aliis Epistolis quoque, quæ in vitis illis Philosophorum passim producuntur, tulit cl. Bentlejus in Diss. de Phalaride.

** Ex Anaximenis Epistola diserte non liquet, vel Pythagoram, vel Anaximenem Thaletis Discipulum fuisse, hoc saltem ait, venerationem mereri tanti viri memoriam, & studium assiduum ejus inventa.

„dixit, ut famam quoque, quam „de eo acceperat, id superaret, & „quantum potuit Mathematicæ „scientiæ * ipsi impertitus, ætate „se excusans, atque imbecillitate „sua, in Ægyptum ut abiret suasit, ut cum Memphiticis, ac maxime Jovis sacerdotibus conversaretur. Ab illis enim seipsum quoque talibus tanquam viatico in- c. III. init. „structum, dimissum esse. „Et rursum: „In reliquis rebus ut temporis parcus esset dispensator, eum „admonuit, hujusque gratia (Pythagoras) & vino & carnibus valedixit, iis solum usus cibis, quos concoquere esset facile, qua quidem „re somni brevitatem & vigilandi „facultatem, mentisque puritatem „& corporis sanitatem constantem „consecutus fuit.

CAP. XIII.

De Morte Thaletis.

Laert. I. 38 Pausan. Phocic. c V. fin. p. 811. AD summam ętatem cum pervixisset Thales, honore & sapientia auctus; primo Anno Olympiadis LVIII. decessit, (quo tempore, autore Pausania, Archon apud Athenienses erat Erxiclides,) dum Olympicos ludos spectaret, æstu, siti, gravisque senectæ oppressus onere, quam ad annum usque XCII perduxerat. Laertius calculo deficiens Laert. ib. S 37. fin. LXXXVII. tantum ei tribuit annos, cum antea tamen agnovisset XXXV. eum natum Olympiade esse. Petavius vero excedit calculo, Petau. Rat. temp. I. 12. dum ad finem usq; LVIII. Olympiadis ætatem ejus producit, qui verus esse nequit, cum Olympicorum spectatorem obiisse Thaletem constet. Magis adhuc excedunt Lucianus de Lon- & Syncellus, qui centenarium eum gaeu. T. II. p. 640. A. Syncell. Chron. obiisse ajunt. Proxime ad veritatem Soficrates accedit, qui XC. eum vixisse annos ait, mortuumque LVIII. Soficrat apud Laert. I. 38. Olympiade esse. A primo enim anno Olympiadis XXXV, elapsę Olympiades integræ sunt XXIII. Genus mortis ipsius occasionem dedit Laertio Diogeni eum Epigrammate honorandi, cujus iste est sensus:

Gymnicon adspiceret cum rursus agona Thaletem
Eleus traxit Iupiter e stadiis.
Hunc laudo cœlo propius quod duxerit, ultra (rat.
E terra astra senex cernere non poterat.

Sepulturam est nactus qualem Plut. Sollone p. 84. E. præscripserat ipse, in tenui & obscuro Mileti agello, quem posteris temporibus forum Milesiis præbiturum prædixerat. Tumulo inscriptum epigramma fuit: Laert. I. 39.

Exiguus valde hic tumulus, verum astra Thaletis, (net.
Principis astronomi, gloria summa tenet.

Satua quoque ei posita fuit, cum istius argumenti inscriptione:

Hunc qua nutrivit Milesia terra Thaletem
Astrologum primi nominis ipsa tulit.

imo ... potius vid. Laert. I. 34. idem S. 38. Quinque alii extitere ejus nominis, Demetrio Magnesio memorati, primus Rhethor Calantianus, ineptus imitator. Secundus pictor Sicyonius magno ingenio. Tertius antiquissimus, Hesiodi, Homeri, Lycurgique, qui floruit temporibus, quartus cujus meminit Thuris. Quintus L. II. Segm. 46. ad de recentior a Dionysio in Criticis memoratus. Laertius Pherecydem Suidam in ... Thaletis Philosophi fuisse obtrectatorem alicubi testatur.

SOLON.

* In Græcis est ..., quod generalius fortasse accipi possit, quam ut ad Mathematicas scientias solas adstringatur.

SOLON.

CAP. I.

Ejus Parentes, Patria, Vitæ Genus.

Plut. Sol. p. 78. E. SOlonis Patrem *Euphorionem* appellat Philocles, Didymo allegatus. Qui tamen unanimi ceterorum
Laert. I, 45. scriptorum consensu vocatur *Execestides*. Homo tenuis quidem fortunæ, nec magnæ in civibus suis autoritatis, nobilissimi tamen apud Athenienses generis, a Codro quippe
Plut. l. c. ducentis origines. Nempe a *Neleo* genus suum derivabat *Solon*, *Codri*
Laert. I, 49. Procl. in Tim. filio, itemque *Neptuno*. Mater ejus jure sanguinis juncta erat *Pisistrati* matri. Frater ipsi ex iisdem parentibus erat, nomine *Dropides*, anno post *Solonem* apud Athenienses Archon, a quo *Plato* genus duxisse cre-
Laert. I. 46. debatur. *Salamine* juxta Laertium natus est Solon: quæ causa fuit, cur morti proximus corpus suum *Salamina* cuperet deportari, a parentibus tamen & domicilii loco *Atheniensis* nomen tulit.

Plut. Sol. p. 79. B. Pater ejus profusa liberalitate eousque rem familiarem imminuit, ut necessariis etiam destitueretur. *Solon* igitur, quem puderet accipere ab aliis, eo genere natum, quod aliis subvenire soleret, mercaturam exercuit. Sunt tamen, qui augendæ doctrinæ magis & experientiæ causa peregre eum egisse dicant. Sapientiæ enim studia publice sequebatur, & ad extremam usque ætatem affirmare solebat, *discendo se consenescere*. Opum exiguum ei erat studium, sed ditescere cupiebat ita, ut ille. *

- - - - *cui affluit auri*
Copia: tum frugum cui sit opima seges:
Grex quoque equum, mulique; & qui sit corpore toto
Non ægre affecto, compositoque male.
Præterea florens natorum, & conjugis ætas
Florens, quem recreet, pulchraque forma sua.

& alibi:

Non sperno nummos, si sit possessio justa,
At nolo injustos, ultio nam sequitur.

Ceterum, quod fuerit profusior Solon, & vita mollior, atque in ver- Plut. P. 79. E.
sibus magis, quam philosophum addeceat, luxurietur, id ex vita mercatoria putant ei hæsisse. Siquidem pro multis & gravibus periculis, qui istud vitæ genus sectantur, homines liberioribus deliciis appetunt recreari. Ad Pauperum autem potius quam opulentiorum classem eum pertinuisse, ex istis versibus ejus liquet:

Pauper eget, friget que bonus, turba improba abundat:

Vir-

* Verti, ut Stanleio ista accepta fuerunt. Ceterum plane alius est sensus Plutarchi, & sane quomodo dici poterit, studiosum divitiarum Solonem non fuisse, qui voto illo prout a Stanleio repræsentatur, nihil prætermittit eorum, quæ ad opes pertinent. Verba Plutarchi sunt ἀλλὰ καί φησιν ὁμοίως πλουτεῖν

- - ᾧ τε πολὺς ἄργυρός ἐστι
Καὶ χρυσὸς καὶ γῆς πυροφόρου πεδία
Ἵπποι θ' ἡμίονοί τε, καὶ ᾧ μόνα ταῦτα πάρεστι,
Γαστρί τε καὶ πλευρῇ καὶ ποδὶ ἁβρὰ παθεῖν
Παιδός τ' ἠδὲ γυναικός ἐπὴν καὶ ταῦτ' ἀφίκηται,
Ἥβη σὺν δ' ὥρῃ, γίγνεται ἁρμονία.

quorum iste est sensus: *perinde esse divitem eum, qui recte valeat, ventre, latere, pede, quàm eum, qui auro, argento, prædiis opulentis, atque jumentis abundet. Juvenem etiam & fœminam si ætatulam & formam amittunt, quæ ipsis sit opum loco, harmoniam tamen retinere*, h. e. *corporis statum bene dispositi*, in quo astatim adhuc sit divitiarum.

Virtutem ast nolim vendere divitiis.
Æternum virtus nunquam immutata manebit,
Divitias alius possidet atque alius.

CAP. II.

Ut Solonis Consiliis Salamina, Cyrrham & Thraciam Chersonesum Ceperint Atenienses.

Orat. de falsa leg p. 233. B MUltos (inquit Demosthenes) *ex obscuris atque abjectis illustres sapientiæ studia reddidere. Solonis & viventis & mortui summa gloria extitit, cui supremi honores non fuere denegati, quod fortitudinis suæ monimentum Megarense trophæum, sapientiæ vero, Salaminis recuperationem statuisset*. Ejus vero rei ista fuit occasio; Defecerat ab Atheniensibus Salamis ad Megarenses. (Pausan. Attic. c. 40.) Athenienses vero, postquam complurium annorum molestissimum (Plut. Sol p. 82. B. Demosthen. de falsa leg p. 232. B) pro Salamine recipienda cum Megarensibus bellum gessissent; adeo illos postremo ejus pertæsum est, ut penitus consilium istud abiicientes legem scripserint, capitis pœna, ne quis rogationem ferret ad populum de Salamine recuperanda. Solon autem, graviter eam ferens ignominiam, quum videret juventutem magna ex parte occasionem quærere, arma denuo movendi, neque audere tamen metu legis, dementiam simulavit, illeque rumor per urbem ut emanaret, effecit. Clam vero compositos a se elegos edidicit, atque ita pileatus, vel, ut Laertius ait, coronatus in forum prosiliit. (Laer. I. 46.) Ingenti vero circa eum concursu facto, suggestum præconis conscendit, suosque elegos decantavit exorsus ita:

Adsum præclara præco Salaminis ab ora
In cœtum vestrum dulce poema ferens.

Versus autem, quibus maxime Athenienses movebat, isti fuere:

O utinam fuerim Pholegandrius aut Sicinites (apud Laert. l. c.)
Ac mutata foret Attica terra mihi.
Nam subito fama hac hominum volitabit ad aures
Ecce urbis civem, cui Salamis periit.

item isti:

Quin Salamina igitur, sarturi dedecus, imus?
Illa decus nobis, subdita, restituet.

Titulus illi poemati *Salaminis* erat, absolvebant illud versus fere centum, illique summo nitore. (Plut. l. c.) Finito cantu plausus sequebatur amicorum, Pisistrati maxime, qui cives, ut sequerentur ejus consilium, impellebat. Hac arte abrogata lex fuit, belum recrudunt, eique præesse Imperator Solon jussus fuit. Vulgata est fama Pisistratum in ea expeditione socium eum sibi adscivisse, unde natum, quod omnem expeditionis illius gloriam Pisistrato tribuant nonnulli, in quibus Frontinus est, Æneasque cum Justino. Coliada igitur classe petiit, ubi feminas Cereris sacris occupatas inveniens, hominem fidum transfugæ specie misit Salaminem, qui moneret Megarenses, si primarias Atheniensium matronas redigere cuperent in potestatem, Coliada secum quam ocyssime ut navigarent. Megarenses fidem dictis habentes, viros aliquot navi impositos miserunt. Solon vero, ubi advertit eam ex insula advehi, mulieres facessere jussit, totidẽ adolescentibus imberbibus earum stolis indutis, mitris item calceisque, qui pugiones sub veste conderent, & in littore luderent & saltarent, dum hostis descendisset, anchorisque navis staret firmata

mata. Dum vero hæc ad eum modum agebantur, Megarenses falsi specie, navim applicare festinabant, inque eos effundebantur, velut feminas capturi. Illi vero statim pugionibus expeditis, non feminas se esse monstrabant, sed viros. Occisis vero hoc modo Megarensibus ad unum omnibus, Salaminem insulam petiere Athenienses, eamque obnoxiam sibi reddidere.

Polyaen Strat. I, 20. Plut. l. c.

Plut. l. c. Negant alii eo modo occupatam fuisse, verum potius Solonem, accepto a Delphico Apolline oraculo:

Heroas sacris colito, solum hocce tuentes,
Ferali fundus quos urna condit Asopi.

nocte in insulam transmisisse, victimasque Periphemo & Cichri, heroibus, immolasse. Inde ab Atheniensibus quingentos accepisse voluntarios, ea lege, ut si cepissent insulam, penes eos esset rerum in illa summa. Navigiis igitur piscatoriis, comitante una nave, quæ triginta remis agebatur, deductis suis, anchoras eum jecisse prope Salamina, ad promontorium, quod Euboeæ obiicitur. Megarenses, qui Salamine erant, eo nuntio allato, sed incerto, tumultuarios ad arma concurrisse, & navem, speculatum quid agerent hostes, misisse. Qua, quum propius movisset, oppressa, Solonem, Megarensibus cæsis, delectos ei Athenienses imposuisse, quibus jusserit ut urbem peterent recta, quantum fieri tamen posset tecte. Simul cum ceteris Atheniensibus pugna terrestri Megarenses esse aggressum, qua dum decernerent, festinata opera navi impositi urbem expugnaverint. Cui quidem famæ ex solennibus eorum accedit autoritas. Siquidem navis Attica silentio primum appellere olim solebat, inde, illis cum clamore & fremitu advolantibus, vir unus armatus exiliebat, atque ad promontorium Scirradium terra venientibus obviam procurrebat. Proxima loco, ubi hæc fiunt, Martis est ædis, a Solone extructa: superavit enim Megarenses, & quoscunque prælii calamitas reliquos fecerat, datis induciis, omnes missos fecit. V. H. VII. 9. Ælianus duas fuisse ait, quas ceperit Megarensium naves, quibus Athenienses imposuerit, Duces atque milites, arma hostium arripere iussos, quo falsi Megarenses cæsi fuerint priusquam ad arma venire possent. Plut. l. c.

Verum enim vero Megarensibus in pertinacia persistentibus, multisque cladibus parte utraque illatis atque acceptis, Lacedæmoniorum arbitrio permissa res fuit. Apud quos Solonem Homeri autoritatem allegasse aiunt, inserto uno ex navium catalogo versu, quem hoc modo in iudicio locum repræsentaverit: adde Laert. L. I. S. 49.

Ajax adduxit his sex Salamine carinas
Cecropiaque illas statuit statione phalangum.

Quo posteriore versu a se addito probare conabatur, Salamina Atheniensium olim fuisse. Ipsi tamen Athenienses hæc tanquam fabulosa explodunt. Solonem vero probasse apud iudices aiunt Phileum & Eurysacem, Æacidas, civitate ab Atheniensibus donatos, hanc insulam eis tradidisse, habitavisseque hunc in Braurone Atticæ, illum in Melite, trahereque Philaidarum tribum, ex qua erat Pisistratus, a Phileo nomen. Ælian: VII. 19. *Sic igitur Megarenses dicendo vincebat, non verborum lenociniis eis superior, sed argumentorum*

rum pondere. Ut vero penitus eos convinceret, argumentum ex humandi apud Salaminios ritu petebat, & inscriptionibus, in quibus nomina tribuum adderentur, prout effossis quibusdam tumulis demonstrabat: id quod Atheniensium non Megarensium moribus erat consentaneum. Nempe Megaræ mortuos sepeliebant obversa orientis plagæ facie, Athenis occidenti sepeliendi vultum obvertebant. Hereus tamen Megarensis, negato hoc ipso, Megarenses quoque mortuos orienti obvertentes faciem sepelire ajebat: Quin & illud allegabat, quod singulos loculos habeant Athenienses, Megarenses ternos & quaternos eidem sepulchro inferre soleant. Soloni autem adiumento Apollinis quædam oracula dicuntur fuisse, quibus *Joniam Salamina* Deus appellabat. Judicata causa hæc fuit à Spartiatis quinque, Critolaida, Amomphareta, Hypsechida, Anaxila, & Cleomene.

Plut.l.c. Laert. I, 48.

His gestis magnam Solon gloriam & autoritatem apud omnes indeptus est: Paulo post tamen maius nomen & clarius apud Græcos est consecutus. Causam enim defendens Delphici templi, Cirrhæis illud profanantibus, agrumque eius imminuentibus, Solon, subveniendum ei esse a Græcis dictitabat, neque permittendum, ut in oraculum iniurii Cirrhæi essent, sed succurrendum esse causæ Dei. Ab illo igitur excitati iverunt ad arma Amphictyones, magno, ut Aristoteles ait, studio, qui & autorem eius sententię Solonem dicit extitisse. Rem autem cuius autor Solon fuerat, ab oraculo esse approbatam Æschines ait. Ipsum Solonem Ducem ei bello factum non nulli, alii Alcmæonem affirmant: Omnibus tamen Græcorum copiis, Pausania teste, Clisthenes, Sicyoniæ tyrannus, datus est imperator, cui, ut a consiliis esset, Solon iungebatur, Athenis accersitus. Suidas eum ut hoc bellum consiliis moderaretur electum ait ab iis fuisse, qui scripti erant ad illud milites. Cirrham interea dum Clisthenes oppugnaret, oraculum de victoria consulebatur, a quo istud datum responsum fuit:

Plut.l.c. p. 83. F. ap.Plut. l. c. ap.eund

in Phoc. c. 37. in V.Solon. l. c. Polyæn. L.3. c 5. Pausan. Phocic. c. XXXVII. p.894.

Non datur ante urbis celsas evertere turres,
Cærula quam lucis immiserit Amphitrite
Rauca fluenta meis, vasti de gurgite ponti.

Quo oraculo relato Solon suadebat, ut Cirrhæi campi Apollini sacrarentur, sic enim fore ut sacros Apollinis lucos mare alluat. Alio quoque astu adversus Cirrhæos utebatur. Plistum fluvium, mediam urbem secantem, in alium deduxerat alveum: Nihilominus tamen obsidentibus pervicaciter obnitentes cives, partim ex fontibus haustas, partim a pluviis suppeditatas aquas, cisternis collectas bibebant. Hellebori igitur radices in Plistum coniici curabat: cumque penitus iis infectas fluvii aquas persensisset, priori eas alveo reddebat. Cirrhæos igitur, avide aquas istas haurientes, perpetua alvi profluentia invasit omnes, qua adacti moenium præsidia deserere cogebantur. Amphictyones vero urbe expugnata, poenas a Cirrhæis poscentes Deos sunt ulti. Duo ista stratagemata vero Clistheni ab aliis adscribuntur. Prius quidem a Polyæno, a Frontino alterum, cuius rei minime obscura ratio est: Clisthenis nempe auspi-

Pausan. ib. L.III.c.5 LIII.c.7

auspiciis, consilium suppeditante Solone, ea patrata fuere.

Laert. l. 47. Denique Solon etiam fuit, qui Athenienfibus, ut Thracicam Chersonesum in suam potestatem redigerent, autor extitit.

CAP. III.

Ut Seditiones in Patria sedaverit, & Munus Archontis fuerit consecutus.

Plut. p. 84. A. Diu Cylonium scelus civitatem agitaverat, ex quo consortes conjurationis Cyloniæ, Minervæ supplices, a Megacle Archonte ad judicium subeundum fuerant compulsi. Nempe annexum simulacro filum illi tenentes, ubi Eumenidibus appropinquassent, rupto sua sponte filo, Megacles cum Collegis eos corripere instituerunt, quasi Dea suplices reiiciente. Atque eos, qui extra templum erant, saxis obruerunt, qui vero ad aras cucurrerant, hos jugulaverunt. Solos missos fecerunt eos, qui ad uxores eorum manus tetendissent, illique *impiati* vocati, detestabiles habebantur. Qui vero Cyloniorum superstites fuerant relicti denuo opibus invaluerant, atque perpetuas cum Megaclis posteris exercebant inimicitias. Quo igitur tempore maxime flagrabat seditio, & discessum in partes erat, jam in autoritate erat apud populum Solon, qui principibus adhibitis Atheniensium intercessit, rogandoque & hortando eos, qui *impiati* dicebantur, induxit, causam ut dicerent, judiciumque subirent, apud trecentos ex primoribus judices. Myron actoris partibus fungebatur, fueruntque damnati judicum sententia, ut quotquot eorum in vivis essent, exilio mulctarentur, defunctorum vero cadavera effossa trans fines proiicerentur.

Inter hos motus Nisæam expugnaverant Megarenses, imo & Salaminem Athenienfibus denuo eripuerant. Terrores ac superstitio, variaque spectra urbem occupabant, ac vates piacula quædam noxasque, quæ expianda essent, extis significari denunciabant. Pestis (*a*) præterea exercebat civitatem, oraculum (*b*) vero lustrari urbem præcipiebat. Eam ob causam Niciam (*c*) misere (*d*) Nicerati Filium, Epimenidem, ex Creta qui accersitum iret, quem Athenas delatum hospitio Solon excepit: cum quo ille amice conversatus, variam ipsi impertitus doctrinam est, &, ad leges scribendas ut animum adiiceret, effecit. Eam urbis lustrationem memorans Eusebius temporis calculo deficit, ad annum II. Olympiadis XLVII. eam referens, quo excedit Suidas XLIV. Ol. eam contigisse dicens. Optime rei gestæ circumstantiis convenit Laertii sententia, qui XLVI. Olymp. id factum ait.

a Laert. l. 110. *b* Plut. l. c. *c* Laert. l. c. *d* Plut. l. c. in Chron. Laert. l. c.

Cylonio tumultu composito, & extirpatis ejus sceleris ministris, denuo cives in veterem relapsi sunt de republica constituenda dissensionem, qua in tot partes distrahebantur, quot diversæ in Attica erant populi classes. Qui urbem & arcem habitabant Democratiæ favebant. Qui mediterraneam tenebant, paucorum præferebant dominatum; maritimam qui colebant regionem, mediam quandam mixtamve reipublicæ formam probantes, utrique parti obstabant, quo prævalere possent minus. Eadem tempestate perturbatissima Reipublicę facies erat, flagrante pauperum cum divitibus

Plut. P. 84. F. Διάκριοι vocantur Plut. πεδιαῖοι eid.

ex inæqualitate dissensione. Una superesse ratio ad pacem videbatur, si res ad unius dominatum rediret. Totus populus aere alieno divitibus erat obnoxius; atque illis vel rusticas præstabant operas, sextantem fructuum pensitantes, unde *Hectemorii & Thetes* appellabantur: vel corporibus oppignoratis Creditoribus, duci, ut vellent, a creditoribus poterant, partimque domi serviebant, partim extra patriam venundabantur. Multi, neque enim vetabat lex, liberos vendere cogebantur, urbeque excedere, ob fœneratorum crudelitatem. Major pars, cui plus animi esset, coitione facta, sese mutuo cohortabantur, ne ea tolerarent diutius, sed unum caperent ducem, virum fidum, eosque liberarent, qui vadimonium deseruissent, agros dividerent, totumque reipublicæ statum mutarent. Tum prudentissimi Atheniensium, Solonem inprimis omni vacare crimine judicantes, neque opulentorum in injuria socium, neque necessitatibus implicatum inopum, oraverunt eum, ut Rempubl. capesseret, & componeret controversias civium. Dicit tamen Phanias, Lesbius, servandæ Reipublicæ studio, dolo utramque partem eum circumvenisse, pollicendo clam egenis agrariam legem, opulentioribus pactorum confirmationem. Ipse tamen Solon primum se ancipitem hæsisse ait, an istud suscipere negotium debeat, deterritum horum avaritia, illorumve insolentia. Creatus tamen Archon fuit, Philombroto qui succederet, (Male apud Stanl. erat Cleombroto Laert. lib. c.) (anno III. Olymp. XLVI,) quo tempore leges etiam condidit suas, simul concordiæ arbiter & legislator: pergratus divitibus ut locuples, pauperibus ut probus. Vox ejus in ore populi passim ferebatur: *Æqualitatem certaminis causam non esse*: eaque tam locupletibus placebat quam pauperibus; parte altera de numero & mensura eam, altera de dignitate accipiente, atque virtute. Quamobrem in spem erecta utraque pars ei favebat, eique Reipublicæ illius principatum offerebat, quam tum in potestate habebat, suum omnibus auxilium ei offerentibus. Multi etiam, qui neutras partes sequebantur, quia videbant, quam difficile sit, Reipublicæ statum ad legem revocare & rationem, non abhorrebant a Principe creando, prudentia qui excelleret atque justitia. Dicuntque nonnulli istud a Pythia responsum eum accepisse,

Ad puppim residens moderator dirige cursum,
Multus Athenarum populus tua signa sequetur.

Maxime autem necessarii eum insectabantur, quod tyrannidis nomine deterreri se pateretur: Quasi Regis virtus diffusa per omne imperium non esset: * utebanturque Tynondæ exemplo, olim Euboeæ, & Pittaci, tum quoque Mitylenes tyranni. At frustra omnia ista apud ipsum allegabant. *Præclarum fundum tyrannidem* esse ajebat, *sed non habere exitum*: Imo ad Phocum ita carmine scribebat:

Hem patria, civis, perperci quod mea,

Ty-

* Ita male verba Plut. vertit Stanl. quorum sensus est: *Quasi virtus ejus, qui tyrannidem suscipiat, in regnum eam statim non sit mutatura*: Verba Plutarchi sunt: ὥσπερ ἐν ἀρετῇ τοῦ λαβόντος εὐθὺς ἂν βασιλείας γενομένης.

Tyrannidem vero & cruentam vim ferox
Non attigi, nec pollui laudem meam,
Non dispudet, sic omnibus nam praestiti.

Unde patet magnam ejus etiam ante leges perscriptas autoritatem fuisse. Ignominiam, qua eum nonnulli ob principatum, quem detrectaverat, insectabantur, versibus ipse expressit, quorum sensus est iste:

Non meus Soloni, non valet vis consili,
Quod obtulit Deus bonum qui respuit,
Jam rete pisces continet, sed negligit.
Hic, destitutus mente, sensu hic carens
Ni sit, opes non vellet ipse maximas
Die vel una, Cecropisque Regnum
Tenere? post tundi & perire funditus.

CAP. IV.

Quid Innovaverit Archon dum esset, & Primo de Sisachthiis quidem.

l. c. Plut. p. 86. Quamvis deprecatus Reipublicæ gerendæ munus fuisset, non segniter tamen illud gessit, neque ad gratiam potentum, neque talibus conditis legibus, quibus iis placeret, qui rebus ipsum præfecerant. Ubi res tolerabilis erat, ibi nihil correxit vel movit, veritus, ne si rempublicam undequaque miscuisset & confudisset, vires destituant ad eam reficiendam & optima ratione temperandam. At quæ suadendo apud obsecundantes, & cogendo apud eos, qui cogi possent, sese obtenturum speraret, ea, prout ipse ait, perficiebat, *una vim & justitiam copulans*. Unde postea interrogatus, an optimæ sint, quas Atheniensibus dedisset leges? *Optima*, respondit, *quas accipere illi poterant*.

Primum in immutatis ab eo in Republica hoc fuit: σεισάχθειαν introducebat, *erat autem illa corporum possessionumque redemtio*. Vel, ut Hesychius definit, *lex, qua publice privatimve contractum aes remittebatur*, ab excussa usurarum iniquitate ita apellata. Super enim corporibus ista ætate fęnerabantur, multique per inopiam mercede serviebant. Instituit igitur, ut superiore tempore contracta debita omnia remitterentur, deinceps autem super corpore nemo fœneraretur, hocque voce mitiore σεισάχθειαν, appellavit. Non desunt, qui affirment, (Androtione quoque eis suffragante,) non condonatione aeris alieni, sed usurarum moderatione allevatos pauperes acquievisse, idque σεισάχθειαν eum appellasse, simulque etiam mensuras auxisse, & monetæ pretium. Quippe minæ, cujus valor fuerat antea drachmarum LXIII, centum drachmarum pretium statuit. Itaque cum majorem summam pauperes minore aeris quantitate exsolverent, multum accidit commodi magnum aes dissolventibus, nihil tamen creditoribus detrimenti. Maxima tamen Scriptorum pars consentit, omnino prioribus tabulis fuisse derogatum, quod optime convenit cum versibus Solonis, quibus gloriatur, *agri sese antea, pignore nexi, fixos passim terminos removisse, qua pridem serviebant nunc libera esse, & civium, ob aes alienum in nexum abductorum, alios in patriam se revocasse, lingua patria jam, ut qui per varia loca errare coacti fuerint, oblitos, alios dura ibidem oppressos servitute in liber-*

Plut. ib. D. Laert. l. 45 Hes. v. σεισάχ Laert. l. c. Plutarch. ib. D.

bertatem asseruisse. Eandem Legem Diodorus Siculus apud Ægyptios observat vigere, & ab iis etiam Solonem eam, qui tamen hoc ætatis in Ægypto nondum fuerat, accepisse arbitratur,

Diod L. I. p.92. init.

Ista vero agenti res acerbissima evenit. Dum enim usurariam iniquitatem reprimere cum maxime studeret, &, orationem rei congruentem meditatus, conveniens ei exordium quæreret, amicis, sibi maxime necessariis, Cononi, Cliniæ & Hipponico, eum sibi animum haut esse prodidit, ut agros moveret, sed ut æs alienum induceret. Hi igitur legem ilico prævenientes & prævertentes, ingentem a divitibus pecuniæ vim sunt fœnerati, qua agros comparavere. Proposita inde lege, possessionibus hi fruebantur, neque argentum reddebant creditoribus. Id verò notabilem labem Soloni adspersit, qui defraudationem una cum ceteris passus non fuisset, verum socius esset defraudatorum. Mox tamen hoc crimen dilutum est quinque, vel ut Laertius ait, sex talentis: Ea enim summa fœnus exercebat: Quam, ut lex jubebat, expunxit, utque idem facerent aliis, teste eodem Laertio, persuasit. Alii, in quibus etiam Polytelus Rhodius est, XV. Talenta eum expunxisse aiunt. Amici vero ipsius χρεωκοπίδαι inde appellati fuere.

Plu. ib. E. Laert. l. 45.

Neutrius tamen partis gratiam eo inivit: divites enim offendebat, quod contractus antiquasset, pauperes, quod omnium pares non fecisset, ut fore expectaverant, Lycurgi exemplo, fortunas. Lycurgus enim, qui undecimus erat ab Hercule, annosque complures Lacedæmone regnaverat, magna auctoritate, amicis florens & opibus, quibus adiutus perficere, quæ Reipublicæ profutura putaret, valebat, vi potius quam persuadendo, ut oculum amitteret etiam, rem maximam ad salutem civitatis suæ & concordiam perfecit, ut nemo, vel dives, vel pauper esset inter cives. Id vero Solon, qui ex plebe erat, & medioxumæ sortis, consequi non poterat. Sed nihil tamen prætermisit eorum, quæ in sua essent posita potestate, prudentia sua subnixus, & civium affectu. Multos enim sese offendisse alia expectantes, versibus ipse agnovit, quorum ista sententia est:

Plut. p. 87. B.

Olim locuti læta, jam infensi mihi,
Limis tuentur ut sibi infensissimum.
At simili quisquam potentia siet,
Eum ne populum hunc censeas via altera
Pacare, quam lac pingue si demulserit?

Utraque tamen pars non multo post agnovit, quantum communi ista saluti conducerent, privatisque finitis dissidiis, communia sacra obivit, σεισαχθείας sacrificio nomine imposito.

CAP. V.

Ut in Classes Populum Diviserit & Judicia Instituerit.

His gestis Reipublicæ conditorem & Legislatorem elegere Solonem, nec vero potestatem ullis circumscriptam limitibus ei dedere, verum ejus potestati, magistratus, conciones, judicia, curiam permisere, ut horum cujusque censum, numerum & tempus definiret, præsentia instituta pro arbitrio vel abrogaret, vel confirmaret. Plut. Solon p. 89 D.

Primum igitur leges Draconis ob Plut. p. seve-

z adde Meurs. Sol. c. XIII. p. 44.

severitatem & pœnarum atrocitatem cunctas rescidit. Noxas enim persequutus est ille pene omnes capitali supplicio, ut & *otii* damnati morte mulctarentur: ac qui olus surripuerant vel poma, in hos non secus ac in homicidas & sacrilegos animadverteretur. Unde lepide dictum Demadi: *sanguine Draconem non atramento scripsisse leges*. Ipse vero, ut perhibent, Draco rogatus, cur plerisque delictis pœnam statuisset capitalem? respondit: *se parvas quidem noxas tale supplicium credere mereri, majoribus vero puniendis, quod statuat, majus se non habere*. Herodicus(a) allusione facta ad nomen ipsius *non hominis esse, ajebat, has leges verum Draconis*, adeo erant severæ. *Et Aristoteles*(b)*nihil in iis valde singulare dignumque memoria ait extitisse, illam si prætereas severitatem, gravitatemque pœnarum tantam, ut nulla expressa lege vel edicto, sed tacito Atheniensium consensu iis fuerit abrogatum, succedente iis mitiorum Solonis legum usu*. Hæ vero ipso nomine (c) quoque ab illis distinguebantur, *νόμοι* appellati, cum *θεσμοὶ* dictæ fuissent Leges Draconis. Conditæ autem Draconis leges fuere (d) Olymp. XXXIX, anno ante leges Solonis iuxta Ulpiani (e) calculum XLVII.

adde Tzetz. Phil. V. Hist. 5.

a ap. Arist. Rhet. II. 23.

b Arist. polit. II, 10.

c Andocid. Orat. de Myst. Ælian. V. H. VIII, 8. adde Meurs. Sol. p. 416. Menag. ad Laert. I, 23.

d Tatian. Or. c. Græc. subfin. p. 174. Clem. Al. Str. I. p. 309. B. Suid. Δρακ.

e Ulpian. in Demosth. Timocr. p. 28. C.

Deinde Solon, (f) cum magistratus omnes, penes locupletes, ut ante, ita porro esse cuperet, reliqua vero munia Reipublicæ, quorum plebs exors erat, facere promiscua; censum civium fecit, eosque in quatuor classes distribuit. (g) Eosque, quorum facultates aridorum simul & liquidorum mensuras quingentas redderent, hos primæ classis fecit, & *Pentacosimedimnos* vocavit, eosque talentum ærario publico inferre iussit. (h) Secundæ classis eos, qui equum alere, aut trecenta sefficere posent; eos propterea *Equites* vocabat, eratque iis pendendum (i) semitalentum. Tertiæ classis *Zeugitæ*, ita dicti ab eo, quod ducentas in utroque genere*mensuras penderent, illi minas solvebant decem. Reliqui omnes appellati *Thetes*; his nullum magistratum permisit, neque quicquam pendebant; hactenus tamen in Reipublicæ partes veniebant, quod in concione pariter ac foro admitterentur ad suffragia ferenda. Quod initio quidem exiguum, postea magnum apparuit; in omnibus enim, quæ apud Magistratus agerentur, ad forum concessit cuilibet provocationem. Præterea, legibus implicatius scriptis atque obscurius, *fori* potestatem amplificavit. Quum enim decidi per leges non posent lites, evenit, ut nunquam non opus haberent iudicibus forensibus, ceu legum peritis. De hac ipse egit æquatione versibus istius sensus.

f Plut. l. c. p. 87. F.

g Pollux L. VIII. c. 10. adde Meurs. l. c. cap. XIV.

h Pollux l. c.

i Pollux ibid.

Pollux l. c.

Pollux l. c.

Nam vires populo tribui, quanta satis essent,
Non detractus ei, aut amplificatus honos.
Sed neque divitiis & opum splendore superbis
Plus cessi quam quod sum ratus esse satis.

C 3 *Utra-*

* Expressi sensum, quem sibi hic Stanlejus a latino interprete obtrudere passus est, & quem Meursius quoque sequitur in Solone c. XIV. At nulla in eo lux. Dicam quod sentiam: Zeugitæ dicti, quod bini semper conjunctim istam pensionem dare deberent, ζεῦγος enim *jugum* est. Eoque pertinent Plutarchi verba, τὸ μέτρον ΣΥΝΑΜΦΟΤΕΡΩΝ, quibus *junctis duobus semper mensura fuit &c.* ubi male interpr. Lat. *quorum utrinsque generis simul ducenta erant*.

Utraque pravalidis munivi pectora scutis,

Injuste & neutros vincere sustinui.

[Ep. XC. Lib. 7. 4.] Eo Seneca alludens, *Solon*, inquit, *Athenas aquo jure fundavit.* Et Justinus: *Tanto temperamento inter plebem senatumque egit, ut ab utrisque parem gratiam traheret. Non sivit,* [Æn. Gazæus Theoph. p. 28.] Æneas Gazæus ait, *Viro alicui peculiarem dari legem, sed eandem omnibus hominibus poni.*

[Plut. p. 88. D.] Concilium quoque Areopagitarum, ita pergit Plutarchus, ex annuis constituit Archontibus, cuius membrum & ipse, qui præsidebat, * fuit. Cumque animadverteret populum ex remissione æris alieni ferocientem, ac inflatum, alteram insuper curiam conscripsit, legitque ex singulis quatuor tribubus, centenos viros, qui decretum facerent ante concionem, ut ne quicquam populus, nisi ex senatus consulto, rogaretur. Supremum Senatum omnium arbitrum, & custodem constituit legum, arbitratus minus fluctuaturam civitatem, plebemque futuram tranquilliorem, quasi in anchoris curiis duabus stantem. Atque ita maior scriptorum pars Solonem *Areopagum* constituisse aiunt, in quibus & Cicero est. [Cic. L. I. offic. c. 22.] Quod eo confirmari videtur, quod nuspiam *Areopagitarum* Draco meminerit, sed ubique in rebus capitalibus *Ephetas* nominet. *Octava tamen Solonis lex tabula XXX. ista habet verba: Qui ante Solonem Archontem notati infamia fuerunt, integra fama sunto, iis exceptis, qui in Areopago, vel qui apud Ephetas* [Meurs. Areop. c. 111.] *&c. sunt damnati.* „Certumque est „longe ante Solonis tempora Areopagum & senatum fuisse, & ad „illa usque tempora lectos in eum „promiscue omnes, quotquot ceteros nobilitate, autoritate & opibus „antecellerent. Solon autem eum reformavit, statuens, ut illi deinceps tantum legerentur, qui archontum munere functi essent.„

Pollux autor est, *Mille ex Solonis instituto accusationes judicasse*. [L. VIII. c. 6.] Demetrius Phalereus primum eum *Demarchos* instituisse ait, qui *Naucleri* antea dicti fuerint. [ap. Schol. ad Aristoph. Nub. p. 225. E.]

C A P. VI.

Leges Solonis.

Republica ita constituta, curiisque ordinatis, ad leges condendas se contulit, quod adeo ei egregie successit negotium, ut apud omnes legislatoris titulo ornatus, cum Cretense Minoe & Lycurgo, Lacedæmonio, allegetur, cuius Legibus Tacito autore, a Solone conditæ *quasitiores sunt & plures*. [Annal. III, 26.] „Tantopere vero præ„stiterunt priscis legibus eæ, quæ [Manuel. Palæol. Protr. ad doctrin.] „ab ipso sunt conditæ, quanti venit „æstimandum, quod postremæ illæ „fuerint, & civitati semper manse„rint. Nam visę sunt illis, quibus la„tæ erant, publicis ipsorum orna„mentis, quanquam ea civitatum „aliarum ornamenta superarent, „longe sane illustriores; ipsaque arce, quam munitiorem ceteris, quæ „ubique terrarum essent, existima„bant, insigniter munitiores; longo „denique intervallo rebus ipsis, qui„bus sese efferebant, meliores, „ Neque minor earum apud exteros erat existimatio; adeo ut Romani, *cum de legibus conveniret, de latore*

tantum

* Hæc quoque minus accurate ex Plutarcho referuntur, verba eius ista sunt, ἧς διὰ τὸ ἄρξαι καὶ αὐτὸς μετεῖχε, quæ recte mihi Plutarchi interpres vertisse videtur: *in quo erat ipse quoque, quod Archon fuisset.*

Liv. L. III c. 31. *tantum discreparet*, miserint *legatos Athenas, Sp. Postumium Album, A. Manlium, P. Sulpitium Camerinum, jusserintque inclytas leges Solonis describere*, „quas ex libris Solonis translatas XII. tabulis decemviri exposuere„ Hinc Ammianus Marcellinus ait, *Solon sententiis adjutus Ægypti Sacerdotum, latis justo moderamine legibus, Romano quoque juri maximum addidit firmamentum*.

Aurel. Vict. de vir. ill. c. 21. Ammian. l. XXII. 16.

Ex legibus vero ipsius sequentes apud Plutarchum atque alios conservatas legimus:

Plut. Sol. p. 88. C. *Pulsato aliquo, vel laeso, vel violato, cuique jus erat, cui facultas suppetebat & voluntas, autorem injuria postulare & reum facere*. „Et recte, „ut addit Plutarchus, legislator ci„ves assuefecit, ut alter alterius, „quasi unum sit corporis sui mem„brum, sensu & dolore tangeretur.

Ib. D. De infamia notatis: *Qui ante Archontem Solonem infamia notati fuere, integra fama sunto, exceptis iis, qui in Areopago, vel qui apud Ephetas, vel in Prytanao a Regibus damnati homicidii, aut latrocinii, aut affectati regni, solum exilio verterunt*. Octava ista lex erat tabulæ XIII. Erant autem duo infamiæ genera, eo quod minus erat, officio movebatur illa notandus, & ab omni honore vel officio in Republica gerendo arcebatur. Eo autem quod majus erat, ipse cum liberis cuivis impune occidendus permittebatur.

Ib. 89. adde Meurs. Solon. c. XV. Noct. Att. L. II. c. 12. Ex ceteris ejus legibus singularis imprimis & nova illa est, *qua eum, in seditione qui fuisset neutram partem sequutus, infamia notat*. Allegat eam ex Aristotele Gellius sequentibus verbis: *Si ob discordiam, dissensionemque, seditio atque discordia populi in duas partes fieret, &, ob eam causam irritatis animis, utrinque arma caperentur pugnareturque, tum qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordia, non alterutri parti sese adjunxerit, sed solitarius, separatusque a communi malo civitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto: exul extorrisque esto*. „Nempe volebat, ut „nemo, nullo malorum Reipublicæ „sensu affectus, suarum rerum tan„tum securitati prospiceret, neve „quispiam gloriaretur, quod pa„triæ non tangatur dolore vel mor„bo: sed ut ilico partibus se melio„ribus & justioribus associans, cum „iis periculo se offerat potius, il„lisque succurrat, quam operiatur „ex tuto, unde stet victoria. Plut. l. c.

Gell. l. c. „Quum hanc legem Solonis, Gel„lius inquit, singulari sapientia „præditi, legissemus, tenuit nos „gravis quædam in principio admi„ratio, requirentes, quam ob cau„sam dignos esse pœna existimave„rit, qui se procul a seditione & ci„vili pugna removissent. Tum, „qui penitus atque alte usum & „sententiam legis inspexerat, non „ad augendam, sed ad definendam „seditionem hanc legem esse, dice„bat. Et res prorsum se *sic habet*. „Nam si boni omnes, qui in princi„pio coercendæ seditioni impares „fuerint, populum partitum & a„mentem non deterruerint, & ad „alterutram partem divisi sese ad„junxerint, tum eveniet, ut, quum „socii partis seorsum utriusque „fuerint, eoque partes ab iis, ut „majoris autoritatis viris, tempe„rari ac regi cœperint, concordia „per eos potissimum restitui, con„ciliarique possit: dum & suos,

„ apud quos sunt, regunt atque mitificant: & adversarios servatos „ magis cupiunt, quam perditos. „ Cicero ea lege allegata, *capite sancitam* legem fuisse dicit, eo fortasse, quod de *infamia* generis severioris eam interpretaretur.

ad Attic. L. X. Ep. I.

Absurda autem & ridicula, ut ait Plutarchus, videtur illa lex, quæ *puellæ opulentæ, orbæ*, concedit; *si ille, qui eam ex lege habet, dominus illius factus, rem cum ipsa habere nequeat, ut ex mariti proximis quenquam admittat*. Atqui ajunt nonnulli recte id constitutum fuisse in eos, qui inhabiles ad venerem cum sint, pecuniæ tamen causa divites illas orbas matrimonio sibi jungunt; inferuntque vim naturæ ob legis privilegium.

l. c. B. adde Meurs. Solon. c. XVI.

Plut. l. c.

Quum enim cernunt licere orbæ, quem libeat, admittere, vel abstinebunt ab iis nuptiis, vel retinebunt eas cum opprobrio, avaritiæ & improbitatis pęnas dantes. Bene est etiam, quod non quemlibet, sed quem velit ex viri necessariis, admittat orba, quo proles de familia sit & de stirpe ejus. Eodem spectat: *Quod sponsa cum sponso loco uno concludatur & malum cydonium voret cum eo*, innuens juxta Plutarchum, primam oris & vocis gratiam concinnam & suavem esse debere. Istud item: *quod ter mense cogatur ad minimum in orba, is, qui eam duxit, amplexus venire*. Nam etsi non generent liberos, honos tamen is qualisqualis, a marito castæ mulieri habitus, non permittit eam jurgiis plane abalienari.

Plut. l. c. C

in Præc. Conjugal. p. 138. D. Plut. Solon. p. 89. C.

Verba ante allegatæ legis, *qui eam ex lege habet Dominus illius factus*, aliam ejusdem legem respiciunt, a Diodoro Siculo memoratam: *ut genere proximus orbam jure in matrimonium sibi posceret, & vicissim illa quoque nuptias sibi genere proximi ex lege assereret. Atque huic necesse erat orbam ducere, quamvis pauperem, aut D ei drachmas in dotem dare*. Quo alludit Terentius:

L. XII. p. 84. D. adde Meurs. Solon. c. XVI

Lex est ut orbæ, qui sunt genere proximi,
Eis nubant, & illos ducere, eadem hæc lex jubet.

Hecyra A. I. S. 2.

Ac de elocatione cum dote quingentarum drachmarum, id est, quinque minarum alibi idem.

Phorm. A. II. S. 3.

Etsi mihi facta injuria est, veruntamen,
Potius quam lites secter, aut quam te audiam,
Itidem, ut cognata si sit, quod lex jubet
Dotem dare: abduce hanc, minas quinque accipe.

In ceteris autem nuptiis omnibus dotem dari permittebat nullam, *Sponsam præter tres stolas, & supellectilem parvi pretii afferre quidquam vetans*. Eam vero supellectilem specialius determinatam fuisse ex Polluce colligere est. * Nempe meritorium & venale esse conjugale fędus nolebat, sed liberorum causa, & gratiæ atque amicitiæ virum & mulierem consociari. Eoque Isidorus respicit, *apud Athenienses*, inquiens, *legitimum conjugium liberorum quærendorum causa fieri dicebatur.*

Plut. Solone p. 88. D

Plut. l. c.

L. III. Ep. 234.

Commendatam & illam Solonis legem Demosthenes ait, & Plutarchus: *Mortuo nemini maledicat, etiamsi quis a liberis ejus maledictis incessatur*. Pium est enim putare eos, qui

Dem. Orat. Lept. p. 334. C. Plut. l. c. E

* Nempe ille L. I. C. XII. S. XV. ex hac Solonis lege allegat: *Sponsas ad nuptias euntes, Sartaginem ferre esse jussas.*

qui decessere, sanctos: abstinere ab iis, qui esse desierunt, justum: odii tollere æternitatem, humanum.

Plut. l. c. F. Meurs. Solon. c. XVII. *In vivum contumelias effundere* vetabat, *in sacris, judiciis, curiis & ludis, mulctam* dixit contra facienti, *tres drachmas, offenso solvendas, & duas* insuper, *ærario inferendas*. Nam iræ *nusquam* moderari illiberale putavit & effræne; *ubique* arduum, nonnullis etiam impossibile. Debere autem ad id, quod præstitu possibile sit, legem accommodari, si propositum ei sit paucos utiliter, non multos frustra castigare.

Plut. Sol. p. 90. A. Meurs. l. c. Multam approbationem consecuta est lex ejus testamentaria. Etenim antea non erat jus testamentum condere, sed penes defuncti agnatos pecuniam & domos remanere oportebat. Solon vero liberum fecit *liberis non existentibus, cui visum esset sua donare*. Amicitiamque propinquitati, & gratiam prætulit necessitati. effecitque, ut pecunia, quorum esset, in eorum etiam potestate foret. Nec temere tamen aut simpliciter dare indulsit, sed conditione addita: *si non per morbum, pharmacumve, neque vinculis, aut necessitate constrictus, vel uxoris blanditiis inductus esset*. (Plut. l. c. & in Qu. Rom.) Recte, sive improbis modis quis inducatur, sive vim patiatur, nihil interesse ratus, sed dolum vi, & voluptatem dolori æquiparans, ut quæ æque valeant de statu mentis homines deiicere. Cetera ejusdem legis Demosthenes quoque mentionem injecit, (Or. ad Lept. p. 374. C.)

Plut. Sol. p. 90. B. Meurs. l. c. Profectiones quoque mulierum, luctusque & festa lege adstrinxit, inconditam licentiam coercente. *Proficiscenti foras, tres, non amplius, stolas permittit habere, neque plus cibi vel potus secum efferre, quam obolo emtum: neque calathum cubitali majorem: nec de nocte, nisi curru vectam, ad lucernam iter facere. Lacerationes plangentium, ploratum excitantia & ejulatum in aliorum funeribus sustulit. Parentare bove interdixit, vel amplius, quam tres vestes cum mortuo condere: item ad aliena monimenta nisi in exequiis accedere:* quorum sunt etiam, inquit Plutarchus, nostris legibus vetita pleraque. Affirmatque Cicero, Leges XII. tabularum „ de minuendis sum- (L. II. de Leg. c. 25.)
„ tibus, & funeris lamentationibus,
„ de Solonis legibus translatas fuis-
„ se, qui, ut scribit Phalereus, post-
„ quam fieri sumtuosa funera & la-
„ mentabilia cœpissent, lege eas sustu-
„ lit, quam legem iisdem prope ver-
„ bis Decemviri in decimam tabu-
„ lam conjecerunt. Nam de tribus
„ riciniis, & pleraque illa Solonis
„ sunt: de lamentis vero expressa
„ verbis sunt: *Mulieres genas ne*
„ *radunto, neve lessum funeris ergo*
„ *habento*.

Plut. l. c. C. Meurs. l. c. Porro, urbem cum videret hominibus, quotidie in Atticam undique, propter libertatem & securitatem, confluentibus, compleri; agrum autem fere infœcundum ac malignum: eos vero, qui mare exerceant, nihil solere apportare iis, qui nihil habeant, quod reddant; traduxit ad artificia cives, ac legem tulit; *Ne filius patrem, qui ipsum artem non docuisset, alere cogeretur*, ut Vitruvio (*a*) quoque, Galeno, (*b*) Theophylacto (*c*) & aliis traditum: curiæque præcepit Areopagitarum, (*d*) quonam se quisque tueretur quæstu observare, atque in otiosos animadvertere: in quos actio cuilibet ut esset sancivit, (*e*) terque convictum infamia notavit.

a Vitruv. præf. ad L. VI. *b* Galen. exhort. ad art. *c* Theophyl. Simoc. Ep. VII. *d* Plut. l. c. E. *e* Diog. Laer. I. 55.

(*a*) Ean-

a Pollux. L. VIII. c. 6. b Diodor. L. I. p. 70. in c Herod. L. II. fin. p. 102.

(a) Eandem legem apud Ægyptios quoque fuiſſe obſervatam, Diodorus (b) autor eſt & Herodotus, (c) ab Amaſi conditam indeque a Solone ad Athenienſes derivatam.

d Plut. l. c.

Magis ſevera lex fuit Pontico Heraclidæ memorata, (d) quæ *concubina natum alendo parenti obſtrictum non eſſe pronunciabat*. Nempe, qui juſti matrimonii terminos tranſgreditur, non prolis ſed voluptatis implendæ deſiderio id ſe facere prodit, adeoque jam habet debitam ſibi mercedem; ut non ſit, cur amplius aliquid ab eo expectet, quem gignit, & cui natales ſui pudorem incutiunt.

e Plut. l. c. F.

f Lyſias Or. de. caed. Eratoſth. p. 88.

Or. in Timarch. p. 173. A.

Nihil (e) importunius illis legibus Solonis videtur, quas condidit de mulieribus. Nam adulterum interficere ſive cum uxore, ſive cum concubina (f) cuivis deprehendenti; vel mulctam ab eo exigere permiſit: ac ſi quis ingenuam mulierem rapuerit centum drachmarum mulctam conſtituit, ſi quis vero lenocinium exerceret, drachmas XX, vel, ut Æſchines habet, capitale ſupplicium, * exceptis iis, quæ publice mereantur. *Præterea, ne quispiam vel ſororem vel filiam illi quæſtui addiceret*, ** *vetabat*, *niſi in furtivis amoribus deprehenſam*. Atqui abſurdum hoc, Plutarchus inquit videri, quod idem factum aſpere modo atque atrociter ulciſcatur morte, modo lenius, mulctam ſtatuens ei: niſi id temporis pecuniam Athenis rariſſimam eſſe ſtatuens, ejus difficultate ingraveſcere has pœnas dicamus. †

Plut. p. 91. B. Meurſ. c. XIX. Laert. L. I. ſ. 56. fin.

Iſthmiis vincenti centum drachmarum præmium aſſignavit, *Olympiacis quingentarum*, cujus rei Laertius quoque eſt teſtis: qui præmia eum Athletarum caſtigata moderatione, ait correxiſſe: eos enim Reipublicæ detrimento eſſe, & contra patriam magis quam adverſus adverſarios coronari, Solonem exiſtimaſſe.

ap. Plutar. l. c. Meurſ. l. c.

Qui lupum adduxiſſet, *ei quinque drachmas dedit*, *qui lupam*, *unam*, ut Demetrius Phalereus refert: quorum hoc ovis, illud bovis erat pretium. Eſt autem translatitium apud Athenienſes, qui agrum habent pecori quam arvo commodiorem, bellum cum lupis gerere.

Plut. l. c. Meurſ. l. c.

Quia porro nec amnes perennes, neque lacus, neque fontes, affatim ſuppetunt regioni, ita ut puteos effodere neceſſe eſſet; legem ſcripſit, *ubi puteus publicus eſſet*, *intra curriculi equeſtris ſpatium*, (quod eſt quatuor ſtadiorum) „eo uterentur: „ubi longius abeſſet, ibi aquam propriam quærerent. Sed, ſi, poſtquam ad X. paſſuum altitudinem „effodiſſent, minime eam inveniſſent, tum ut peterent e proximo, „& quotidie hydriam ſex congiorum bis implerent.

Plut. l. c. D. Meurſ. l. c.

Modum vero plantationum ſatis exacte ita determinavit: *Aliam arborem quamcunque in agro ſuo qui plantaret*, *eam a vicina quinque pedibus ut plantaret diſtantem*: *qui ficum aut oleam*, *ut novem*: quod radices agant hæ longius, neque ſit omnibus vicinia earum innoxia, ſed & alimentum eripiant, & halitum

* Vide paulo poſt obſervata.

** Ita Stanlei. apud Plutarch. eſt πωλοῖ, h. e. *venderet*. Sed illum, quem Stanlejus reddit vocis ejus ſignificatum ex Lyſia tuetur Meurſius in Solon. c. 18. fin.

† Hanc Plutarchi conjecturam paulo ante allegatus Æſchinis locus firmat, ex quo patere puto in lege Solonis de lenociniis disjunctim vel capitis vel XX. Drachmarum pœnam ſancitam fuiſſe.

tum exhalent quibusdam infestum.

Plut. & Meurs. ll. cc. in l. Jejendum est. XIII. D

Scrobem aut fossam qui ducere velit, ille ut recedat tam longe a fundo alieno, quam profunde fodere vellet: quæ a Cajo IC. confirmantur, qui & ista a' Solone sancita addit: *Qui sepem fecerit prope alienum fundum, in proprio fundo faciat, si murum, pede uno ab alterius fundo removeat, si domum, duobus pedibus. Si puteum, orgya.*

Plut. l. c. E

Qui apum alvearia collocat, dissita collocet ab iis, quæ alius prior collocaverit, ad CCC. pedes.

d. Ib.

Ex fructibus exportantes devovere Archontem diris jussit, aut ærario centum drachmas ipsum exsolvere. Ubi minime contemnenda eorum sententia, qui ajunt olim etiam ficuum prohibitam exportationem fuisse, & delatorem exportatoris *Sycophantam* esse appellatum.

Legem scripsit, si quadrupes noxam fecerit, in qua *canem, qui momorderit, quatuor cubitorum catena ligari præcipit.*

Plut. ib.

Præbet scrupulum lex de civibus adscriptitiis, quia *recipi in civitatem vetat, nisi qui in perpetuum exilium e sua patria sint ejecti, aut cum toto domicilio artis exercendæ gratia Athenas commigraverint.* Quod non tam summovendorum statuit peregrinorum causa, sed invitandorum Athenas, spe certa, jura civitatis sese consecuturos esse, fidosque existimans fore horum illos ex necessitate, istos ex affectu.

Plut. p. 91 A.

Solonis institutum etiam fuit *epulari publice in curia*, quod παρασιτεῖν ille vocavit. Eundem autem sæpius in publico epulari non permisit: vicissim ei, qui invitatus recusaret, pœnam statuit, hunc honoris publici fastidientem, illum inordinate appetentem existimans.

Atque illæ sunt, quas Plutarchus habet, Solonis leges, jam aliæ ex Diogene Laertio sequuntur.

Laert. l. 55. Meurs. Sol c. XX. Æsch. Or. in Timarch. p. 176. A.

Si quis parentibus alimenta non præbuerit, infamis esto, ut & is, qui patrimonium suum abligurierit. Huc Æschines respicit: „ Quarto loco „ cum quibus agit? si quis patrimo„ nium aut hæreditaria bona per lu„ xum absumserit. Nam qui suam „ familiam male administraverit, „ eodem modo Rempublicam etiam „ administraturum putavit: neque „ fieri posse censuit Legislator, ut „ idem homo & privatim esset im„ probus, & publice bonus: aut de„ cere ut orator suggestum adscen„ deret, qui habendæ orationis prius „ quam ducendæ vitæ rationem in„ stituisset„

Laert. ib. Meurs. ib. Æsch. Pt. in Timarch. l. c.

Scortatorem quoque a suggestu arcebat: quod & Æschines confirmat: „ *Tertio*, inquit, cum quibus agit „ (legislator?) si quis, inquit, me„ retricum quæstum fecerit, aut „ scortator fuerit. Nam qui suum „ corpus ad ignominiam vendide„ rit, eum etiam Reipublicæ nego„ tia facile venditurum esse existi„ mavit. „

Laert l. 56. Panathen. T. I p. 331 Meurs. l. c

Eis, qui in præliis occubuissent, præmia auxit, quorum *filios e publico erudiendos nutriendosque* præcepit. Hinc Aristides de Atheniensibus: „ Soli autem omnium homi„ num tria hæc sanxistis lege: ut, „ qui pro patria obiissent, cum ipsi „ quotannis ad sepulchra publice „ laudarentur, tum eorum quoque „ liberi usque ad pubertatem de pu„ blico alerentur, postea paternam „ domum cum integra armatura re„ mittendi: debiles item cives pu„ blice nutrirentur. „ Addit Plato,

eun-

Menexe-no T. II. p. 248. sq. eundem honorem parentibus quoque eorum habitum fuisse: „Reipublicæ, inquit, curam nostis, quæ „cum leges ferret, de eorum, qui in „bello cecidissent liberis ac parentibus, supremo magistratui mandavit, ut curaret, ne in bello defunctorum parentes, supra ceteros „cives omnes, iniuria illa afficerentur: liberos vero ipsa una educat.

l. c. „Quo ipso, uti observat Laertius, „ „animati universi, fortiter ac strenue in bellis pugnabant. Sic Polytelus, sic Cynægirus, sic omnes, „qui in Marathonia expeditione „pugnaverunt: quibus addi Harmodius Aristogiton & Miltiades „possint.

Laert. l. 56. Meurs. l. c. in Hermog. *Ut Curator cum pupillorum matre non cohabitet, neque is fiat curator, ad quem post pupillorum obitum spectaret hæreditas.* Quam Legem ab eo latam firmat Syrianus, & Marcellinus aliique, qui addunt lege ea cautum fuisse, ne pupilla tutori aut ejus filio nubat.

Laert. l. c. *Ne liceat annulario, ejus quem vendidit annuli ectypum servare.*

Qui alteri unum reliquum oculum eruerit, ei ambo ut eruantur.

Laert. l. 57. Meurs. l. c. Legem ejus de furtis ita Laertius refert: *Quæ non posuisti, ne tollas, si quis secus fecerit capitale esto.* Æschines tamen capitale id fuisse ait, si quis fassus ipse fuerit: Alii pœna dupli tantum tales condemnatos fuisse ajunt, in quibus & Gellius est & Hermogenes, affirmantes, hocce discrimen lege ista inter furtum & sacrilegium statutum fuisse, ut istud morte, illud dupli restitutione puniretur. Rem illustrat Demosthenes, legem nobis accurate repræsentans verbis istis. „Si quis interdiu ultra L. drachmas furatus fuerit abduci liceat ad undecimviros. „Si quis vero noctu quippiam surripuerit, eum & occidere & inter persequendum vulnerare, & ad undecimuiros, si cui libet, abducere fas „esto. Convicto autem eorum facinorum, propter quæ in vincula licet abripi, non liceat datis vadibus satisfacere pro furtis, sed mors „pœna esto. At si quis e Lyceo, „aut ex Academia, vel Cynosarge, „vestem, aut laguneulam, aut quidquam aliud minimi pretii, aut aliquod vasculum e Gymnasiis aut „portubus surripuerit, supra decem „drachmas, huic morte pœnas esse „luendas constituit. Si quis vero „privato judicio furti convictus „fuerit, ei licere litis æstimatæ duplum solvere: penes vero judices „esse, furem præter argentum, ad „quinque dierum totidemque noctium vincula damnare, ut omnes „eum vinctum esse videant. „ Imo eos etiam, qui fimum furto sustulissent, Lex Solonis pęna afficit. (*a*)

Gell. L. XI. c. 18. Hermog. Partit. S. 4.

Orat. in Timocr. p. 476. C.

Archontem, (*b*) *si deprehensus fuerit ebrius, capite plectendum.*

Istis a Laertio memoratis Legibus adde sequentes ab aliis collectas:

Sororem eodem parente natam ducere permisit, uterinæ nuptiis interdixit. Cum contraria ratione, ut Philo (*c*) observat, Lacedæmoniorum legislator, posterioris generis nuptiis permissis, prioribus interdixerit. Hinc Cornelius Nepos affirmat, „Cimonem sororem germanam „habuisse in matrimonio, nomine „Elpinicen, non magis amore quam „more ductum, nam Atheniensibus „licet eodem patre natas uxores „ducere.

Scripsit & more antiquorum, ac graviter, de disciplina matronarum:

a Vid. Suid. Βολίτω δίκη & Schol ad Aristoph. Equit. p. 328. E. *b* Laert. l. c. *c* Philo de Leg. spec. L. II. p. 778. E. Meurs. Solon. c. XVI. fin.

Procem. & vita Cimon. c. 1.

Æschin. Or. in Timarch. p. 196. A.

rum: *Mulierem enim, cum qua adulter deprehensus fuerit, ornari non sinit, nec in fana publica intrare,* ne suo interventu integras matronas corrumpat. *Quod si intraverit, aut sese exornaverit, quenvis dilacerare ejus vestimenta, & ornatum* „*diripere* jubet, & eam verberare: „hactenus tamen, ne vel occidat „vel mutilet: eo modo talem mulierem omni dignitate privans, „ac vitam ei morte acerbiorem reddens. Id quod Demosthenes etiam confirmat, addens: *Si quis adulterum deprehenderit, ei, qui deprehenderit, porro habere in matrimonio mulierem ne liceat: quod si vero porro habuerit, infamis esto.*

In Neaer. p.529.B.

Demosthen. Or. in Macart. p. 666. D. Meurs. c. XXI.

Defunctum intus proponunto suo arbitratu: cadaver autem postridie quam collocaverint, ante Solis exortum efferunto. Viri, cum effertur funus, antecedunto, mulieres pone sequuntor. Mulieri autem nefas esto in bona defuncti ingredi, itemque sequi cadaver, cum in monimenta ducitur, annis sexaginta minori, iis exceptis, quæ intra sobrinas sunt. Nec in bona defuncti ingrediatur, postquam elatum cadaver fuerit, mulier ulla, præter eas, quæ sunt inter sobrinas.

Cic. de Leg. L. II. c. 22.

De sepulchris nihil est apud Solonem amplius, quam, *ne quis ea deleat, neve alienum inferat*, pœnaque est, *si quis bustum aut monumentum, aut columnam violarit dejecerit, fregerit*.

Aelian. Hist. Anim. II. 42. Var. Hist. V. 14.

Si in hominis cadaver insepultum quis incidat, terram ei ut injiciat.

a Demosth. in Lept. p. 371. A. in Timocr. p. 466. A.

Si qua lex recepta mala cui videatur, eam ut accuset: deinde ea abrogata, ut aliam ipse substituat. (*a*)

b Declam. XVIII.

Libanio autore (*b*) sancivit idem, *ut liberi debita parentibus officia præstare tenerentur*. Sextus (*c*) legem de indemnatis eum scripsisse, ait *per quam unicuique filium suum interficere permisit*. (*d*) Sed Dionysius tamen Halicarnasseus dicit, *ut ædibus eos expellerent, & exhæredarent etiam*, ac nihil ultra eum concessisse.

c Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. III. 24.

d Dionys. Antiq. II. Cap. XXVI. p. 93.

Eum, qui militiam detrectaret, timidum, & desertorem eadem dignum pœna habet, septis arcet fori lustralibus, coronari vetat, & fana publica ingredi. (*e*)

e Aesch. in Ctesiph. p 299. B.

f Demosth. in Timocr. p. 475. B.

Si quis abductus fuerit (f) ob male tractatos parentes, aut militiam detrectatam, vel, quod contra legum interdictum eo fuerit ingressus, quo non oportebat, undecimviri eum correptum vinciunto. & in Heliæam introducunto, accuset autem ex his, quibus id licet, quicunque voluerit. Ac si fuerit damnatus, æstimato Heliæa, quod supplicium, aut quæ mulcta irrogari ei debeat. Quod si mulcta indicta fuerit, in vinculis retineatur, donec solvat.

Athen. L. XIII. p. 612 A. & L. XV. p. 687. A. Aesch. in Ctes. sub init. p. 274. B.

Viris unguentariam exercere interdixit, quod effeminati hoc esse putaret. Oratoribus orandi istam legem pręscripsit, *ut natu maximus civium quisque suggestu modeste conscenso, sine tumultu & perturbatione, ex usu rerum optima quæque Reipublicæ suadeat: deinde jam quivis civium pro ætate, seorsim & per vices de unaquavis re pronunciet.*

Liban. Decl. XIII. T. I. p. 399. C. Stobæus serm. CXIV. p. 587 lin. 1. Demosth. in Aristogit. p. 504. A.

Atheniensem Athenis judicandum esse statuit.

Lege sanxit, *ne quis magistratum gerat admodum juvenis, neve ad consultationes admittatur, quamvis prudentissimus videatur.*

Plebeiis tardas, magistratibus populique gubernatoribus veloces constituit pęnas: quod existimaret,

ret, de illis quovis tempore supplicium sumi posse, hos moram ultionis non permittere.

Maxim. Tyr. Diss. XXXIX. p. 193. Cic. Or. pro Rosc. Amer. c. 25.

De diis & cultu eorum nihil statuit: neque supplicium in eos, qui parentes necassent, respondens, cur id neglexisset interrogantibus: *se id neminem facturum putasse*.

CAP. VII.

De Axibus & Cyrbibus, Senatorum Juramento, aliisque Solonis Institutis.

a Plut. Solone p. 92. A. b Gell. II. 12. c Ammon. de diff. voc. & Thom. Mag. Collect. Dict. Att. ἄξον. d Plut. l. c. e Etymol. v. ἄξονες. f Pollux VIII. 10.

ROBur his legibus (a) omnibus dedit in annos C. Tabulis autem incisæ sunt diversis (b) Privatæ quidem (c) tabulis quadratis (d) cum capsis (*) a solo usque ad tectum pertingentibus, (e) quæ vertebantur in lignis oblongis; rotæ ad instar, unde & ἄξονες dictæ sunt. (f) Atque illæ primo quidem in arce positæ: postea vero, ut omnibus copia earum esset, in Prytaneum & forum deductæ, ubi Plutarchi (g) adhuc tempore parvæ eorum reliquiæ asservabantur. Leges vero, quæ publica instituta & sacrificia continebant, (h) in triquetris lapidibus (i) descriptæ erant, qui *Cyrbes* appellabantur, vel a *Cyrbe* (k) quodam, qui facultates definiverat, vel ἀπὸ τῦ ταῦτα ΚΥΡΩΘΗΝΑΙ τοῖς γράμμασι, vel ἀπὸ τῦ κεκορυφῶσθαι, vel a *Corybantibus*, a quibus inventas eas esse, traditum quibusdam. (l) Hæ in porticu regia erant collocatæ (m) Scriptæ vero ita erant, ut a bubus aratoribus sulci duci consueverunt. (n) Unde legem a sinistra parte incipientem inferiorem Demosthenes dixit.

g l. c. h Ammon & Thom. Magister ll. cc. i Harpocr. in κύρβ. K Suid v. κύρβ. l Schol. ad Aristoph. Av. p. 634. G

m Arist. ap. Harpocrat. l. c. n Didym. ap. Harpocr. l. c. & Suid. βουστροφηδόν. o Plut. Sol. p. 92 Et

Senatus vero (o) ad annos C. observationem Solonis legum sibi curæ fore communi jurejurando confirmavit, privatim Thesmothetarum unusquisque in foro, juxta præconis lapidem, si quam legem violassent, auream se statuam, paris cum ea, quæ ibi esset, magnitudinis, Delphis dedicaturos esse curavere. Juramenti ejus capita exposita habemus nonnulla apud varios autores, qualia sunt: *ut ne abrogent leges suas*, apud Plutarchum; (p) *ut neminem, qui juvenis sit, ad judicium admittant exercendum* (q) ap. Stobæum: *Eadem ratione utrumque esse audiendum*, apud Demosthenem: (r) Quæ omnia arguunt esse hoc juramentum illud, quod conceptis verbis allegat idem; (s)

p l. c. q Serm. CVI. r Pr. pro Coron. init. p. 313. A. s Or. adverſ. Timocr. p. 481.

„Pronunciabo secundum leges & „decreta populi Atheniensis, & se„natus quingentorum, tyrannidem „vero aut paucorum dominatum „mea sententia non comprobabo, „neque, si quis populum Athenien„sem corruperit, (**) vel corrumpe„re intenderit studueritque, conce„dam. Novas tabulas haut fieri con„cedam, vel earum, quæ receptæ „sint divisionem, vel agrorum bo„norumque æqualitatem. (***)

Exu-

(*) *Cum capsis*, has voces, unde habeat Stanlejus, non video: nil tale apud autores in margine allegatos, maxime Etymologum, ex quo verba immediate antecedentia & sequentia descripsit.

(**) *Corruperit vel corrumpere intenderit studueritque* &c. Parum luculenter hæc conversa Stanleio: in Græcis est: οὐδ' ἐάν τις καταλύῃ τὸν δῆμον, τὸν Ἀθηναίων, ἢ λέγῃ ἢ ἐπιψηφίζῃ περὶ τούτων, οὐ πείσομαι. Vertendum: *Neque feram, si quis popularem Atheniensium statum evertat, vel dicat, aut decernat adversus hæc.*

(***) *Novas tabulas fieri non concedam bonorumque æqualitatem*. Hic quoque versio Stanlejana minus mihi arridet. In Græcis est; οὐδὲ τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπάς, οὐδὲ γῆς ἀναδασμὸν τῆς Ἀθηναίων, οὐδ'

„ Exules non restituam neque capitis damnatos. Ut civitate pellantur consentiam, qui legibus hisce obsequium detrectaverint, a senatu sancitas, a populo confirmatas. Nemini injuriam fieri permittam. (†) Neminem magistratum gerere sinam, qui rationes alterius a se gesti magistratus non reddiderit: Neque eundem bis esse in eodem magistratu, eodem anno, aut duos una magistratus gerere permittam, munera non accipiam, non ego ipse, neque alter mihi. Non sum minor anni triginta. Utramque partem audiam ex æquo. Sententiam feram de ea re, de qua instituta erit actio, Jovem, Neptunum, Cererem vindices testor, imprecorque exitium ipse mihi & familiæ meæ, si quid horum non observavero. Hinc autem (in τρεῖς θεοὺς) est forte, quod Hesychius affirmat, in legibus suis Solonem *per tres Deos* juramentum præscripsisse.

(Plut. l. c. Laert. I. 57.) Mensium considerans ἀνωμαλίαν, lunæque motum, solis ortui & occasui non usquequaque respondentis, ut quæ subinde solem eodem die & assequatur, & prætergrediatur, hunc ipsum diem ἕνην καὶ νέαν *ultimam ac novam* appellavit: partem ejus, quæ conjunctionem lunæ cum sole antecedit, desinenti, residuam inchoanti attribuendam arbitratus. Atque ita docuit Athenienses dies secundum lunæ cursum agere. Primusque fuit, qui Homerum intellexit canentem: (Laert. I. 59. Plut. l. c.)

Hic cum desierit mensis, cum cœperit ille.

Insequentem vero diem νεομηνίαν, *novilunium*, appellavit. A vicesimo qui sequuntur, non addendo sed detrahendo, prout lumen lunæ se haberet, usque ad tricesimam diem numeravit; quam in rem Aristophanes poterit conferri. (Nub. A. IV. sc. 4.)

Homeri versus ut alternis occinerentur, statuit, ita, ut ubi desiisset primus, inde alter initium faceret, magisque ea ratione, Dieuchida autore, Homerum Solon illustravit, quam Pisistratus, qui primus Rhapsodias collegit. Versus autem isti potissimum erant: (Laert. 57.)

Qui vero Athenas habitabant ---

Primus Solon mulieres emtas (**) prostituit in ganeis, & ex eo quæstu *Veneris vulgaris* templum exstruxit. (Athenæus XIII. 596. D. Sext. Empir. l. VI. adv. Mathem. p. 128. B.)

Primus etiam milites ad tibiam ac lyram incedere, ita ut numerosum in armis motum facerent, docuit.

CAP.

καὶ οἰκιῶν. Quæ magis luculenter vertit Petitus de legibus Attic. p. 500. *Neque novas tabulas fieri aut agrum domosque populi Atheniensis dividi patiar*, optime vero interpretatur Ulpianus hoc sensu: „Neque de privatorum pecuniis legem feram, ut ne recipiant privati pecuniam fœnore locatam. Id enim Tyrannidem affectantes faciunt. Ἀναδασμὸς vero *divisio* est, talis enim institui solet in Republicis seditione afflictis. Pauperiores enim haut raro, facta secessione, adversus opulentiores insurgunt, dicentes, æquum haut esse, plurimum illos agrorum possidere, se vero minus: æquum vero esse, ut & sibi ex æquo agri & domus (lego καὶ οἰκίας pro κατ' οἰκίας cum Petito ex Demosthene) dividantur.

(†) *Ut civitate pellantur injuriam fieri permittam*) Ista quoque rectius vertas cum Petito: *Neque eos, qui urbem incolunt, expellam, adversus leges receptas, & populi Atheniensis scita senatusque consulta neque quenquam alium id aggredi sinam.*

(*) i. e. meretrices, vide notata s. de voce πωλεῖσθαι.

CAP. VIII.

De Solonis cum Anacharside conversatione, ejusdem in Ægyptum, Cyprum, Miletum, Delphos, Corinthum, Cretam Itinera.

Laertî I. 101 Plut. Sol. p. 80. E. QUadragesima septima Olympiade, Sosicrate autore, Athenas concessit Anacharsis Eucrate Archonte. Domum ille statim adibat Solonis, foribusque pulsatis, advenam se esse dixit, qui ad contrahendam cum eo amicitiam & jus hospitii accessisset. Respondente Solone: *Domi amicitias præstat conciliare: Quin tu igitur* (subjecisse Anacharsin) *qui domi es, jungis nobis cum amicitiam & hospitium*? Eamque illius sagacitatem miratus Solon, hominem excepit benigne, atque aliquamdiu apud se detinuit, quum remp. gereret, & leges conscriberet. Qua re intellecta, risisse dicitur Anacharsis molitionem Solonis, *qui civium se injurias & cupiditates putaret refrenaturum scriptura, quæ nihil a telis araneorum diferret,* (a) *quæ imbecilles tenuesque, quos comprehendissent, detineant, opibus vero valentes transmittant*. Quibus Solonem respondisse ajunt, *stare homines pactis conventis, quæ neutri parti violare expediat*. Nempe ita se temperare leges, civibus omnibus ut futurum perspicuum esset, magis expedire iis, si observent eas, quam si transgrediantur. Verum Anacharsidis magis suspicioni, quam expectationi Solonis eventus respondit.

a hoc inf. c. IX. ipsi Soloni tribuitur ex Laertio.

Plut. p. 92. D. Perlatis legibus adibant indies aliqui Solonem, qui vel laudarent eas, vel reprehenderent, vel monerent, ut tabulis intexeret vel demeret, quod cuique in mentem veniret, plurimi vero ut quærerent & percunctarentur, & quemadmodum accipiendum quidque esset, & quam haberet sententiam explicatum ut det, peterent. Perspiciens igitur se, id si facere nollet, insolentem visurum, si faceret invidiosas censuras incursurum, declinare istas statuit difficultates, pariter ac civium sive importunitatem, sive carpendi libidinem, ut enim ipse ait:

Difficile in magnis canere est ---

Itinerique adeo quæsito prætextu; ex eo, quod navis ipsi esset, veniaque ab Atheniensibus impetrata, ut abesse sibi decennio liceret, navim conscendit, interea fore sperans, ut suis assuefierent legibus.

Primum in Ægyptum est delatus, ibique commoratus, ut ipse ait,

Faucibus in Nili, qua littora curva Canopi

cum Psenophe Heliopolita, inter sacerdotes literatissimo, philosophabatur. Ab hisce sacerdotibus edoctus est, ut autor est Plato, Atlantidis fabulam, quam postea versibus cœpit explicare. Eos de antiquitatibus percontanti respondere solebat Sacerdotum antiquissimus: *O Solon Solon, semper pueri Græci, senex Græcorum est nullus.* Plato Tim. T. III. p. 22. B. Plut. l. c.

Inde in Cyprum navigavit, ubi in summa gratia apud Philocyprum fuit, illius insulæ Regum unum, qui oppidum habebat exiguum, a Demophoonte, Thesei filio, ad Clarium flumen conditum, loco munito, aspero tamen & sterili. Ei Solon, quum esset lætus campus subjectus, illuc suasit, ut urbem transferret, amœnioremque & ampliorem excitaret. Quod cum faceret ille, Solon, ipse præsto qui esset,

cura-

curavit, ut, cum ad vitam, tum ad securitatem tuendam commodissime constitueretur. Unde frequentes incolæ ad Philocyprum confluxere, æmulatique eum sunt ceteri Reges. Ejus itaque rei Soloni honorem habuit, nomine urbi, quæ dicta antea *Æpea* fuerat, indito *Soli*. Conditæ ejus ipse meminit, ita enim in Elegiis, Philocyprum affatus:

Tu jam rite Solis longævo tempore regnans
Incolito hanc urbem, tuque genusque tuum.
Cum pace interea viola redimita Corollis,
Cypro dimittat me Cytherea sua,
Laert. l. 61. *Gratesque atque decus, fuerim quod conditor urbis,*
Solvat ea, & nostrum dextra secundet iter.

Plut. Sol. p. 81. B. Tzetz. Chil. V. 65. Ad Thaletem quoque Mileti invisebat, qui quam lepide eum deceperit a Plutarcho etiam traditum, ex Tzetze tamen audire juvat.

Thaletis quoque in Patriam Solon venit Miletum.
At Thales hic instruxerat quendam Milesiorum,
Ut sese Athenis nupere venisse simularet,
Quem Solon mox interrogat, novi quid accidisset?
Respondit ille mortuum absente patre natum,
Cui justa tota civitas mæsta persolvisset.
Porro Solonis anne sit? Solone sciscitante,
Cum diceret Milesius, esse Solone natum,
Plorare instituit Solon comasque quelacerare.
Ast Thales, ridens suaviter, amplexus est amice,
Meum inquit, hoc inventum est,
Solon, plorare noli,
Hoc est ferendis liberis cur non vacare vellem,
Quod te, virorum maximum, ita turbare cerno.

Nescio, an ad istam pertineat fraudem, an ad jacturam filii reapse factam, quod Dioscorides refert, & Stobæus, ei filii morti illacrymato, dixisse nonneminem: *At nihil proficis*. Eum vero respondisse: *At propter hoc ipsum illacrymer, quia nihil proficio*. ap. Laert. l. 63. Stob. serm. 121.

Reliquos Sapientes Delphis convenit, & sequenti anno Corinthi, quo a Periandro fuerant invitati, quod, prout ex Plutarcho colligere est, factum est diu antequam tyrannidem involaret Pisistratus. Neque ei adversus Dio Chrysostomus mihi videtur, quamvis esse visus sit Viro docto, verba enim Dionis nihil aliud sibi volunt quam hoc: *quod* Periandri tyrannidem *haut fugerit Solon, qui Pisistratum tamen tyrannum fugiendum sibi esse putaverit*. Laert. l. 40. Plut. Sol. p. 80. C. Conv. Sept. Sap. p. 146. seq. Dio Or. XXXVII. p. 455. D Jo. Meursio Solon. c. VI.

In Cretam quoque eum profectum esse, Epimenidis forte studio, ex Thaletis quadam colligere licet epistola. ad Pherecyd. ap. Diog. Laert. l. 43.

CAP. IX.

Datum Soloni Sapientis nomen: ejusque Sententia ad morum doctrinam pertinentes.

ARchonte apud Athenienses Damasia, altero anno Olympiadis XLIX. sapientum nomem septem illis tributum fuit. Ex eorum numero Solon fuit, cui titulum illum, *tanquam honorificam & plenam dignitatis appellationem*, datum esse Themistius ait. Plutarchus septem illos, Thalete excepto, omnes Laert. l. 40. Themist. Or. IX. p. 12. Plut. Vit. Sol. p. 80. B.

Ibid paulo ante ita appellatos dicit a rerum civilium prudentia. Et rursum: *Ex Philosophia Ethica præcipue & Politica, sicut plerique sapientum, est sectatus.* In Themistocl. p. 112. D. Idemque de Mnesiphilo loquens inquit: *Fuit hic non orator, neque ex secta philosophorum, quos Physicos nominant, verum eam quam sapientiam vocabant, quæ scientia erat reipublicæ gerendæ, & prudentia negotiosa, amplexus est & tenuit, velut sectam ex successione Solonis.* Unde Somn. Scip. II, 17 Macrobius in iis philosophis, *qui philosophiam hauserunt amplius, & firmamentum reip. quæsiverunt*, censuit.

Huc referenda moralis ejus doctrina, quæ quidem, a Socrate licet in scientiæ formam redacta sit primum, ejusque adeo inventæ illi laus fuerit adscripta, ita excelluere septem sapientes, ut sint qui affirment eo unice sapientum titulum iis datum fuisse, quod vitæ probitate alios anteirent, vivendique regulas sententiis concinnis complecterentur. Eorum tria genera habebant, Apophthegmata, Præcepta, & Ἀδόμενα.

I, 58. a hoc supra cap. VIII. init. tribuitur Anacharsidi ex Plutar. Apophthegmata Solonis apud Laertium sequentia occurrunt: *Sermo imago est operis. Rex est, qui viribus est fortissimus. Leges aranearum telis simillimæ.* (a) *Illis quippe si quid leve & imbecillum inciderit, involvi ab eis atque contegi: Si quid majus atque gravius, perrumpi ac perire. Qui apud tyrannos auctoritate valent,* (b) *eos calculis, quibus in componendis rationibus utimur, similes esse. Ut enim eorum quivis interdum majorem numerum, interdum minorem significat, ita & tyrannos horum quemque, prout libitum fuerit, aliquando illustrem & inclytum, aliquando obscurum habere & ignobilem.* b Hanc sententiam Oronti Artaxerxis genero tribuit Plut. Apopht. p. 128. Interrogatus, quo pacto homines ut minime violent jura humana queant adduci? *Si sic doleant & afficiantur*, respondit, *qui injuriis non lacessuntur, ut qui lacessuntur. Satietatem ex divitiis nasci ajebat, & ex satietate proterviam.*

Plutarchus sequentia exhibet: *Optimam esse civitatem, in qua illæsi pariter ac læsi insectentur & vindicent maleficia.* Vit. Sol. p. 88. C. Conv. Sept. Sap. p. 154. D. Interrogatus, qua ratione optime respublica constitui possit; respondit: *Si cives magistratibus,* (c) *magistratus legibus pareant. Hac ratione maxime gloriam consecuturum, ajebat, sive Regem sive tyrannum, si unius dominatum in popularem Reip. statum vertat.* (d) *Ea ipsi optima videbatur domus ubi res sit non injuste parta, & in qua sive conservanda diffidentiæ, sive impendenda pœnitentiæ non sit locus.* (e) c citat ex Plutarch Conv. Sap. Stanlejus, apud quem non invenio invenio ap. Stobæum Serm. XLI. d ibid. p. 152. A. e ibid. p. 155. C.

Beatos esse ajebat eos: *Qui externis rebus mediocriter sint instructi, & honestissime egerunt, vixeruntque temperanter:* (f) Quam definitionem & Aristoteles probat. *Rempublicam duabus rebus contineri dixit, præmio & pœna.* (g) f Aristot. Ethica X, 8. g Cic. ad Brut. Ep. XV. idem paulo post citatur ex Stobæo

„Cum ex amicis quendam graviter mœrentem videret, in arcem „deduxit, hortatusque est, ut per „omnes subjectorum ædificiorum „partes oculos circumferret: quod „ut factum animadvertit, cogita „nunc tecum, inquit, quam multi „mœrores sub his tectis & olim fuerint, hodieque versentur, insequentibusque seculis sint habitaturi, „mortaliumque incommoda, quippe quæ propria illis sint, flere „desine. Idem ajebat, si in unum locum cuncti mala sua contulissent, „futurum, ut propria deportare do-

„ domum, quam ex communi mise-„riarum acervo, portionem suam „ferre, mallent. (a)

a Val. Max. VII, 2.

„Inter pocula tacitus à Perian-„dro interrogatus, an propter ver-„borum inopiam, an ob stultitiam „taceret? respondit: *Atqui stultus* „*nemo inter pocula tacere potest*.(b)

b Stob. S. 34.

Illam civitatem optime habitari, dixit, *in qua viros bonos honoribus*, *contra autem pœnis affici malos, sit usu receptum*(c)

c Stob. S. 41 hoc mihi dictum idem videtur cum allegato paulo ante ex Cicerone.

Idem ajebat, *homini nihil metuendum, nisi ne finis ejus philosophiam excedat*.

Jo. Saris. Policrat. L. VIII. c. 14 Or. in Timocr. p. 183. B.

Demosthenes orationem ejus ad judices allegat, habitam dum accusaret perniciosæ legis suasorem, cujus ille est sensus: „*Receptum est uni*-„*versim apud civitates, qui mone*-„*tam adulteraverit, morte ut mulcta*-„*retur*. Deinde interrogatis judicibus, num ea illis lex justa videretur & laudabilis? illisque videri sibi respondentibus, subjeçit: putare sese, *argenti monetam privatorum contractuum causa repertam inter cives esse: leges autem monetam esse Reipublicæ. Judices igitur oportere multo magis, si quis eam, quæ civitatis moneta sit, corrumpat, odisse, ac punire, quam si quis eam, quæ sit hominum privatorum*. Atque ut intelligerent, haut dubie majus esse delictum, corrumpere leges, quam adulterare monetam, addidisse: *Multas civitates, quæ haut dissimulanter argento, quod sit ære & plumbo temperatum utantur, tamen incolumes esse, nec ullum ea ex re detrimentum capere: at, si qui perinde, legibus adulterinis usi, receptas corrumpi siverint, eorum nullos unquam non internecione periisse*.

Laert. I. 60.

Fertur & Mimnermum, cum scripsisset:

O utinam morbo immunem tristique dolore
Lustro bisseno me mea fata ferant

increpasse ita dicendo:

Me si audire velis, istis induce lituram,
Tantus sisque licet, ut moneare sinas:
Corrige quæso igitur versum, sic nempe canendum:
Lustris bis septem me mea fata ferant.

Quantum ad moralia ejus præcepta, ea a Demetrio Phalereo ita repræsentantur, nonnullis eorum apud Laertium etiam obviis Diogenem: *Ne quid nimis. Ne judex sedaas: sin autem, damnato inimicus sis. Voluptatem fuge, parit enim tristitiam. Serva morum probitatem, vel jurejurando digniorem. Sermonem quidem silentio obsigna: silentium tempore opportuno. Ne mentire sed verum dicas. Seria meditare. Parentibus justiora ne dixeris. Amicos non cito comparabis: quos vero comparaveris non statim reiicies. Cum regi didiceris regere scies. Quam aliis pœnam præscripseris, tu quoque sustineto. Civibus non suavissima sed optima consulas. Ne sis arrogans. Cum malis ne converseris. Deos consule. Amicos cole. Parentes reverere, mentem tibi ducem præfice. Quod videris ne dixeris. Sciens taceto. In tuos mansuetus esto. Ignota ex notis conjice*.

ap. Stob. Serm. 3.

Symbolum ejus juxta Didymum & Laertium, *ne quid nimis*, juxta Ausonium, *nosce teipsum*, a quo & ista ei tribuuntur:

ap. Clem. Al. Str. 1. p. 300. B. Laert. I, 63. Auson. ludus sept. sap.

Dico tunc beatam vitam, cum peracta fata sunt:
Par pari jugator conjux: quicquid impar, dissidet.

D 2 Non

Par pari jugator conjux: quicquid impar, dissidet.

Non erunt honores unquam fortuiti muneris.

Clam coarguas propinquum, quam palam laudaveris:

Pulchrius multo parari, quem creari nobilem.

Certa si decreta sors est, quid cavere poderit?

Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit?

l. c. Ἀδομένων ejus ista servata habemus a Laertio:

Tu si sapis, fac singulos probe observes,

Ne forte quisquam tegat, quod habet intus.

Telum, & interim vultu loquatur blando,

Ac lingua duplex ex atra sonet mente.

CAP. X.

Ut Pisistrato adversatus fuerit, & Thespin reprehenderit.

Plut. Sol. p. 94. E. PEr absentiam Solonis prior seditio in civitate recruduit. Dux erat rusticarum tribuum Lycurgus, maritimarum Megacles, Pisistratus eorum, qui arci vicina loca tenerent, qui inprimis erant locupletibus infesti.

Ibid. Vigebant quidem adhuc in civitate leges Solonis, sed ad res novas spectabat populus, aliumque Reip. statum, non quod æquum id esse putarent, sed aliena quoque se assecuturos in mutatione, & adversam partem oppressuros, sperantes. Hoc rerum statu Athenas rediit Solon, ubi in magna quidem apud omnes reverentia erat & honore, verum dicere agereque in publico non poterat, corpore & animo ob ingravescentem senectam infirmior. Privatim tamen capita factionum, seorsum quemvis appellans, reconciliare parabat, præcipue auscultante ei Pisistrato, cum quo antiqua ei intercedebat necessitudo, tum ex cognationis jure, tum ex virtutibus Pisistrati quo ut Solon ajebat, præstantior erat nemo, si ab ambitionis morbo liberari valeret.

Circa hæc tempora, Plutarcho l. c. B. si fides, (incidebant autem ea in Olympiad. L.) Thespis tragœdiam cœpit, quod X. Olympiadibus serius factum esse Suidas ait, cujus a Meursio observatus est error. Meurs. Sol. c. XXVII. Vehementer autem rei novitas populum delectabat, necdum enim ad certaminis contentionem evaserat res. Solon igitur, quod ingenio ad audiendum & discendum maxime ferretur, magisque in senectute otio, ludoque & conviviis ac musicæ indulgeret, Thespin agentem, ut mos erat veterum, spectavit. Ludis finitis eum convenit, quæsivitque ecquid ipsum puderet, in tanta corona tanta proferre mendacia? Cui Thespis respondit, non esse indignum per ludum ea vel dicere, vel facere. Solon vero terra graviter baculo percussa: at brevi, inquit, qui nunc per lusum hæc probamus & amplectimur, serio in contractibus & negotiis nostris iis utemur. Verbo Thespin tragœdias & agere & docere prohibuit, inutilem eam falsiloquentiam vocans. Laert. l. 59. Eoque referebat (*) Pisistrati fraudem, qui paulo post, ubi ipsum sese consauciavisset, ita rheda in forum delatus est, populumque, tanquam insidiis inimicorum Reipublicæ causa esset circumventus, furo-

* substituendum in textu Stanleii puto referebat pro dissimulabat.

furore incendit. Ad quem propius accedens Solon, Hippocratida, dixit, parum recte agis Homericum Ulyssem, dum eadem designas ad fallendos cives, quibus hostes ille, flagris a semetipso mulctatus, decepit. Inde ad concionem venit populus, ad protegendum Pisistratum. Quumque ferret Ariston, ut L. stipatores ei assignarentur, ad illud dissuadendum Solon surrexit, verbis usus, quorum summam versibus deinde complexus.

ap. Laert. l. 1.

Si vestro meritas pendetis crimine pœnas,
Non culpa in justos reiicienda Deos.
Hos nam ipsi immunes vestra fovistis in urbe,
Qui miseris vobis subdita colla premunt.
Quivis enim vestrum vulpis vestigia calcat,
Verum mens stolida est omnibus, atque levis.
Suspicitis nam linguam hominis versutaque verba.
Quod tentet, nemo cernere curat opus.

Simili modo, quid animo agitet Pisistratus, elegiacis versibus eis indicavit, quorum ista sententia est:

ap. eund. l. 50. & Plut. Sol. p. 96. B. & 95. E.

Vis nivis & nebulosa agitatur in athere grando,
Horrendum excutiunt fulgura clara sonum.
Et cecidere viris persape potentibus urbes,
Detrusa inque ferum plebs stolida imperium est.

Plut. l. ej p. 95. E.

At quum inopes cerneret studiosos Pisistrati, & tumultum cientes, locupletes vero, præ metu, fuga sibi consulentes, recessit, dicens, his se fortiorem, illis prudentiorem esse. Prudentiorem iis, qui, quid ageretur, non intelligerent, fortiorem aliis, qui, quum intelligerent id quod agebatur, obsistere tamen tyrannidi dubitarent. Senatus vero quod studeret Pisistrato, eum insanire ajebat. At ille: Laert. l. 49.

Exiguum, qualis mea sit dementia, cives,
Ostendet tempus, quod mea dicta probet. Plut. l. ej.

Postquam Pisistrati rogationem de stipatoribus plebs scivit, non anxie de numero eorum disceptavit, verum quotcunque aleret cogeretque conni vere non destitit, dum ille occupavit arcem. Quam ob rem cum in civitate tumultus excitaretur, confestim Megacles cum Alcmaeonidis ceteris profugit. Solon vero, etsi provecta ætate jam esset, neque ullum haberet, quo niti posset, in forum tamen, hasta armatus & scuto, processit, habuitque ad cives orationem, qua partim stultitiam eorum & ignaviam est insectatus, partim accendit & incitavit eos, libertatem ne proderent. Quo tempore celebri hoc usus est dicto: *Fuisse ipsis ante opprimere in prima origine sua tyrannidem facilius, sed gloriosius fore, si nunc adultam tamen etiam exscinderent.* Ubi vero nemo audire eum sustineret, domum discessit, sumitisque armis, atque pro foribus in vico, vel ut Laertius habet, *ante pratorium*, positis, *ego quidem*, dixit, *quantum potui patria legibusque succurri*, vel ut Laertio relatum: *O patria tibi equidem verbo & opere auxiliatus sum*, Addit Plutarchus privatam eum ab illo tempore vitam egisse, studiis addictum. Multis

Laert. l. 49. — Laert. l. 50 — Plut. Sol. p. 96.

autem mortem ei impendere a tyranno docentibus, rogantibusque, quare consideret tantopere? *senectute* respondit. Verosimilius tamen est, quod Laertius refert, eum statim positis armis patria excessisse. Et Gellius ait, quod, Servio Tullio apud Romanos regnante, *Pisistratus Athenis tyrannus fuerit, Solone ante in exilium voluntarium profecto*. l. c. Gell. XVII. 21.

CAP. XI.

De Itinere ejus in Lydiam & Ciliciam.

Athenis profectus a variis perbenigne invitabatur, Miletum Thales, Bias Prienen, in Cretam Epimenides, Cleobulus Lindum, quod variæ eorum ad Solonem perscriptæ litteræ docent. Ipse quoque Pisistratus, ut domum reverteretur, sequente eum orabat Epistola: Laert. I. 53.

PISISTRATUS SOLONI.

„Neque Solus Græcorum tyrannidem arripui, neque mihi rem „alienam usurpavi. Quippe genus „a Codro duco. Id enim mihi meo „jure vendico, quod Athenienses, „olim cum jurejurando firmassent, „Codro illiusque posteris se con„cessuros, postmodum abstulerant. „Ceterum neque in Deos, neque „in homines offendo, Leges, quas „ipse Atheniensibus dedisti, serva„ri, atque secundum eas vivere „jubeo. Et quidem melius servan„tur, quam possent, si populi impe„rio res administraretur. Permit„to nemini injuriam facere: Tyran„nusque ego, præter dignitatem & „honorem, nihil a plebe differo, „solis eis stipendiis contentus, quæ „iis quoque, qui ante me regna„sunt, debebantur. Atheniensium „singuli decimas frugum suarum „conferunt, non in usus nostros con„sumendas, verum sacrificiis publi„cis, commodisque communibus, &, „si quando bellum contra nos in„gruerit, in sumtus deputandas. Ti„bi equidem nihil succenseo, quod „mentem meam consiliumque dete„xeris, quippe qui id reipublicæ „studio potius, quam mei odio, fe„ceris: quodque præterea ignora„res, cujusmodi ego rex futurus es„sem. Id enim si scivisses, æquo ani„mo & conatus meos forte toleras„ses, & te fugæ haudquaquam com„misisses. Redi igitur domum bona „fide, mihi & injurato credens, ni„hil esse periculi a Pisistrato Solo„ni. Nosti enim, neminem, etiam „ex inimicorum numero, mali quip„piam a me perpessum. Tibi autem „si inter amicos nostros numerari „placuerit, inter primos eris. Ni„hil enim in te fraudis perfidiæve „conspicio. Quod si alioqui habita„re Athenis volueris, pro arbitrio „tuo id facies: tantum ne nostri cau„sa patria excideris.

At ei his verbis respondit Solon: Laert. I. 66.

SOLON PISISTRATO:

„Credo equidem nihil me abs te passurum mali. Nam ante tyranni„dem tibi amicus eram, ne nunc „quidem magis infensus, quam ali„us quivis Atheniensium, qui ty„rannidem non ament. Sive autem „unius imperio regi, sive publice „rem administrari illis utilis sit, ex „sua utraque pars sententia statuat. „Certe tyrannorum te omnium esse „præstantissimum fateor. Athenas „autem redire, mihi utile non esse, „cognosco, ne quis me juste reprehen„dat, quod cum Atheniensibus du„dum rempublicam ex æquo admi-

nistran-

" nistrandam tradidissem, præsens-
" que oblatam mihi tyrannidem
" sponte declinavissem; modo re-
" diens factum tuum subita poeni-
" tentia probare videar.

Laert. l. 67. Crœsus etiam per nuntios eum in-
vitavit: ei vero ita respondit:

SOLON CROESO:

" Amplector mirifice tuam in
" nos benevolentiam. Et per Palla-
" dem, nisi apud me jam pridem sta-
" tuissem, ibi sedem habere, ubi res-
" publica sit libera, mallem apud te
" in tuo regno vitam, quam Athenis
" agere, tyrannidem exercente Pi-
" sistrato. Verum ibi suavius ex in-
" stituto nostro vivimus, ubi sunt
" omnibus æqua & communia jura.
" Veniam tamen ad te, ut tuo vel
" hospitio tantisper fruar.

Herod. L. 1. p. 7. Atque Croesi istam secutus invi-
tationem, Sardes se contulit. Ibi
hospitaliter a Croeso acceptus, ter-
tioque aut quarto, postquam ve-
nerat, die, jussu Croesi, a ministris
ad thesauros spectandos invitatus
est; omnem ei magnificentiam at-
que opes ejus monstrantibus. Cum
vero omnia considerasset, ita eum
affatus est Croesus: *Hospes Athe-
niensis, quia multa ad nos fama sa-
pientiæ tuæ atque experientiæ perlata
est, ut qui philosophiæ studio multas
provincias peragraveris, ideo nunc
animum meum incessit cupido, sciscis-
tandi, ecquem videris, quem beatum
prædicandum judices esse?* Tum So-
lon, nihil assentatus, sed, ut res erat,
respondens, *ego vero, dixit, o Rex,
beatum esse censeo Atheniensem Tel-
lum*. Quod admiratus responsum
Croesus, *quid ita, inquit, Tellum præ
ceteris censes beatum?* Cui Solon, *quo-
niam in bene constituta Republica li-
beros educavit honestos atque bonos*,
*eisque omnibus liberos rursus vidit
esse, vivos omnes. Atque ita hanc
vitam ubi egregie, quantum res pa-
tiuntur humanæ, traduxisset, mor-
tem honestissimam obivit. Siquidem
prælio, quod Athenienses cum vici-
nis ad Eleusinem commisere, ipse la-
turus auxilium, hostem in fugam
vertit, pulcherrimamque mortem obi-
vit. Eumque Athenienses, quo loco
occubuerat, publice humarunt, ma-
gnificeque honorarunt*. Quæ dum de
Tello persequeretur Solon, commo-
tior Croesus interrogabat, *quem-
nam secundum ab illo vidisset?* se-
cundo seipsum loco nominandum
esse, haut dubitans. Solon autem
respondit *Cleobin & Bitonem:* genus
autem illis erat Argiuum, victus-
que affatim suppetebat. Præterea
corporis robur tantum, ut & in cer-
taminibus ambo pariter victores ex-
titerint: de quibus ista perhibentur.
Quum dies festus Junonis apud Ar-
givos esset, matrem eorum bobus
junctis ad templum vehi oportebat.
Cum vero boves in agro præsto iis
haut essent; juvenes tempore exclu-
si, jugum subeuntes, plaustrum,
quo mater vehebatur, per XLV. sta-
dia, ad templum usque deduxere.
Quod cum in totius cœtus conspe-
ctu fecissent, optimus ei ex hac vita
obtigit exitus: quo Deus declaravit
mortem vita præoptandam homini
esse. Nempe, cum accurrerent Argi-
vi, viri que laudibus tollerent pie-
tatem filiorum, matronæ matris fe-
licitatem; mater gaudio perfusa,
tum ob factum ipsum, tum ob glo-
riam ejus, ante simulacrum stans
precata est Deam, ut *Cleobi & Bito-
ni*, filiis suis, hoc, quod optimum
contingere homini posset, concede-
rent. Post hanc precationem, ubi

sacrificium absolvissent & epulas, in templo conquievere, nunquam ex illo somno expergefacti, sed vitam hoc modo finientes. Eorum vero, præstantissimorum quippe virorum, effigies, Argivi Delphis consecravere. Et his quidem Solon secundas tribuit. Tum Croesus commotus paulo magis, *adeone hospes tibi contemnenda sors nostra esse videtur, ut ne privatis quidem viris nos ducas æquiparandos?* Cui ille: *Mene Croese de rebus humanis interrogas, fatorum invidia gnarum? Nempe longo aliquo temporis intervallo multa videas, quæ nolis videre, multa feras, quibus supersedere malis. Ponamus hominis terminum vitæ post septuaginta exactos ætatis annos, quos absolvunt dies viginti mille ac ducenti, intercalari non computato mense. Quod si velis alternos annorum istorum, addito mense fieri prolixiores, ut tempora exæquentur, menses quidem intercalares per annos LXX. fient XXXV. dies autem ex his mensibus ML. quarum ne unica quidem alteri est similis. Ut adeo, o Croese, nemo mortalium a miseria sit immunis. Tu quidem mihi & divitiis abundare videris, & principatu potiri plurium, quæstioni tamen a te proposita antea respondere non possim, quam, bene vitam te finivisse audivero. Neque enim beatus est magis, qui magnas spes habet, quam cui diurnus tantum suppetat victus, nisi eidem, continuatis bonis hisce, bene vita defungi fortuna concesserit. Sunt enim complures homines valde locupletes, minime tamen fortunati, complures item fortunati, mediocria habentes patrimonia. Horum, is qui divitiis affluit, sed fortunatus non est, duabus tantummodo rebus superat fortunatum, at hic illum pluribus. Ille ad cupiditates implendas & graves injurias depellendas magis valet. Fortunatus vero eo illum excellit, quod, licet inferre aliis injuriam, suisve satisfacere desideriis nequeat, hoc ei fortuna negante; malorum tamen sit expers, sanitate fruatur, bonorum liberorum sit parens, forma præstet. Quod si præter hæc diem quoque suam recte obierit, habebis, quem quæris, qui vere beatus dici mereatur. Prius tamen, quam diem obierit, beatus dici nequit, sed fortunatus. Sed unus hæc omnia homo ut consequatur fieri nequit: sicut nec regio una cuncta sibi ipsi suppeditat, sed aliud habens alio indiget, quæ tamen habet plurima optima ea est. Simili modo in hominibus nemo perfectus est, & quod unus habet, eo alius caret. Sed quisquis horum plurima ad finem usque habuerit, & placide postea animo e vita excesserit, quam nos vitam putamus, ille mihi Beati nomen, o Rex, mereri videtur. Omnis autem rei oportet inspicere finem, quo sit exitura. Multis enim, quibus fortunas dispensaverat Deus, eos postremo penitus evertit.* Eandem rem Plutarchus quoque memorat, nec non Laertius, qui addit: Croesum exquisitissime omnium ornamentorum genere compositum, sublimique in solio sedentem, interrogasse eum: *an pulchrius unquam spectaculum vidisset?* illamque dixisse, *gallos gallinaceos, phasianos, atque pavones: eos enim naturali nitore longe speciosius vestiri*: Hæc Solon neque assentando Croeso, neque magni eum faciendo locutus, dimittitur. Visusque est esse indoctus, qui bonis præsentibus prætermissis, juberet in omni-

Plut. Vit. Sol. p. 93. Laert. l. 1.

Herod. l. 1.

Plut. l. 6

omnibus rebus finem respicere. Erat eadem tempestate Sardibus fabularum scriptor, *Æsopus*, quem Crœsus accitum in honore habebat. Hic vicem Solonis doluit, illiberaliter dimissi, eumque ita admonuit: *Cum Regibus*, o Solon, *vel plane non, vel ut jucundissimum eis fuerit, agendum*. *Cui* Solon, *minime*, inquit, *sed vel plane non, vel ut utilissimum fuerit eis*. Ac tunc quidem ita Croesus Solonem despexit. Herod. L. 1. p. 20.

Postea vero, cum in Cyri potestatem Croesus pervenisset, ejus jussu vinculis constrictus & pyræ impositus fuit, ut vivus cremaretur. In tanta calamitate posito venit in mentem, a Solone quid nutu Deorum dictum sibi fuisset, *ex viventibus beatum esse neminem*. Quod dictum ubi animum ejus subiit, vehementi defectione animi oppressus & graviter ingemiscens, ter *Solonem* nominavit. Quod ubi audisset Cyrus, jussit interpretes percontari, quem ille invocavisset. Accedentibusque illis & interrogantibus, Crœsus silentium tenuit. Postremo, eum loqui cogeretur, respondit, *eum invocavi, quem cum omnibus tyrannis colloqui malim, quam omnes mundi opes possidere*. Quod cum non intelligèrent * ei, instantibus eis vehementius, narrabat, *ut Solon Atheniensis ad se olim venisset, omnesque opes suas coram intuitus, pro nihilo duxisset. Præterea, quæ de seipso dixisset omnia evenisse, quæ tamen non magis ad se quidem, quam ad omne mortalium genus spectaverint, eos maxime, qui beatos seipsos existiment*. Hæc referente Crœso, jam pyræ accensæ ardere extrema incipiebant. Cyrum vero, auditis per interpretem quæ dixisset, pœnituit, quum se quoque esse hominem agnosceret, qui alium hominem, opibus se nihil paulo ante inferiorem, vivum rogo traderet, veritus ob id pœnam, ac reputans nihil stabile esse in rebus humanis. Jussit ergo quam celerrime ignem jam accensum extingui, Crœsumque ex pyra deduci cum omnibus comitibus ejus: eumque, dum vixit, honore est prosecutus. Plut. 1 ei p. 84. E. Retulitque eam Solon laudem, quod duorum Regum uno dicto alterum servaverit, erudiverit alterum.

Facta hæc esse refert Plutarchus in priori itinere X. annorum, tum a Solone suscepto, cum leges suas absolvisset. Quamobrem excusat Lectori, quod Chronologicis rationibus parum ea congruere videantur: qua supersedere excusatione potuisset, si gesta hæc cum Diogene Laertio dixisset, postquam Pisistratus tyrannidem invasisset. l. c.

Inde Ciliciam eum petiisse Laertius narrat, urbemque ibi condidisse *Solos*, a nomine ejus appellatam, quo Atheniensium quoque nonnullos deduxerit, quorum lingua ex vernacula ejus gentis corrupta, *solæcissare* dicti fuerint illi homines. Eoque haud dubie referenda sunt illa Etymologi Σολοικὸς ἀπὸ Σόλων κιλικίων derivantis, ita enim lego, non ut in editis est ἀπὸ Σόλωνος κίλιος. Ejusdem rei Suidam habemus testem, eam tanquam distinctam a gestis in Cypro narrantem. Unde & Laertius addit, *Solenses* appellatos esse *Solorum* in Cilicia cives, *Solios* Cypriotas.

CAP.

* Male hic in Anglico exemplari *notstanding* positum esse putari. *thereis bstanding* pro *which they not under*

CAP. XIII.

Mors Solonis.

Plut Sol. p. 96. F. de Longæv T. II. p. 640. A. SOlonem longe ultra tempus, quo tyrannidem invasit Pisistratus, vitam protraxisse, Plutarchus autor est: Lucianus centenarium eum obiisse. Cum quibus optime convenit iis, qui, Suida referente, docuerunt LVI Olympiade eum vixisse. Plut. l. c. Juxta Phaniam autem tyrannidem occupavit Pisistratus Archonte Comia. Diem vero obiit Solon Hegestrato, Comiæ successore, Archonte, primo Olympiadis LVI. anno. Posterior hæc opinio, nisi apud plerosque alteri prævaluisset, non adeo frequens foret argumentum, quod ex temporis, quo mors Solonis accidit, & quo Lydiæ regnum tenuit Crœsus, disconvenientia passim ducunt, ut fabulam sapere ostendant, quod vulgo fertur, eos conversatos invicem fuisse.

Laert. I, 62 Æl. V. K. VIII. 16. Val. Maxim, V. 3. l. c. Diem obivit anno ætatis, si Laertio fides, LXXX, decrepita, ut Ælianus ait, ætate, in Cypro insula: (quod & Valerius Maximus & Suidas perhibent;) hoc suis mandans, ut Salaminem ossa sua transferrent, atque in cinerem soluta per provinciam disseminarent. Quam Plutarchus historiam, quamvis fabulam sapere ipse agnoscat, multorum tamen autorum testimonio niti ait.

Laertius Cratini eam firmat autoritate, qui ita Solonem induxit loquentem:

Ego hanc, ut ajunt homines, insulam colo,
Sparsus per omnem Ajacis urbem strenui.

Valer. Maxim. VIII, 7. Ext. 14. Discendi ardor, quem passim præseferebat, usque ad vitæ finem idem perseverabat., supremo vitæ die confirmatus, quum assidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis jam pressum caput erigeret. Interrogatus enim, quapropter id fecisset? respondit: *Ut cum istud, quicquid est, de quo jam disputatis, percepero, moriar.* Cum ejus ex fratre Nepos Sapphus quoddam cecinisset carmen, delectatus ea est cantilena, utque se edoceret eam juvenis, jussit: interrogatus autem quanam de causa id expeteret, respondit: *ut postquam ipsam didicero moriar.* Stob. Serm. XXIX. f. 200.

Mortuo statuam ex aere Athenienses posuerunt, ante porticum, quam variam (*a*) vocant, in foro. (*b*) Alia in Salamine fuit erecta, manum, ut Demosthenes (*c*) describit & Æschines, (*d*) veste conditam habens, eo nempe gestu, quo verba ad Athenienses consueverat facere. Atque ea fortean fuit cui inscriptum fuit. (*e*)

a Pausan. Attic. c. XVI. *b* Demosth in Aristog. II a. 506. G. Ælian. VIII, 16. *c* Demosth de falsa leg. p. 233. B. *d* in Timarch p. 174. *e* Laert. I, 26.

Quæ dudum insanas Medorum propulit iras,
Legiferum Salamis pulchra Solona parit.

Laertius Epigramma in eum confecit, cujus iste est sensus:

Cypria defunctum subtraxit flamma Solonem,
Ossa sed in cineres versa tenet Salamis,
Mox animus nitido sublatus ad æthera curru,
Quippe sacras leges, pondera grata tulit,

CAP. XIII.

Scripta Solonis

Brut. c. 7. QVanta in eloquentia pariter ac poesi ejus facultas fuerit, multi testantur: *Cicero* ante ejus ætatem neminem eloquentia celebratum esse docet. Et alibi Lycurgum

De orat. I. 13. gum & Solonem se censere, ait, in numero eloquentium reponendos. Or. 22. Dio Chrysostomus: „ *Aristides Lycurgus, Solon, Epaminondas, sed, „qui ejus sunt generis, pro Philosophis habendi sunt in Republica, vel oratoribus, si veram spectas & genuinam „eloquentiam*. Aristides: Or. Plat. II. D. III. t. p. 461. AB *Dicitur „ Solon cecinisse ea, quæ ad Megarensium res pertinent. Ejus tamen „ neque leges, neque orationes, quibus nonnumquam pro optimatibus „ad plebem, nonnunquam pro plebeiis „ apud optimates dicebat, cantu & metro complectebatur. Sed oratoria utebatur dicendi forma, in omnibus ejs egregie demonstrans & oratoris & philosophi existimationem sese mereri, utramque istam facultatem, utrumque titulum assecutus*.

Plut. Sol. p. 80. A. Quantum ad poesin ejus, ea ab initio, Plutarcho teste, non ullam ad rem gravem, verum ludibundus, temporis per otium fallendi gratia, utebatur. Post & sententias inclusit versibus Philosophicas, & ex iis, quæ gesserat in Republ. intexuit multa, non historiam scribendi animo, vel memoriæ causa, sed ad defendendas actiones suas, interdum & ad excitandos castigandosque & objurgandos Athenienses. Timæo T. III. opp. p. 21. A. Plato item narrat, in *Apaturiis* ejus carmina a pueris decantata fuisse, eumque, si totum isti se studio dare potuisset; quod aliis facere licuit, suamque pertexuisset, quam in Ægypto acceperat, historiam, atq; ab isto studio seditionibus aliisq; impedimentis avocatus haut esset, neque Homero, neque Hesiodo, neque alii cuivis poetarum secundum fuisse futurum.

Scriptorum ejus, soluta oratione concinnatorum, Laertium secutis primo loco nominandæ ejus *leges* erunt, inde *conciones*. * Laertius I. 61. *Poemata* ejus generali titulo allegantur Phrynicho: Eclog. dict. Att. argumenta eorum & titulos speciales istos habemus: *Exhortatoria ad seipsum*, quorum mentio apud Laertium, Aristidem ** & Suidam. *Elegia: Salamis*, de qua supra cap. II. *De Republica Atheniensi*, quinque millium versuum, juxta Laertium, opus, elegiaco, juxta Pausaniam & Philonem, (*a*) carmine. *Iambi*, Laertio memorati, allegati Athenæo (*b*) & Aristidi. (*c*) *Epodi*, de quibus idem Laertius. *Elegia ad Regem Cypranorem* citatæ Anonymo vitæ Arati autori. Ἀδόμενα apud Laertium. Sunt, qui dicant, Plutarcho (*d*) teste, leges quoque suas in versus eum redegisse. Ultimum quod aggressus est, opus, *Atlanticam fabulam* concernebat, quod serius exorsus, operis magnitudine deterritus est, ut dicit Plutarchus, (*e*) morteque præventus est. Præter epistolas ejus supra allegatas sequentes Laertius servavit

ap. Pausaniam nil tale inveniri puto. a Philo π. κόσμου. b Athen. L. XIV. p. 645. F. c Arist. Or. π. παραφθέγμ. d Plut. Sol. p. 80 B. e Plut. l. c. p. 96. D. Laert. I. 64.

SOLON PERIANDRO.

„ Scribis, tibi plurimos insidiari. „ At tu, si quidem omnes e medio „ tollere velis, ne sic quidem proficies. Insidiari enim tibi potest „ quispiam ex his, quos minime suspe-

* *Concionum* Solonis etiam mentio ap. Aristid. Or. Plat. II. ubi λόγους ejus ὑπὲρ τῶν εὐπόρων πρὸς τὸν δῆμον, & ὑπὲρ τῶν πολλῶν πρὸς τοὺς πλουσίους memorat.

** Extat locus in Or περὶ παραφθέγματος, ubi βιβλίον ἐξετίθεσαν εἰς αὐτὸν καὶ τὴν αὐτοῦ πολιτείαν, vocat, Laertio ὑποθῆκαι dicitur. Vnum esse opus utrumque primus Meursius docuit: Res tamen dubia videtur Menagio ad Laert. I, 61. qui tamen idem opus Plutarchum quoque respicere suspicatur vit. Solonis p. 80. A. verbis istis ὕστερον δὲ καὶ γνώμας ἐν-τείνε.

„pectos habes; partim sibi quidem „metuens, partim te morte dignum „judicans, (ob hoc ipsum, quod „omnia formides. *a*) Quin & civi„tati gratificetur, si te, licet nulla „eius in te sit offensa * e medio tol„lat. Esset ergo optimum abstinere „tyrannide, ut causas omnis metus „evaderes. Quod si tyrannidi omni„no insistendum censes, compares „tibi necesse est externas vires, ur„banis maiores; ita enim nec erit „quem timeas; nec tu quenquam e „medio tolles.

a haec omissa Stanlejo ex Graecis insertui.
* Ita melius Stanlejus, quam docti Laertii interpretes, qui vertunt: *si te minime suspectus e medio tollat.*

SOLON EMPIMENIDI.

„Neque leges meæ profecto At„heniensibus profuturæ multum „erant, neque tu urbi lustrationi„bus tuis profuisti. ** Deus enim „ac latores legum non soli juvare „civitates possunt; sed qui multi„tudinem agunt, qua sententia „sint, interest. His enim, si recte „rem administrent, Deus ac leges „utiles sunt: sin autem male, nihil „prosunt. Neque sane meæ leges ac „iura, quæ scripsi, quicquam pro„fuerunt: sed principes civitatis „reipublicæ nocuere; qui Pisistra„to, ne tyrannidem invaderet, non „obstiterunt. Neque vero futura „prædicenti mihi fides habebatur. „Ille fidelior existimabatur, Athe„niensibus blandiens, quam ego ve„ra proloquens. Positis igitur ar„mis pro curia, his quidem, qui Pi„sistratum affectare tyrannidem „non animadverterunt, sapientio„rem: eis vero, qui libertatem Rei„publicæ asserere metuerent, for„tiorem esse me, dixi. At illi Solo„nis id interpretabantur insaniam: „tandem ita patriam contestatus „excessi: † *O patria, hic quidem So„lon tibi opem ferre & facto & dicto „promptus & paratus est.* At & istis „insaniæ suspicionem incurrebam. „*Itaque solus Pisistrato infensus ab „iis discessi.* Isti vero vel satellites „eius, si placet, sunto. Nosti enim „hominem, amice, quanto ille astu, „quo ingenio, qua arte tyranni„dem invaserit. Nam cœpit blande „plebem illicere, deinde sibi etiam „vulnera inflixit, ac progressus in „publicum, eaque se ab hostibus ac„cepisse vociferatus, oravit, qua„dringentos robustissimos juvenes „sibi custodes darent. At illi me „quidem reluctante & reclamante, „aquieverunt. Erant autem hi ar„mati validis fustibus. His itaque „stipatus statum Reipublicæ ever„tit. Frustra certe ego studui pau„peres a mercenaria servitute libe„rare, cum nunc omnes uni ser„viant Pisistrato.

** Hic quoque male Laertii interpretes: *neque tu eam urbe expiaveris, fuisti emolumento.* Nam in Gr. est ὅτι σὺ καθήρας τὴν πόλιν ὤνησας.

† Sequentia Solonis, ad huc pa-

tria stuporem exprobrantis, ob Laertii interpretes esse putantes, melius Stanlejus narrationem continuari iisdem putavit.

Poematum eius fragmenta, quæ quidem ad tempora nostra pervenere, sequentia habeto.

ELEGIA SOLONIS.

Mnemosyna magnique Jovis sanctissima proles,
Exaudite preces, quas fero, Pierides:
Vt florens homines inter rumore secundo
A Dis concessa prosperitate fruar.
Quem metuant hostes, & quem vereantur amici,
His placidum, ast illis fortiter horribilem.
Divitias habuisse velim: sed non bene partas
Non cupiam: seris pœna venit pedibus.
Stant veluti solido fultis adamante columnis
Ha, quas alma Deum gratia mittit, opes.

Stob. Grotii p. 60.

Non

Non intrat male parta domum fortuna benigno
Lumine sed vetitis artibus implicita,
Obluctans sequitur; mox sese in damna resolvit:
Et, velut ex parvo nascitur igne rogus;
Principio tenui sic finit maxima clades:
Nam male quaesitis non datur esse diu.
Prospicit in finem longe Deus, ac velut olim
Vere novo nebulas discutiunt anima,
Quae postquam ex imo fluctus civere profundo,
Telluris volitant per sola frugifera,
Vastantes sata laeta: dein se in sidera tollunt:
Tollunt, & subito blanda serena micant:
Ipse comas puro diffundit lumine Titan:
Aspicere est toto nubila nulla polo:
Sic se habet ira Jovis, non, qui mortalibus est mos,
Mens illi quovis crimine laesa tumet:
Nec latet aeternum sceleris sibi conscius auctor.
Arcanum facinus scit reserare dies.
Serius aut citius poena delicta sequuntur:
Nec, si quis visus fata Deum effugere,
Nulla manet merces, aliena piacula pendent,
Aut nati aut natis progata posteritas
At nos tantundem justosque malosque valere
Credimus, atque intus sat sibi quisque placet,
Donec supplicio tactus dolet; ante peracem
Spes animum vanis lactat imaginibus,
Nec sibi desistit placidam spondere salutem,
Aspera, quem vastat, nec medicanda lues.
Saepe etiam pavidus fortis sibi nomina ponit,
Et turpis facie se putat esse bona.
Est qui pauperie pressus jacet, & tamen audet
Ingentes animo fingere divitias.
Nil intentatum. Secat ille cupidine lucri
Caerula monstriferos quos agit unda, sinus:
Nec metuit nimbos iterum iterumque furentes
Expectare, anima prodigus ipse sua.
Alter humum curvo Cerealem versat aratro,
Autumnumve satis provocat arboribus.
Pars manibus victum quaerunt, artesque fatigant
Palladis ingenio Mulciberique datas.
Ast aliis Musa, dulces ante omnia Musa,
Doctrina multo nectare corda rigant.
Alter Apollineo donatus munere vates,
Omne malum multo, quam venit, ante docet:
Verba Dei praestant. Fato quaecunque manet sors,
Non hanc avertet victima, sed nec aves,
Nec qui Paeonias agris mortalibus herbas
Saepe erraturam, ferre laborat, opem.
Saepe dolor tenuis morbos produxit acerbos,
Tollere quos nullis sit medicaminibus.
Saepe diu saevo jactatum corporis aestu

Con-

Contactu sanum reddidit una manus.
Sic fato fors læta venit, contraria fato:
Nec vitare datur, quæ placuere Deis.
Omnia confusis sunt plena tumultibus, & quo
Exeat inceptum, non videt auctor, opus.
Hinc qui sollicite momenta expendit agendi,
Imprudens magis luctibus obruitur.
Et temere aggressis, divino munere, felix
Exitus absolvit non bona consilia.
Divitiis nullus modus est, nec finis habendi:
Nam quibus imprimis res nitet ampla domi,
Bis tantum cupiunt. Et quis satiaverit omnes?
Humano generi commoda dant superi.
Commoda sed Noxam pariunt: quæ Juppiter usus
Vindice, nunc illum, mox alium feriet.

Et rursum:

Ex Dem. Or. de falsa leg. p. 234. Ex interpr. Wolfii.

Nostra quidem, fato Jovis, urbs non occidet unquam,
Propitiisque Diis salva manere potest.
Nam Jove nata, ferox hastaque, atque ægide Pallas,
Hanc teget, hostiles discutietque minas,
Mœnia sed cives stolidi, cupidique lucrorum,
Ardua subverti per sua facta student:
Atque ducum populi mala mens, elataque corda,
Accersunt pœnas & mala multa sibi.
Non etenim placida didicerunt munere divum
Mente frui: saturi nec tenuere modum.
Despoliant ærarium, & ipsa altaria divum,
Per fas atque nefas, quo cumulentur opes.
Furantur, rapiunt omnes datur unde, nec iram
Justitiæ curant, scitaque sancta dea.
Illa tacet veterum memor; & præsentia cernens,
Sæva, sed ad pœnas post ruitura graves.
Urbibus hinc hulcus venit immedicabile cunctis,
Ut juga servitii mox odiosa ferant,
Seditiove oritur, sopitave bella moventur,
Bella, quibus pubes læta perire solet:
Urbs etenim quæ nulla tenet socialia jura,
Est subita hostili disperitura manu.
Hæc agitant populum mala, sed paupercula turba
Venditur, & peregre vincula dura gerit.
Nec sunt expertes cladis, quos ampla beat res,
Et sua divitibus pœna luenda venit.
Publica sic intrant privatos damna penates,
Excludi foribus nec mala tanta queunt,
Transiliunt muros altos: fuga nulla tuetur.
Sive petas thalamum, sive sub antra ruas;
His ego Palladios monitis pius instruo cives,
Ut sapiant, vigilent, nil petulanter agant.
Invehit heu quantas legum violatio clades?
At justæ leges commoda quanta ferunt?

Com-

Compedibus stringunt sceleratos, ordinis aqui
Conservatrices, nil nisi recta sinunt.
Aspera complanant, sedant fastidia, frænant
Indomitos, abigunt semina quæque mali.
Jura regunt, mansuefaciuntque ingentia corda,
Compescunt miseræ seditionis opus.
Jurgia litis acerba premunt, ac denique vitam
Humanam erudiunt, ut sapienter eat.

Stobæus Grotii p. 404. Item:

Nemo beatus homo est; sed pars adscripta dolorum.
Omnibus, ætherium quos jubar irradiat.

Ibid. p. 502 Item.

Ne mihi sit lethum planctu sine: sed mea tristes
Funera amicorum condecorent lacryma.

Not. Alia Solonis fragmenta passim superioribus capitibus allegata fuere. Verum & alia, non æque illustria licet, passim est invenire: Tale initium, quod legibus suis fecit apud Plutarch. Vita Solonis:

I. 80. A.

Oramus primum Rex ut Saturnius hisce
Legibus aspiret, velit & concedere laudem.

Ibid. Apud eundem & ista ex Physicis ejus habentur:

Nubibus e gelidis nivium vis densa creatur,
Et quæ per tectum grando crepare solet.
At tonitru e claro spectatur fulmine nasci,
Et pelagus venti, qui incubuere, movent;
Verum id si flatus conturbet nullus, in orbe,
Pacatum & placidum nil magis esse potest.

Item Pisistrato, corporis custodes ut sibi darentur, petente, quæ differuerat, versibus mandavit, ex quibus nonnullos servavit Plutarchus; hujus sensus: p. 95.

Nam vos lingua viri vos blandimenta morantur.

Item.

Vestrum quisque videt vulpis vestigia,
Verum tota cohors pectora cæca gerit.

Sunt ipsius & ista: ap. Plut. l. c. p. 96.

Discendo euado nocte dieque senex: Et
Sunt Veneris Bachique mihi nunc munera cordi,
Musarumque, viros hæ recreare volent.

Apud Philonem Judæum Elegiaca de ætatibus hominum Solonis leguntur, quorum sensus est iste. π. κοσμ. p. 16

Impubes pueri, septem volventibus annis,
Claudunt enatis dentibus eloquium.
Post alios totidem divorum numine dextro
Occultum pubis nascitur indicium.
Annis ter septem prima lanugine malas
Vestiet, ætatis robore conspicuus.
Quartus id augebit jam septenarius, isque
Optima virtutis proferet indicia.
Adde alios totidem: festinans ocyus ætas
Conjugio monuit quærere progeniem.
Sexta ætas, animo si quod deest, addet, eaque
Disces quid deceat, quid quoque dedeceat.
At quæ succedunt per proxima ter duo lustra. Orna-

Ornabunt linguam dulcibus eloquiis.
Nona ætas languet, tum frigida membra retardant
Virtutem, non unquam interituram animi.
At quisquis decimam poterit contingere metam
Jam tempestivo funere conciderit.

Stob. Grotii tit. CXII. p. 464. Et apud Stobæum ista: *

Omnia confusis sunt plena tumultibus, & quo
Exeat inceptum non videt autor opus.
Hinc, qui sollicite momenta expendit agendi,
Imprudens magnis luctibus obruitur:
Et temere aggressis, divino munere felix
Exitus absolvit non bona consilia.

Or. π. τετμϑ. Denique apud Aristidem Jambi isti, ex Solonis libro de seipso & Politia sua, citantur:

Majora spe peracta Dis faventibus.

Item:

His esto testis tempore ipso judice,
Mater suprema Olympiorum Dæmonum.

CHILO.

CAP. I.

Vita ejus.

Chilo Lacedæmonius, (*a*) Patre genitus est *Damageto*, qui corrupte Stobæo (*b*) *Pages* vocatur. Ei inter Græcos famam duæ prædictiones pepererunt.

Prima earum (*c*) Hippocratem spectabat, cui, cum privatus spectaret Olympia, ingens obtigit portentum. Nam, cum hostiam immolasset, ahena, quæ carne & aqua impleverat, absque igne efferbuerunt, ita, ut aqua exundaret. Quod portentum, qui forte præsens erat, Chilo conspicatus, ne uxorem fœcundam duceret domum, ei suasit, &, si jam haberet, eiiceret, quin &, si quidem ex ea filium sustulisset, abdicaret. Cujus tamen consilio minime obaudiens Hippocrates, Pisistratum postea filium suscepit, qui in seditione *littoralium*, (quorum Princeps Megacles erat, Alcmæonis filius) & *campestrium*, (in quibus primas tenebat Lycurgus,) tertiam factionem excitavit, & tyrannidem invasit. vid. Vit. Solon. c. III.

a Laert. l. 68.

b Stob. s. 3.

c Herod. L. I. p. 44. med. Laert. l. c.

Maximam etiam gloriam consecutus eis est, quæ de *Cythera*, Insula Laconiæ, prædixerat. Nam, cum illius naturam situmque didicisset, *Utinam*, dixit, *hac nunquam fuisset, aut certe, simul ac nata fuit, esset submersa*. Perspicaciter autem id præviderat. Demaratus enim, Lacedæmone fugiens, Xerxi autor fuit, in ea insula naves ut contineret, quod si Regi persuasisset consilium de omni Græcia actum fuisset. Verba ejus, ut Herodotus habet, ista fuere: „Id, „quod vis, hoc pacto fiet, si trecentas naves cum suis propugnatoribus in oram Lacedæmoniorum mittas. Adjacet autem illi insula, nomine Cythera: quam obrui mari, quam extare conducibilius esse Lacedæmoniis, Chilon ajebat, vir apud nos sapientissimus: videlicet expectans semper ab ea tale quid futurum, quale nunc ego expono: non ille quidem tuam classem prævidens, sed quamcunque similiter extimescens. Ex hac igitur insula proficiscentes tui Lacedæmonios „ter-

Laert. l. 71.

Herodot. L. VII. p. 192.

---

* Hæc pars sunt majoris elegiæ. & leguntur supra p. 59.

Laert. l. c. S. 72. ritent. „Post hæc Nicias bello Peloponnesiaco eversa insula, præsidium illic Atheniensium statuit, Lacedæmoniosque multis cladibus afflixit.

Laert l. 72. Senem Chilonem jam fuisse circa LII. Olympiadem, ait Laertius, quo tempore florebat Æsopus, fabularum scriptor. Ephorum fuisse Olymp. LVI, ubi LV Casaubonus substituit. 68. Pamphila vero, ut idem pergit Laertius, Olymp. VI primum eum Ephorum extitisse ait, sub Euthydemo Archonte, Sosicrate teste allegato, primumque instituisse, ut Ephori Regibus jungerentur, quod Lycurgo institutum Satyrus tribuit.

Dubium inde est, an sexta, an quinquagesima sexta Olympiade Ephorus Chilon extiterit. Probabile magis posterius est, maxime cum hoc officium, Euthydemo apud Athenienses Archonte, gesserit, qui Archon fuit Olymp. LVI, ut constat ex marmore Arundeliano, in quo pro εὐθυδήμου corrupte legitur τοῦ δήμου, quod vertunt *Archonte populo*. At constat tamen etiam Olymp. VI Ephoros primum creatos esse, sub Theopompo & Polydoro Lacedæmonum Regibus, CXXX post Lycurgum annis, ut in ejus vita affirmat Plutarchus, a quo inde tempore V Ephori, quorum annuus esset magistratus, Lacedæmone fuere electi, quorum primus ἐπώνυμος dicebatur, quoniam ejus nomine annus designari solebat. Primus in iis qui primi electi fuere, *Elatus* fuit. Quinquagesima sexta vero Olympiade inter quinque ejus anni Ephoros primus Chilon extitit. Quæ forte causa fuit erroris eorum, qui primum eum constitutum Ephorum dicunt, in quibus & Scaliger nomen profitetur.

vit Lycurg. p. 43. D. — Plut. l. c. — ad Euseb. p. 62.

Qualem se in eo magistratu exhibuerit, ex ejus dictis colligere est, quibus fratri respondit, indignanti, quod ephorus ipse non fieret, cum ille factus esset: *Ego pati injurias scio non tu*, inquiens. Laert. l. 68.

Adeo in omnibus colebat justitiam, ut, cum jam senex esset, dixerit aliquando, *sibi se conscium hunc esse, quod in tota vita præter rationem egerit quicquam; una tamen re se aliquantum moveri, quod, cum sententiam judex dixisset, ut Lex voluerat, contra amicum; autor ipsi fuerit provocandi a se, * ut nempe hac ratione & legem & amicum servaret*. Id, quod a Gellio ita relatum habemus: „Quum die vitæ suæ extremo, eum „inibi mors occuparet, ad circumstantes amicos sic loquutum (ferunt.) Dicta mea, inquit, factaque „in ætate longa pleraque omnia „fuisse non pœnitenda, forsitan vos „etiam sciatis. Ego certe in hoc „quidem tempore non fallo me, nihil esse quicquam commissum a „me, cujus memoria rei aliquid pariat ægritudinis: nisi profecto illud unum sit, quod recte ne an perperam fecerim, nondum mihi plane liquet. Super amici capite judex cum duobus aliis fui. Lex ita „fuit, uti eum hominem condemnari necesse esset. Aut amicus igitur „capitali supplicio perdendus, aut „adhibenda fraus legi fuit. Multa „cum animo meo ad causam tam „ancipitem consultanti visum est „id, quod feci, præ hoc, quod „erant alia, toleratu facilius. Tacitus ad condemnandum sententiam tuli: his qui simul iudicabant, ut absolverent, persuasi.

Laert. l. 71. — * Sequitur Stanlejus sensum, quem ex Laertii mutilis interpres latinus coniiciendo elicuit e paulo aliter Menag. quem vid. ad eum locum. l. 3. — Noct. A. II. l. 3.

E Sic

„Sic mihi & judicis & amici offici-
„um in re tanta salvum fuit.

CAP. II.

Sententiæ ejus ad Mores pertinentes, Præcepta item & Carmina.

Apophthegmata Chilonis sequentia relata a Laertio habemus: (a) *Futurorum providentiam, qua ratione colligeretur, virtutem viri esse* ajebat. Rogatus, quo differant periti ab imperitis? *bona spe*, dixit: (b) Quid difficile esset? † *Arcana reticere, otium recte dispensare, injuriasque tolerare posse.*

a l, 68.

b ll, 69. Stob. S. 19 respondisse ait τὸ γνῶναι ἑαυτὸν &c.

A Periandro, juxta cum ceteris sapientibus ad convivium invitatus, non ante condixit, quam eorum, qui ad illud invitarentur, nomina singulatim cognovisset. (c) *Dicebat enim, quibuscum necesse esset una navigare aut militare, eorum molesto etiam comitatu ac contubernio esse utendum, Ultro autem qualibuscunque se miscere conviviis, non esse sani hominis*. Eadem occasione prolatas sententias ejus sequentes Plutarchus refert: *Principem nihil meditari debere mortale, sed immortalia omnia.* (d) *Optimam esse Rempublicam, in qua maxime leges, minime oratores audiantur.* (e) *Maxime oportere domum urbi, quæ sub Rege est, similem esse.* (f) Cumque audiret dicere nonneminem *inimicum sibi esse neminem*, eum ille interrogavit, *amicumne igitur haberet? amorem scilicet odiumque necessario se mutuo consequi existimans, atque vices obire.* (g)

c Plut. Symp. VII, Sap. p. 148, A.

d Ibid. p. 152. B.

e p. 154. E.

f p. 155. D.

g Plut. de anima ap. Gell. I, 3. ap. Stob. Serm. 3.

Moralia ejus præcepta ita a Demetrio Phalereo repræsentantur: *Nosce te ipsum: Inter pocula non multum loquere, delinques enim:* Vel, ut Laertius habet, *linguam moderare maxime in convivio. Ne sis maledicus in proximos, sin minus audies, quæ tibi molesta erunt. Ad amicorum convivia tardus accedas, cito ad calamitates.* Quod ita effert Laertius: *Promptius ad amicorum adversos casus, quam ad secundos successus accurrendum. Nuptias frugaliter celebra. Bene ominare de homine mortuo. Natu majorem reverere.* Laertius ita effert: *Senectus honoranda. Rerum ad se nihil pertinentium curiosum odio habeto. Jactura turpi lucro præferenda, nam id*, ut addit Laertius, *semel tantum dolori est, hoc semper. Calamitosum non irriseris. Si viribus valeas, mitis esto, ut reliqui te vereantur potius, quam metuant. Ab aliis discendum*, ut Laertius quidem habet, *domum recte ut ordines. Fac ne lingua tibi mentem præcurrat. Iracundiam moderare. Impossibilia ne desideres. In via non acceleres pergendo, Manus non agitanda* (ut Laertius quidem addit) *inter loquendum, id enim vecordium est. Legibus obtempera. Injuria affectus reconciliare, contumelias vero ulciscere.* Quibus sequentia quoque subjungit Laertius: *Cavendum a seipso. Divinatio non execranda. Quies adamanda.*

Laert. l. 69. Stob. l.c.

l. 70.

Laert. l. 70.

Plinius de autoritate ubi verba „facit, mortales, inquit, oraculo-
„rum societatem dedere Chiloni
„Lacedæmonio, tria præcepta ejus
„Delphis consecrando aureis litte-
„ris, quæ sunt hæc: *nosse se quemque:*
„*& nihil nimium capere: comitemque*
„*alieni æris atque litis esse miseriam.*

Plin. H. N. l. 7. 32.

Duas ferocissimas affectiones amoris atque odii intra modum tantum coercuit. *Hac* inquiens *fini ames, tanquam forte fortuna osurus; hac itidem tenus oderis, tanquam fortasse post amaturus.*

Gell. I, 3.

Auso-

p. XII. Ausonius sententias ei adscribit, quarum sensum isti complectuntur versus:

Nolo minor me timeat despiciatque major:
Vive memor mortis: uti sis memor & salutis.
Tristia cuncta superans aut animo aut amico,
Tu bene si quid facias non meminisse fas est.
Quæ bene facta accipias perpetuo memento.
Grata senectus homini quæ parilis juventa.
Illa juventa est gravior quæ similis senecta.

Laert. l, 73. Symbolum ejus fuit *sponsioni non deest jactura*.*

*Vid. notata 5. ad vitam Thalet. cap. IX. fin.

Laert 1, 98. Ex Ἀδομένοις ejus tanquam excellentissimum istud commemorat Laertius:

Aurum probare Lydius solet lapis
Mentis vicissim aurum probat præstantiam.

Æsopum interrogavit, quid faceret Jupiter, & ab eo responsum tulit, *excelsum humiliat, humilem extollit*.

CAP. III.

De Morte & Scriptis ejus.

Laert. l. 70. MOrtuus est, juxta Hermippum, Pisæ, amplexus filium, qui ludis Olympiacis in cæstuum certamine victor evaserat, senii imbecillitatem immodica lætitia opprimente. Omnis autem, qui ad celebritatem illam convenerant, honorificentissime justa persolverunt, Plin. H. N. VII, 32. ut Plinio traditum & Laertio, qui istud in eum epigramma concinnavit:

Laert. l. 73. *Phosphore reddatur Pollux tibi gratia, quod fert*
Chilonis natus tempora cincta pugil.
Serta videns nati genitor, si lætus obivit
Mortem, non mirum, mors mihi talis eat.

Ipsius item imagini inscriptum istud:

Hic sapiens forti natus Lacedæmone Chilon
E numero septem maximus unus erat.

Erat in loquendo brevis, atque Laert. l. 72. ob eam rem Aristagoras Milesius eum loquendi morem *Milesium* appellat. Eoque etiam alludit Ausonius in eis, quæ ipsi tribuit dictis. Elegiam scripsit ad versus fere ducentos. Brevis quoque ipsius epistola fertur in hunc sensum:

CHILON PERIANDRO:

„Scribis mihi in exteros te moliri expeditionem, ipse cum exercitu profecturus. Atqui ego Monarchæ ne sua quidem tuta esse puto: felicemque censeo tyrannum, cui in sua domo absque sanguine contigerit mori.

PITTACUS.

CAP. I.

Vita Pittaci.

P*Ittacus* patriam Mitylenem habuit, (*a*) Lesbi metropolin patrem Caicum *vel* *Cyrrhadium potius, Thracem, matrem Lesbiam feminam, natus vero est Olympiade XXXII.

Laertius eum XLII. Olympiade, ait floruisse, quo tempore (*b*) magni animi & amoris in patriam argumenta dedit eo, quod a fratribus Alcæi, Poetæ, adiutus, Melanchrum Lesbi & Mitylenes tyrannũ interemit.

Eo facinore illustrior Pittacus, a Mitylenæis factus imperator, cum

(*a*) Laert. I. 74.

* Suid. v. Πιττακ. Ita ex Suid. juxta Ms. Vati. quod habet, nam vulgati legunt καὶ

(*b*) Suid. l. c.

classe (a) contra Athenienses mittebatur, cum quibus de agri Achillitidis possessione, a multis annis controversia ipsis fuerat. Controversia autem fere hæc erat: Sigeum Pisistratus Mitylenæis armis eripuerat, eoque capto, tyrannum ibi constituerat Hegesistratum, filium nothum, ex muliere Argiva, qui tamen sine bello id retinere non potuit. Nam diu inter Mitylenæos ac Athenienses certatum est, illos ex oppido Achilleo, hos e Sigeo prodeuntes: illos repetentes oppidum, quod ab Archæanacte Mitylenæo ex lapidibus Iliensibus exstructum dicerent, (namque maximam Troadis partem, Lesbii sibi, quasi hæreditario jure propriam, vindicabant, ubi etiam pleraque domicilia condiderant, quæ partim suo adhuc dum tempore superfuisse Strabo, partim vero fuisse destructa ait.) Illos refellebant Athenienses hac ratione, quod dicerent nihilo magis juris esse Æolibus in agrum Iliensem, quam sibi ac ceteris Græcis, qui Menelao in raptu Helenæ operam navassent. Ad istud bellum Athenienses ducem miserant Phrynonem, corporis mole roboreque conspicuum, qui Pancratio in Olympicis vicerat, eundem forte cum eo, cujus nomen exhibet Eusebius ad Olympiad. XXXVI. Pittacus igitur, variam belli fortunam identidem expertus, Phrynonem postremo ad singulare certamen provocavit, eique piscatoriis armis instructus occurrit, rete clypeo tegens, quo Phrynonem imprudentem involvit, eoque tridente ac hasta sua peremto, agrum servavit. Atque hoc Pittaci strategema, pugnæ exemplum Romanis dedit gladiatoribus, qui *retiarii* appellabantur, quos Lipsius (b) describit, ut observatum disserte Festo (c) & Polyæno (d) fuit.

a Strab. L. XIII. p. 599. A.
Herod. L. V, p. 204. sq.
Strabo. L. XIII, p. 599. D.
Plut. de Herod. malig. p. 858. A.
Strabo l. c.

Neque tamen finem nactum est illud bellum, donec utraque pars ad Periandrum rem detulisset, (e) arbitrum hujus negotii factum, qui sententiam ferebat, qua utrique parti ea quæ jam tenebant, decernebantur, ex qua Sigeum Athenienses obtinuere. Mendacii accusat Timæum Demetrius, (f) quod perhibuerit, Periandrum, ex Iliacis ruderibus, adversus Athenienses substruxisse Achilleum, oppidum, Achillis sepulchro insigne, eoque opitulatum Pittaco, quod neque e tali lapide, neque Periandro autore sit conditum: quomodo enim hic arbiter delectus esset, qui se hostem facto ostendisset?

Magno post hæc in honore Pittacus apud Mitylenæos extitit, (g) quos cum exules invaderent (h) Antimenide Duce, & Poeta Alcæo, *ejus aut meritis cives tantum debuerunt, aut moribus crediderunt*, (i) *ut communibus suffragiis*, (quod tamen negat Alcæus) (K) tyrannidem ei, inter ingentes (l) plausus magnumque populi concursum deferrent, id quidem non negante Alcæo, eam ob rem in eos animadvertente. Dona quoque ei (m) magno consensu offerebant amplissima, recuperatique jubebant a Mitylenæis agri, quantum vellet, accipere. (n)* At ille, conjecta hasta, tantundem accepit, (o) quantum illa esset emetita, quod Apollini dedicavit, ætate Plutarchi & Dio-

b Lipsius Saturnal. II, 8.
c Fest. v. Retiar.
d Polyæn. Strategem. I, 25
e Strabo & Laert. ll. cc.
f ap. Strab. p. 600. B.
g Laert. I. 75.
h Arist. ollit. lib. 14.
i Valer. Max. L. I. c. 5. Extern. 8.
K Plut. Amat. p. 763. E.
l Arist. l. c.
m Laert. Suid. ll. cc. Plut. de mal. Herod. p. 58. A.
n Valer. Max. L. c.
o Corn. Nep. Thrasyb. c. IV. Plutarch. Laert. ll. cc.

* *Recup. rat que jubeb. a Mitylen.* quod ap. Stanlejum est *a civibus*, pro *à Mitylenæis*, vitio exscriptorum *tribuo. Veram lectionem res ipsa docet*, & *Valerii Maximi locus L. VII.* c. 5. extern. I.

Diogenis Laertii Pittacium adhuc appellatum. Partem ipsius sibi eum servasse, Sosicrates (*a*) autor est, *dimidiam plus toto esse*, inquientem, *dum animum nempe ab eo munere averteret, deforme judicans virtutis gloriam magnitudine præda minuere.* (*b*)

a ap. Laert. I, 75.
b Valer. Max. l. c.

Ea pollens autoritate, (*c*) moderationem, qua pectus instructum esset, ostendit: Alcæum enim poetam & amaritudine odii, & viribus ingenii, adversum se pertinacissime usum, quod multis speciminibus probatum Laertius dedit, tantummodo quid in opprimendo posset, admonuit.

c Valer. Max. IV, 1. inter extern. 6.

Reipublicæ dum præesset varias fecit leges. Earum unam Cicero (*d*) memorat, qua vetat *accedere quemquam in funus aliorum*. Alia apud Aristotelem (*e*) est: *ut si quem ebrii pulsarint graviores pœnas dent, quam si pulsaverint sicci*. Vel ut Laertius (*f*) eandem legem repræsentat: *Ebrius cum peccat duplici mulcta est afficiendus*. Quam ebrietatis Mitylenęorum coercendę causa sancivit, quoniam vino eorum insula abundabat. Exercitium corporis, cui sæpissime vacabat, fuit molendi tritici, ut Clearchus (*g*) testatur, sanitati enim id maxime conducere arbitratus est, molamque magnis laudibus evehebat, (*h*) quod in loco tam exiguo multi adeo sese exercitari possent. Extabat & cantilena, quæ ἐπιμύλιον vocabatur: (*i*) *Mole o mola mole, nam & Pittacus, qui magnis Mitylanis imperat, molit*.

d Cic. de Leg. L. I. c. 26.
e Aristot. Pol. II, 12.
f Laert. I. 76.
g ap. Laert. I, 81.
h Ælian. V. H. VII, 4. Clem. Al. Pædag. III. c. 10.
i Ælian l. c. Pollux. L. IV. c. 7. 2. & L. VII. c. 43. & Plut. Symp. sept. Sap p. 157. D.

Ætate provectus, cum cogeretur belli dux esse, dixit: *quam difficile est, virum probum esse.* * Cujus rei Simonides (*k*) mentionem facit,

Res ardua est, bonum esse juxta Pittacum. †

Meminit ejus etiam Plato in Protagora, ubi Pittacum reprehendit Simonides, quod dixerit, difficile esse, ut quis bonus esse pergat, nam fieri bonum, hoc demum difficile esse: qua in re aliquantum a Laertii dictis dissentit.

k Laert. I, 76. ex quo corrigendus Suid. qui habet Simon, ut & ex Platone in Protagor. c. 95. vid. Casaub & Menag. ad Laert. l. c.
† Hanc Simonidis sententiam aliter accipit Casaub. ad Diog Laert. quem vide.

Principatum in Republica decem annis tenuit. (*l*) Valerius Maximus (*m*) ait, tamdiu illum imperium sustinuisse, quamdiu bellum, „de Sigæo cum Atheniensibus, gerendum fuit. Postquam autem pax „victoria parta est, (quo temporis „spatio Remp. ordinavit. (*n*) continuo reclamantibus Mitylenæis, „deposuisse, ne dominus civium, „ultra quam necessitas exegerat, „permaneret.„ Indeque decem annos privatam vitam egit (*o*)

l Laert. I, 75.
m L. VI. c. 5. Ext. I.
n Laert l. c.
o id.

Sardes ad Cręsum abiit, (*p*) quamvis alii Bianti id tribuant, eo tempore, quo Græcos in Asia ille subegerat ad tributum pendendum, constitueratque, ædificatis navibus, aggredi Insulanos. Eo cum esset delatus, interrogatus a Cręso fuit; numquid apud Gręcos novi gereretur? cui ita respondit ille, ut ab invadendis Insulanis eum plane deterreret, *Insulani*, inquiens, *o Rex, innumerabilem equorum multitudinem coemorunt, Sardium oppugnationem molientes.* Quę vere eum narrare exi-

p Herod. I. p. 4.

*Zenobius Cent. VI, Prov. 38 dicit, Periandrum bonum initio & popularem virum, postea τυραννικὸν evasisse. Cujus rei memor Pittacus, & sui ipsius diffisus ingenio, Mitylenæorum tyrannidem deposuerit: Interrogatusque, cur id faceret? respondit: *difficile esse, ut bonus quis sit*: ob ea quæ Periandro evenerant, *difficile existimans, ut quis rectum animi propositum constanter retineat*. Eademque Plutarchi in Sympos. narratio. Hinc Ægid. Menag. ad Laert. I, 76. putat, quæ Suidas refert, & ex eo h. I. Stanlejus, esse diversa ab istis & diversa occasione prolata. Ita propterea vertenda, ut fecerat Suidæ interpres: nempe hoc modo: *quam molestum est, virum probum esse.* Quam conjecturam, ni fallor, hoc evertit, quod idem, qui Platoni & Laertio, prius illud haut dubie allegantibus, Suidæ quoque citetur, Simonides.

existimans Croesus, *utinam*, inquit, *hanc Dii Insulanis mentem indant, ut Lydos equestribus oppugnent copiis*. Tum ille: *non abs re*, inquit, *o Rex, Insulanos optas & speras, in continente terra te oppressurum: Verum quid aliud Insulanos optare censes, (simulac audiverint, constituisse te, adversus se classem exstruere) quam ut nacti Lydos in mari intercipiant, eosque Graecorum, quos in continente redegisti in servitutem, ulciscantur*. Quo sermone delectatus admodum Crœsus, atque delinitus, egregie enim ei Pittacus dixisse videbatur, ab ædificanda classe destitit, & cum Joniis, qui insulas incolerent, pacem coluit.

CAP. II.

Sententia Pittaci, pracepta & versus ad morum doctrinam pertinentes.

l. 77. Apophthegmata Pittaci ista apud Laertium habemus: *Necessitati ne Deos quidem reluctari. Principatum virum declarare*. Interrogatus aliquando, *quid optimum esset? quod in prasentia occurrit bene agere*, respondebat. *Quodnam esset maximum imperium? Ligni varii* dixit, legem innuens, ligneis tabulis incisam. Phocaico dicenti, *quarendum esse studiosum ac frugi virum; etiamsi valde quasiveris*, respondit, *non invenies*. Percontantibus *quidnam esset maxime gratum? tempus* ait. *Prudentium virorum esse, prius quam adversa contingant, providere, ne eveniant: fortium vero, cum illa contigerint aequo animo ferre*.

Sympos. VII. cap. p. 152. A. Addenda & ex Plutarcho sequentia: *Is demum beatus princeps, qui subditos ita condocefaciat, ut non ipsum, sed ipsius causa, metuant*. Ea ib. p. 154. E *optima Respublica, ubi magistratum gerere non licet malis, licet bonis*. Ea p. 155. D. *optima domus, ubi neque requiruntur supervacanea, neque desiderantur necessaria*.

Periandro suadebat, ut ebrietatem fugeret, ac commessationes, *ne esse cognosceretur, qualis esset, non esse, qualem se esse simulabat*. ap. Athenaeum L. X. p. 427. F

Quid adolescenti consilii dederit, de ducenda uxore eum consulenti, epigrammate complexus Callimachus est, cujus ecce sensum: Ep. 1. p. 180.

Nuper Atarnaus rogitabat Pittacon hospes
Hyrradii natum, quem Mitylena tulit.
Chare senex, gemina invitat me tada, puella
Una mihi par est, gente simulque opibus:
Altera sed prastat: Tu fare quod expedit oro,
Ducenda in thalamos utra mihi uxor erit?
Dixerat, ille brevi elato, senis arma, bacillo,
Ecce, ait, hi totam rem, mihi crede, docent.
Illi autem celeres scuticis levioribus orbes
Gyrabant latis in triviis pueri.
I, sequere illorum vestigia, dicit, at ille
Accedit, recinunt; tu tibi sume parem.
Hac ubi deprendit, juvenum aquis lusibus hospes
Commonitus, magnis adibus abstinuit,
Ac tenuem modicas uxorem duxit in ades.
Ergo Dion posthac tu tibi sume parẽ.

Quo Aeschylus etiam alludebat, ut observatum Scholiastæ ejus: in Prometh. v. 886.

Sa-

Ex verf. Grotii. *Sapiens, sapiens quisquis primus*
Animo gessit, prodidit ore,
Optima semper fœdera lecti
Quæ non dispar fortuna jugat.

ap Stob. 3. 3. Morum Præcepta, quorum autor est, ita refert Demetrius Phalereus: *Nosce tempus opportunum. Quod facturus es, ne prædixeris, frustratus enim spe irrideberis. Amicis utere. Quæ ægre fers in proximo, ea ipse ne feceris. Infortunato ne quid exprobres, his enim Deorum incumbit Nemesis. Deposita redde. Sustine parvas, quas proximi intulerint molestias. Ama proximum. Si parum tibi decedat, non statim amico convicieris, neque inimico bene preceris, hoc enim rationi adversatur. Difficile est, prospicere futura. Quod præteriit, certum est, futurum vero obscurum. Fida est terra, infidum mare. Inexplebile lucrum. Honestatem acquire. Obsequium quære. Amato disciplinam, temperantiam, prudentiam, veritatem, fidem, experientiam, dexteritatem, societatem, diligentiam, œconomiam, artem, pietatem.*

Sent. VII. sap. p. 110. Ausonius sequentia ei tribuit:
Loqui ignorabit, qui tacere nesciet,
Bono probari malo, quam multis malis.
Demens superbis invidet felicibus.
Pareto legi quisque legem sanxerit.
Plures amicos re secunda compara,
Paucos amicos rebus adversis proba.

Laert. I, 78. Inter ᾄσματα ejus sequentia maxime celebrantur.
Sumto arcu & jaculis sagittiferaque pharetra
Impetendum hominem improbum
Nam fidũ nihil lingua loqui valet,
Laert. I, 79. *Dũ cordi duplex alte insedit sensus.*

Auson. Ludo VII. sap. Symbolum ejus fuit: *Tempus nosce.*

CAP. III.

Pittaci Mors, Familia, Scripta,

Vixit ad profundam senectam, septuaginta amplius annis, Laert. I. 79 Luc. vel si Suidæ sequenda sit de natali Longæv p. 640. A ejus sententia, octoginta. Modum Lucianus excedit, qui in iis eum censet, qui centum annos vivendo exegere. Aristomene enim Archonte vivis excessit, Olympiad. LII, anno III. Sepulcro ejus epitaphium inscriptum, cujus ista sententia.
Condidit hoc tumulo lacrymis te Pittace Lesbos Laert. I, 79
Sacra suis, obitu languida facta tuo.

Fratrem habuit, cujus, sine liberis defuncti, ad eum hæreditas pervenit: unde & Crœso pecuniam ad se mittente, accipere noluit, duplo plura, quam vellet, se habere testatus, Laert. I, 75

Uxorem duxerat, generis nobilitate quæ ipsum excelleret, Draconis, filii Penthili sororem, quæ immodice superbam se ei præbebat. De animi Tranq p. 471. B. Cujus rei istud apud Plutarchum habemus exemplum. Nempe cum hospites convivio excepisset, uxor irata supervenit, mensamque evertit, quamobrem, cum perturbatos videret hospites, *unicuique vestrum,* dixit, *est mali aliquid, felicissimus is, cui hoc tantum.* Dicitque Laertius, ea, quæ de matrimonio monuit, (allegata s. c. II.) eum dixisse experientia edoctum. Laert. I, 81

Filium habebat Tyrrhæum, qui in tonstrina Cumis sedens (more scilicet veterum, qui de rebus novis sermones serere gestirent,) injecta forte fortuna securi, ab ærario fuit necatus. Homicida, a Cumanis vinctus, ad Pittacum missus est. Qui, Laert. I, 76.

cum casu id factum cogovisset, eum absolvit, indulgentiam pœnitentiæ esse præferendam inquiens.

Laert. I, 78 Scripta ejus sequentia Laertius memorat. Ἀιδόμενα, nobis jam allegata. *Elegos* ad sexcentos versus, & Ib. 97. soluta oratione, *de legibus ad Cives*: *Epistolas* item, ex quibus ista servata est.

PITTACUS CROESO.

„ Jubes me in Lydiam venire, „ spectatum opes tuas. Ego, etsi illas nunquam aspexi, nihil ambigo, „ filium Alyattæ Regum omnium „ esse opulentissimum, neque adeo „ opus habeo, ut Sardes propterea „ iter suscipiam. Auro enim ipse non „ indigeo, sed quantum satis sit & mihi & amicis, habeo. Veniam tamen, ut „ tibi, perhumano & hospitali viro, „ familiaris efficiar.

Laert. I, 79 Fuit & alius *Pittacus* legislator, cujus & Phavorinus, & Demetrius meminere.

BIAS.

CAP. I.

Vita Biantis.

Laert. I, 82 Bianti Prienæo pater *Tutamis* fuit. Fuisse opulentum, plerique autumant, alii prædiis destitutum, advenæ vitam egisse. Eum Satyrus reliquis septem Sapientibus prætulit. Occasio, quæ illud ipsi peperit nomen, ista fuit: Captivas puellas redimebat Messenias, sibique filiarum loco nutriebat, tandemque dotatas Messanam parentibus remittebat. Brevi post, Athenis aureus cum repertus esset tripos, ut in vita Thaletis relatum, (alium tamen locum ea relatione indicante) cui aureis litteris inscriptum esset SAPIENTI, Satyrus quidem puellas, alii vero, ex quibus Phanodicus est, illarum patrem in concionem venisse, ait, Biantemque, expositis, quæ sibi fecisset, *sapientem* appellasse. Sicque tripoda ad eum missum, quo conspecto, Biantem dixisse, *Apollinem esse sapientem*, eumque accipere noluisse. Sunt, qui Herculi Thebano eum ab illo sacratum ferant, eo quod Thebanis colonis, Prienen missis, ipse originem deberet.

Optime autem eum titulum illum meruisse, multis argumentis liquet. Laert. I, 83 Cum ab Alyatte enim Priene, patria ipsius, obsideretur, duos mulos de industria saginatos ex urbe in castra expulit. Eis conspectis obstupuisse Regem, quod brutis quoque animalibus obsessorum sufficeret *abundantia*, * & pacis ineundæ cupidum, nuntium ad eos misisse. Biantem igitur magnos arenæ acervos congeri jussisse, eosque tritico operuisse, quos nuntiis ostendebat. Ea re cognita Alyattem ad inneundam cum Prienensibus pacem magis accensum, Bianti, ut ad se veniret, mandasse: hunc vero dixisse: *equidem Alyattem cepas edere*, h. e. *flere*, jubeo.

* εὐθηνίας vulgati habent. εὐθηνίαν substituit Stanlejus. Quod jam placuerat, Casaub.

Herod. I. I. p. 4. Sunt, qui Biantis etiam opus dicant esse, quod Croesus ab invadendis Græcorum insulis deterritus fuerit, quod Pittaco alii tribuunt, ut in vita ejus relatum.

L. I. p. 67. Croeso capto, exercitum adversus Græcos miserat Cyrus Jones igitur valde perturbati, Panionio nihilominus conveniebant, ubi Bias saluberrimum eis dedit consilium, quod, si secuti fuissent, judice Herodoto, licuisset Græcorum omnium felicissimis eis esse. Siquidem ille suadebat, ut communi classe solventes.

Sar-

Sardiniam peterent, ibique unam omnium Jonum civitatem condèrent. Hoc enim pacto eos, a servitute liberos, feliciter esse victuros, omnium insularum maximam incolentes, & ceterarum imperio potientes. Si autem manerent in Jonia, nullam esse libertatis spem. Hanc Biantis sententiam eventus Jonibus subactis comprobavit.

Valer. Maxim. VII. 2. Ext. 3. Cum patriam ejus Prienen hostes invasissent, omnibus, quos modo sævitia belli incolumes abire passa fuerat, pretiosarum rerum pondere onustis fugientibus, interrogatus, quid ita nihil ex bonis suis secum ferret? *Ego vero*, inquit, *bona mea mecum porto*. Pectore enim illa gestabat, non humeris: non oculis visenda, sed æstimanda animo. Quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt: & ut manentibus præsto sunt, ita fugientes non deserunt.

Plut. Symp. VII. Sap. p. 146. D. & de auditione p. 38. B. Regum amicitias, quod Thales faciebat, repudiabat minime, Amasidis præcipue, qui victimam miserat ad eum, jubens exemtam ex ea optimam & pessimam partem sibi mitti: Quamobrem ille linguam exsectam ad Regem perferri curavit, quæ ei res magnam gloriam admirationemque peperit.

Plut. Symp. VII. Sap. p. 151. A. Aliud ejusdem Amasidis problema soluit, Corinthi cum degeret, quo cum reliquis sapientibus a Periandro fuerat invitatus, istasque a Niloxeno perlatas litteras accepit:

„ Amasis, Rex Ægypti, ita compel„ lat Biantem: Sapientissime Græco„ rum sapientię certamen Æthiopum „ Rex mecum exorsus est: jamque vi„ ctus haut semel, rem absurdam a „ me postulat, mare ut ebibam: cu„ jus problematis solvendi merce„ dem, urbes & oppida haut pauca „ mihi obtulit, si vero solvam mi„ nus, omnium, quæ circa Elephan„ tinum positæ sunt, urbium, jactu„ ra mihi est facienda. Expende quę„ so rem propositam, & Niloxenum, „ quamprimum fieri id possit, ad „ me remitte. Nil prætermittam eo„ rum, quibus vel amicis, vel patriæ „ tuæ, prodesse queam.

Perlectis litteris, post exiguam moram, ubi seipsum collegisset Bias, voce submissa ad Cleobulum, qui proximus assidebat, dixit: *Quid vero, o Naucratita, Amasisne, qui tanta hominum multitudini imperat, & regionis adeo excellentis est Dominus, paucorum eorumque obscurissimorum oppidorum pretio mare ebibet?* Tum ad eum Niloxenus, subridens, *cogita vero potius*, *inquit*, *o Bias*, *si facere id velit Amasis*, *quomodo præstare valeat*. Tum ille: *Jubete Æthiopem fluvios in mare decurrentes detinere*, *donec illud*, *quod nunc est mare*, *ebiberit Amasis*, *nam id tantum*, *quod nunc est mare*, *ut ebibat poscitur*, *non id*, *quod postea erit*. Quibus dictis amplexus eum Niloxenus est, reliquis solutioni ejus applaudentibus.

CAP. II.

Sapientia ejus, præcepta & versus ad morum disciplinam pertinentes.

Apophthegmata ejus ita a Diogene Laertio aliisque referuntur: *infelix*, *qui ferre infelicitatem non possit*. *Morbus animi est impossibilia amare & appetere, alieni vero incommodi non meminisse*. Interrogatus, *quidnam esset difficile? Ferre*, inquit, *fortiter mutationem rerum in deterius*. Cum impiis aliquando dum navigaret, totaque navis fluctibus L. 86.

qua-

quateretur, illis Deum invocantibus, *silete, dixit, ne vos hic illi navigare sentiant*. Percontanti impio homini, *quid esset pietas*? nihil respondit: eumque ille silentii causam sciscitaretur: *Taceo*, inquit, *quia de rebus nihil ad te pertinentibus quaeris*. Rogatus, *quid esset dulce hominibus*? *spes*, ait. *Malle se*, ajebat, *inter inimicos, quam inter amicos judicare. Quippe ex amicis alterum prorsus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum*. Interrogatus, *quidnam faciens homo delectaretur*? *lucrum*, inquit. *Ita vivendum esse, quasi & diu & parum victuri simus. Ita amandum, quasi odio simus habituri, caute amicitiam colendo, ut quae in inimicitiam verti possit*.

Gell. V. 11. Quum rogatus esset ab aliquo, *de deberetne uxorem ducere*? *Aut pulchram*, respondit, *habebis, aut deformem. Et si pulchram ducas, habebis* κοινὴν, *(communem,) si deformem, habebis* ποινὴν, *(poenam*.

Plut. Symp. VII. Sap. p. 52. A. *Eum maximam gloriam consecuturum tyrannum*, ajebat, *qui primus pareat legibus patriae*.

Ib. p. 155. D. *Eam rempublicam esse optimam, in qua legum major sit metus, quam tyranni*.

Ibid p. 156. C. *Eam optimam esse familiam, in qua talem sponte sua se Dominus gerat, qualem foris legum metu se gerit*.

Stob. S. 3. p. 51. *Qui sapientiae vacant inani, eos noctua similes oculis*, aiebat, *esse. Hujus enim oculos nocte quidem valere, sole autem splendente, caecutire. Sic enim talium quidem mentem acutissimam esse in vanis contemplandis, ad veri autem luminis objectum motum caligare*.

Auson. Sap. sent. p. 320. Ausonius sequentes ejus nomine inscripsit sententias.

Quaenam summa boni? mens, quae sibi conscia recti,
Pernicies homini quae maxima? solus homo alter.
Quis dives? Qui nihil cupiat. Quis pauper? avarus.
Quae dos matronae pulcherrima? vita pudica.
Quae casta est? De qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? Quum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium? non posse & velle nocere.

Praecepta ejus moralia a Demetrio Phalereo ista memorantur; (a) *Plurimi hominum improbi sunt*, (quod Symbolum ejus fuit (b): *Te* (c) *ipso prius inspecto ad agendum aliquid accingi oportet: & si pulcher tibi videaris, pulchra facito: sin deformis, naturae defectum morum pulchritudine pensato. Honestatem exerce. Deliberato rem aggredere, quod autem coeperis, constanter absolve. Celeritas in loquendo odio habenda* (vel ut apud Laertium est, *stultitia est*) *Ne pecces, nam poenitentia sequatur necesse est. Neque simplex sis, neque malignus. Imprudentiam non admitte. Dilige prudentiam. Deos esse nunquam non dicito. Quod faciendum est, probe considera. Audi multa. Loquere tempestiva. Pauper qui sis, divites reprehendere noli, nisi maxima inde expectare liceat emolumenta. Virum indignum opum causa laudare noli. Suadendo, non cogendo, impetra. Cum quid boni feceris, non Tibi, sed Diis, tribue. In iuventute opes, in senectute sapientiam compara*, vel ut Laertio repraesentatur: *a juventute ad senectam usque sapientiam compara, ea enim magis, quam opes omnes tutum te praestabit.*) *In factis tuis memoriam ser-*

a Stob. serm. III. p. 46.
b Laert. I. 88.
c Stob. l. c.

serva, in tempore cautionem, in moribus ingenuitatem, in labore patientiam, in metu cautionem, in divitiis amicitiam, in oratione persuasionem, in silentio decorum, in mente justitiam, in audacia fortitudinem, in actione potentiam, in gloria principatum, in ingenio ingenuitatem.

Laert. l. 86. Ex Ἀσμάτων ejus illa imprimis placuere:

Urbis placeto civibus cunctis tuæ,
Sic gratia valebis: nam superbia
Persæpe noxam rettulit quam maximam.

Et istud:

Natura robur corpori dedit suum.
Ast patriæ sermone prodest mens bona.
Fortuna ditat non merentes plurimos.

CAP. III.

Mors & scripta ejus.

Laert. l. 84. IN causis orandis summus erat atque vehementissimus, bonam tamen in partem dicendi facultatem exercebat, quod Demodicus Alerius significat, dicens: *Si causa tibi agenda in foro, Prienæo more agito*: Et Hipponax, quando hac phrasi utitur, *Biante Prienensi causas egit præstantius*. (Laert. Δημόδικος ὁ Αλείριος. forte legendum. ὁ Λέριος.) Fatis hoc modo concessit: provecta senectute cum causam egisset, ubi peroratum esset, caput in sinu nepotis ex filia fessus reclinavit. Cumque & adversarius dicendi fecisset finem, judicesq; sententiam pro Biante tulissent, soluta concione, nepotis in gremio animam efflavisse compertus est. Ipsum autem magnifice sepelivit civitas, atque ejus laudes tumulo inscripsit.

Petra Prienæum tegit hæc bene culta Biantem,
Ornamentum ingens qui fuit Joniis.

Sacellum quoque ei dedicarunt, quod *Teutamium* dicitur. Extat quoque in eum istud Laertii. (Laert. l. 88.)

Hic situs est Bias, Hermes quem duxit ad orcum, (Laert. l. 84)
Albentem niveis tempora cana pilis.
Ut causam dixit socii, inclinatus in ulnas
Mox pueri, somnum solvitur in tenuem.

Scripsit de Jonia ad duo millia versuum, quanam ratione maxime felix esse possit: quod est forte consilium supra a nobis commemoratum.

CLEOBULUS.

CAP. I.

Vita ejus.

CLEOBULUS Lindo ortus; (quod Rhodi est oppidum) sive ut Duris auctor est, ex Caria fuit, Evagoræ filius. Genus ab Hercule duxit: sapientia, corporisque viribus ac forma, imo & robore, omnes coætaneos suos antecellebat, Ægyptiorum philosophia etiam imbutus. Tyrannum eum Lindiorum fuisse ex Plutarcho constat. Is vero templum Minervæ a Danao olim fundatum restauravit. (*a*) (Laert. 89. Suid. κλεόβ. Plut. de ει ap. Delph. p. 385. D.)

Filiam habuit, cui nomen *Eumetidis*, quæ tamen vulgo de patris nomine *Cleobulina* appellabatur. (*b*) Ea Hexametros & ænigmata componebat, (*c*) ob sapientiam suam, & acumen ænigmatum, celeberrima. Ad Ægyptum usque quæstiones ab ea propositæ nonnullæ dimanave- (a Laert. l. c. b Plut. VII. sap Conv. p. 148. c Laert. l. c. Plut. l. c.)

naverant, quibus ea jocularitet, tanquam taxillis, ubi res ferebat, utebatur, cum illis solum concertans eisdem, a quibus provocata fuisset. Sed & animi ei inerat sublimitas admirabilis, & ingenium civili prudentia æque ac humanitate conspicuum, quo efficiebat, ut pater civibus humaniter & populariter imperaret. Ejus & Cratinus meminit in comœdia, quam *Cleobulus* inscripsit, Athenæo identidem allegata.

Laert. I. 6.

Laert. I. 93. Obiit Cleobulus senex annorum LXX. ejusque tumulo inscriptum:

Extinctum luget Cleobulum patria Lindus,
Patria, quæ medio est undique cincta mari.

Laert. I. 89. Scripsit autem carmina & griphos ad tria millia versuum, in quibus ænigma fuit de anno:

Laert. I. 91.
Est genitor, proles cui sit bissena, sed horum
Cuivis sunt nata triginta, ast dispare forma.
Hæ niveis penitus, fuscis sed vultibus illa.
Atque immortales cum sint, moriuntur ad unum.

Laert. I. 89. Sunt, qui eum autorem istius in Midam epigrammatis faciant, Homero illud abjudicantes, qui juxta eos diu ante Midam vixit, quamvis eis contradicat Herodotus:

Laert. I. 90.
Ænea sum virgo Midæ, quæ incumbo sepulchro,
Dum fluit unda levis, sublimis nascitur arbor.
Dum sol exoriens & splendida luna relucet,
Dum fluvii labuntur, inundat littora fluctus
Hinc constanter ago, lacrymisque in marmore tincto
Fixa, Midam moneo hic tumulatum, chare viator.

Fertur ejus & ista epistola. Laert. I. 93.

CLEOBULUS SOLONI.

„Amici tibi sunt permulti, & „ubique parata domus. Ego tamen „Soloni convenientissimum Lin„dum fore ausim affirmare, civita„tem liberam, insulam, nihil Pisi„stratos metuentem. Eo ad te ami„ci tui undique confluent.„

CAP. II.

Sententiæ ejus, Præcepta & Versus, ad doctrinam morum spectantes.

Laert. I. 91. Ex sententiis ejus celebres istæ sunt: *Sentire atque sapere illustre aliquid & inclytum stude. Inanis & ingratus ne sis. Filias nuptui locari oportet ætate virgines, sed prudentia & sensu mulieres*, quo instituendas esse etiam puellas docebat, quod in more positum Græcis haut erat, Romanis in liberalibus disciplinis eas instituentibus. *Amicum beneficiis fove, ut amicior sit, inimicum ut amicum facias: cavenda enim reprehensiones amicorum, inimicorumque insidiæ fugiendæ. Antequam domo quis exeat, quid acturus sit apud se pertractet: rursus, cum redierit, quid egerit, recogitet.*

Plutarch. Symp. VII. Sap. p. 151. A. *Beatum esse principem, qui familiarium nemini fidat. Optime institutam esse Rempublicam, ubi cives reprehensionem magis quam legem metuant: Familiam, in qua plures sint qui diligant, quam qui metuant Dominum.*

Stob. Serm. III. Præcepta ejus ista collegit Demetrius Phalereus: *Modus optimus* (quod symbolum habuit). *Genitorem oportet revereri. Bene ut habeas corpore & animo, curandum. Audire libenter, non temere credere oportet* Laert. I. 93.

Vel, ut melius Laertius: *audiendi magis quam loquendi studiosum esse oportet*. *Præstat multa discere velle*, (vel, ut Laertius habet, *amare scientiam*,) *quam rudem manere*. *Lingua ut bene dicat assuefacienda*. *Virtutis est proprium*, *& ab impietate alienum*, *odisse injustitiam*. (Laert. ita effert: *Virtuti familiaris esto*, *vitio hospes*, * *pietatem custodi*, *civibus optima consule*.) *Linguam* (ap. Laertium est, *voluptatem*) *frena*. *Per vim nihil age*. *Liberos institue*. *Successum a fortuna pete*. *Inimicitias solve*. *Patriæ inimicum tibi quoque talem esse puta*. *Uxori neque irascere*, *neque blandire*, *præsentibus aliis*, *hoc enim stulti*, *illud insani est*. *Famulos ebrios ne castiges*, *ut ne ipse ebrius videaris*. *Æqualem ducas uxorem*, *ne nobiliorem ducens Dominos tibi compares pro affinibus*. *Alios subsannanti ne subrideas*, *invisus enim fies illis*, *quos deridet*. *Dives superbus*, *Pauper abjectus animo esse noli*. Laertius addit: *Fortunæ mutationes fortiter perferre disce*. Ausonius sequentes ei tribuit.

Quanto plus liceat, tam libeat minus,
Fortunæ invidia est immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoscas aliis multa, nihil tibi,
Parcit quisque bonis, perdere vult malos.
Majorum meritis gloria non datur.
Turpis sæpe datur fama minoribus.

Ex Ἀιδομένοις** ejus illud maxime celebratur:

Mortalium plerosque spissa vexat ignorantia,
Ore impudente verba fundunt multa plurimi tamen:
Hos tempus optimus magister rerum ast arguet.

PERIANDER.

CAP. I.

Periandri Patria, Majores, Parentes.

PERIANDRO Cypselus pater fuit, Corinthi tyrannus, Mater Cratea, progenitores Heraclidæ, ex Hercule & Iardana * geniti, qui Lydiam Regia autoritate gubernarunt DV. annis, filio patri succedente, per XXII. generationes. Origines vero Cypseli, & quo ad regnum pervenerit modo, ita descriptum habes apud Herodotum: Laert. l. 94. Herod. L. I. p. 3. L. V. p. 202.

Cum pauciorum imperio Corinthus gubernaretur, & ii, qui Bacchiadæ vocabantur, urbem incolerent, illi quidem nonnisi cognatas ducebant, elocabantq; filias nonnisi cognatis. Horum uni, nomine Amphioni, nata est filia clauda, cui nomen erat Labda, quam quia nemo Bacchiadarum ducere volebat, duxit Eetion Echecratis filius, e Petra quidem tribu, sed Lapitha gente ac Cænides. Ei cum liberi essent nulli, Delphos adivit, ut de prole consuleret. Eum introeuntem Pythia statim his versibus compellavit:

Eetion

---

* Ap. Stobæum eodem modo effertur, quo ap. Laertium. Interpretes Latini discrepant tantum, nam conjunxit unus, quæ distinctæ esse visæ sunt sententiæ alteri, ἀρετῆς οἰκεῖον καὶ κακίας ἀλλότριον (supple εἶναι. (quod ap. Stob. excidit.) ἀδικίαν μισεῖν.

** Nec metrum in istis apud Laertium est, nec Ἀιδομένοις ab eo accensentur. Sed inter ceteras Cleobuli censentur sententias, Stanleio paulo ante allegatas.

* Non ex *Iardana*, sed *Iardanæ ancilla* eos genitos dicit Herodotus, Præterea non Iardanam, sed Iardanum legi debere contendit Tan. Faber L. I. Ep. Critic. Ep. II.

Eetion te neme (licet sis tantus) honorat.
Conceptum pariet saxum grave Labda, monarcha
Qui cadet in cives, emendabitque Corinthum.

Hocce oraculum Eetioni datum, consonum erat alii, quod Bacchiadæ acceperant, nec intellexerant tamen: cujus ista sententia:

Concipit in Petris aquila enixura leonem,
Robustum, sævum, genua & qui multa resolvet.
Hæc bene nunc animis versare Corinthia proles,
Qui colitis pulchram Pirenen altamque Corinthum.

Bacchiadæ sensum hujus oraculi assequi haut valentes, cum audirent de oraculo Eetioni reddito, id quod ipsi acceperant, intelligere incipiebant, eo quod eodem illud spectare animadverterent, atque proinde interficiendi filii Eetionis consilium cepere. Hinc ut primum uxor ejus enixa est, miserunt e suo numero X. viros e tribu, in qua habitabat Eetion qui puerum opprimerent. Hi, postquam ad Petram advenere, Eetionisque domum, puerum sibi tradi jussere. Labda cur venissent ignara, patrique congratulatum eos accessisse rata, affert filium, & in unius eorum manum tradit. Convenerat autem inter eos in via, ut qui primus eorum puerum accepisset, is humo allideret. Verum divina providentia puer ei, cui traditus a Labda fuerat, arrisit. Quamobrem ea animum ejus subiit miseratio, ut interficere puerum non posset. Sic misertus alteri tradidit, atque ille tertio, donec postremo per omnes decem transiret, ac nemine interimere volente, matri redderetur. Tum egressi illi, atque ad fores subsistentes alius alium incusabant, & primum præcipue, quod pactis non stetisset. Post altercationes statuerunt ingredi rursus, & conjuncta opera cædem perficere. Sed fatis statutum erat, ut Eetionis proles perniciem afferret Corintho. Nam Labda ad fores hosce eorum inaudiverat sermones, metuensque, ne mutato consilio interimerent puerum, eum asportatum in modio occultavit, qui *Cypsela* dicebatur: Quem illos nunquam, si redirent, locum pervestigaturos esse sperabat, id quod evenit etiam. Nam ingressi scrutati sunt omnia: cumque invenire infantem haut possent, inter eos convenit, persuadere iis, a quibus missi fuerant, occisum sua opera esse infantem: idque domum reversi etiam fecerunt. Filius itaque Eetionis, adultior factus, *Cypselus* fuit appellatus, petito nomine ab eo, quod in mensura frumentaria evaserat, periculo. Ad virilem ętatem ubi pervenisset, consulto Delphico oraculo, anceps tulit responsum, cui confisus Corinthum invasit, expugnavitque. Oraculi autem ista erat sententia:

Vir locuples, nostras hic qui descendit ad ædes,
Cypselus Eetides, claræ Rex esto Corinthi,
Ipse & eo nati, sed nulli deinde nepotes.

Tyrannide potitus, Corinthiis gravis extitit, multos opibus, plures vita spolians. Quum XXX. regnasset annos vita functus, successorem filium habuit, Periandrum, cuius regnum tyrannidis huius ætatem absolvit: quæ iuxta Aristotelem LXXIII. annorum fuit, men- Polit. X. 12.

sium

sium VI. Ut *Cypselum* regnum illud auspicatum esse Olympiadis XXX. anno II. oporteat.

CAP. II.

Tempus ejus natale, Regnum, Ingenii mutatio.

PEriander (*a*) (si a morte eius tempus computemus, quam subiit iuxta Laertium, ætatis LXXX. anno, qui fuit Olympiadis XLVIII. ultimus) anno natus est Olympiadis XXIX. postremo. Regnum eius (quod secundum Aristotelem (*b*) annis duravit XLIV.) anno IV. Olympiadis XXXVII. initium habuit. Suidas (*c*) ait eum in regno successisse, quod esset natu maximus in filiis patris sui, (unde Plutarchus (*d*) paternum illum eius appellat morbum) floruisse vero XXXIIX. Olympiade.

Mitem primum (*e*), ac benignum, crudeliorem paulo post ista occasio reddidit. Mater eum adhuc juvenem vehementer secum continebat, eousque etiam, ut eius amore implexa in concupiscentiam ipsius veniret. Progressu autem temporis malum semper increscebat, adeo, ut se amplius continere non posset. Quare confidenti animo puero persuasit, esse feminam quandam, egregiæ formæ, quæ eum immodice amet quare suadeat, ne illam despiceret, ac sese ulterius adfligere sinat. Periander primum se corrupturum negabat eam, quæ esset coniuncta viro, præter leges & publicos mores. Quum autem supplicibus verbis instare non cessaret, se facturum recepit. Noctem statuebat, ipsumque monebat, ne lumen ad thalamum inferret, neque cogeret eam ad colloquium, atque id pudori ejus condonaret. Eo pollicente omnia se facturum, quæ mater ipsi injunxisset, ipsa pulcherrime ornata ad filium ingreditur, ac priusquam illucesceret aurora, clam rursus discessit. Sequenti die interrogat filium, ut placuerit amica, & annon velit rursus ad se accedere eam. Periander vero seipsum id animo agitare respondit, nec modice se ejus amore affici. Quare ab hoc tempore non cessabat sæpe ad filium redire, ita, ut postremo cupido Periandrum incesserit cognoscendi, quæ esset tandem, cum qua congrederetur. Hinc aliquamdiu apud matrem precibus obtinere studuit, ut in mutuum colloquium veniret, atque ut ejus, cujus amore flagraret, aliquam notitiam haberet. Sane enim difficile esse, quod ne contueri quidem eam permitteret, qua jam multo tempore familiariter fuerit usus. Verum, quum id fieri posse ob verecundiam feminæ mater omnino negaret, ipse aliquem ex ministris lumen in cubiculo occulere jubet. Et cum ea pro more accederet, atque una dormire pararet, exurgens Periander, produxit lumen, atque cum matrem esse vidit, præ animi impotentia eam interimere voluit. Sed a quodam genio subito apparente retractus, ab eo facto sibi temperavit: atque ex eo tempore mente perculsus insanivit, & in crudelitatem incidit, multosque civium suorum mactavit. Mater vero multum super genio suo lamentata seipsam interemit. Laertius & ipsum & matrem facinoris conscios fuisse dicit, eumque in crimine deprehensum gravem civibus institisse. 1. 96.

Inter initia regni mitius agebat quam

a Laert. l. 95.
b Arist. l. c.
c Suid. & ex quo habet ista Nicol Damasc. Ex Peiresc. p. 450.
d Symp. VII. Sap. p. 147. C.
e Laert. l. 96. Suid. Parthen. Erotic. c. 17.

quam pater, verum per nuntios commercia habens cum Thrasybulo, Mileti tyranno, (cui præterito tempore ante quam tyrannidem indipisceretur, hospes fuerat) multo magis quam pater cruentus factus est. Misso præcone Thrasybulum interrogavit, qua ratione ipse, rebus melius constitutis, rempublicam pulcherrime administrare posset? Thrasybulus vero eo, qui a Periandro missus erat, extra urbem educto, ingressus est agrum quendam satum, & una cum eo segetem interambulans, sciscitatus est hominem de suo adventu e Corintho, detruncans interim atque decutiens, ut quamque videbat spicam inter alias eminentem, eoque gestu totum illud prædium pervagatus, nullo verbo reddito præconem dimisit. Hunc reversum avide Periander, quænam reipublicæ gerendæ præcepta afferret, interrogavit. Quo respondente, nulla sibi dedisse Periandrum, seque mirari quod ad virum parum sanum ab eo sit ablegatus, qui propria sua vastaverit prædia. Tum quid egerit Thrasybulus, ille interrogavit, statimque intellexit ab eo præcipi, ut eminentissimos quosque in Republica e medio tolleret. Eo pertinentem epistolam Laertius exhibet, quæ si plane spuria non est, alio tempore scripta sit oportet, quam quo nuntius ille fuerat ablegatus.

Laert. I. 95.

I. 100.

THRASYBULUS PERIANDRO.

„Responsum a me nuntius tuus „tulit nullum. Eum vero in segetem deductum, me baculo decutiente aristas, super reliquas quæ „eminerent, ipsoque interea me sequente, quæ viderit audiveritque „interrogatum relaturum confido. „Idem vero tibi, si confirmato imperio uti velis, est faciendum. Illustriorum civium demetenda capita sunt; sive inimici sint tibi, sive amici. Vel amicissimos enim suspectos tyranno esse oportet.

Utut autem neget Plutarchus Thrasybuli eum secutum consilium esse; diserte tamen affirmat Herodotus, ab eo tempore omnem in cives sævitiam Periandrum exercuisse, interficientem eos, qui patris crudelitatem salvi evasissent. Primus armatis circumseptus incessit, qui CCC erant numero, magistratumque ad tyrannidem transtulit, crudelitate & violentia. Cives servis nolebat abundare, nec otio vacare patiebatur, ingeniosus ad inveniendа, quibus eos occupatos redderet, negotia. Si in foro desidens deprehensus quisquam fuisset, mulcta ei erat subeunda, timebat enim, ne contra se conspiratio fieret. Neque *Asty* habitare patiebatur omnes, qui cuperent. A Bello nunquam vacabat, rerum quippe bellicarum studiosissimus; Triremibusque ædificatis, late utrumque tenebat mare. Isthmus etiam ut perfoderetur, ipsum molitum fuisse perhibent.

Plut. Symp. VII. sap. p. 147. C. Herod. I. 5.

Laert. I. 98. Suid. ex Nicol. Damasc. l. c.

Laert. l. c.

Suid. l. c.

Familiaritatis ejus atque commercii cum Thrasybulo aliud Herodotus exemplum suppeditat. Affirmat enim eum Thrasybulo indicasse per nuntios oraculum, quod Alyattes Rex Lydiæ de restaurando Minervæ templo acceperat, utque ille tempestive securitati prospiceret suæ monuisse.

Laert. l. 99. Herod. l. p. 5.

Auream statuam Deo se sacraturum vovit, si Olympia quadriga vicisset. Victoria autem potitus cum auro egeret, quadam celebritate popu-

Laert. l. 95.

populi, mulieres procedentes ornatas videns, mundum eis ademit, atque sic domum eas dimisit.

CAP. III.

Ut in Septem Sapientum censum relatus sit, ejus item Sententiæ & Scripta.

Symp. VII. sap. p. 147. PEriander, ut ait Plutarchus, tyrannide tanquam paterno morbo correptus, eo emergere, quantum potuit fieri, salutaribus utendo hominum sapientum colloquiis, eosque ad se invitando, conatus fuit. Atque eo spectat ejus ad Græciæ sapientes Epistola, missa ad eos Laert. l. 99 cum Delphis convenissent.

PERIANDER SAPIENTIBUS.

„ Gratias immortales ago Pythio „ Apollini, quod vos in unum apud „ se coactos Corinthum etiam per„ tracturæ videantur litteræ meæ. „ Hospitio vos excipiam humanissi„ me. Audio, præterito anno Sar„ des ad Lydorum Regem vos ivisse, „ ne itaque dedignemini nunc ad „ me proficisci, Corinthiorum ty„ rannum. Videbunt enim vos læ„ ti, Periandri domum adeuntes, „ Corinthii.

Ita invitati venere ad eum non septem modo, sed bis septem, in quibus Diocles erat, Periandri fa- Symp. VII. Sap. p. 147. miliaris, cujus nomine Plutarchus luculenter eorum conversationem, atque colloquia, delineavit. Convenere autem non in civitate, sed in portu Lechæo, in conclavi amplissimo, solennibus conviviis dicato, & templo Veneris proximo, ubi sacra Periander inde ab infausto excessu matris suæ fecerat nulla. Quid gestum in eo convivio fuerit, eo quod prolixior sit ejus descriptio, apud Plutarchum Lectores, si cupiant, legent.

Ipse hoc modo Periander sapientibus fuit accensitus, qui, Plutar- De Ei. Delph. p. 385. D. cho autore, initio quinque tantum fuere. Postea Cleobulo Lindiorum Tyranno, & Periandro Corinthio, quamquam virtutis essent sapientiæque expertes, potentia, amicis, officiisque vim famæ facientibus, & se in nomen sapientum ingerentibus. Quod ipsum ut obtinerent, sententias quasdam ac dicta emiserunt ac per Græciam sparserunt, easdem cum iis, quæ ab aliis prolatæ jam essent. Id quamvis valde ceteris displiceret sapientibus, arrogantiam tamen illorum revincere, aut de gloria palam controversiam suscipere cum præpotentibus viris noluere. Ipsos tamen Delphos convenisse, interque se privatim collocutos litteram E quæ est in ordine quinta, & numerum designat quinarium dedicasse, coram Deo ejus templi protestatos, plures quam quinque suo ordine non contineri: quo ipso sextum atque septimum tanquam nihil ad se pertinentes exclusere.

Eorum, qui e septem sapientibus Suid. Plato Protagor. Tl. p. 343. A. Laert. l. 98 Periandrum fuisse negant, nonnulli *Mysonem* in locum ejus substituunt, in quibus & Plato est. Alii duos ajunt fuisse Periandros, tyrannum alterum, alterum Ambraciotem, sapientem. Sed Aristoteles, atque alii, Corinthium sapientem dictum ajunt, quod ipsi nomen non actionum verum scriptorum & sententiarum habita ratione datum esse videtur, quales fuere sequentes:

„ *Nihil pecuniarum causa agen-* Laert. l. 97 „ *dum. His, qui tuto regnare vo-* „ *lunt, summa ope nitendum, ut* „ *benevolentia non armis stipentur.* Rogatus, *cur in tirannide persisteret?*

 Quia,

„ *Quia, inquit, & sponte & invitum*
„ *cedere aque periculosum est.*

Conviv. VII Sap. p. 152. E. Cum ceteri sapientes in eo, ad quod a Periandro invitati fuerant, convivio, de tyranno sententias dixissent, &, ut ipse quoque aliquid diceret, postularent. Ille, vultu perturbato, *satis*, inquit, *dictum puto, ad deterrendum quemvis, qui sana mentis sit, hominem a Principatu gerendo*. Ibid. p. 155. E. Cumque simili modo de Republica disseruissent, hæc subjecit: *Videri sibi omnibus, qua dixerant eam commendari Reipublica popularis formam, qua proxime ad Aristocratiam accedat.*

Stob. S. 3. p. 42. ib. p. 46. Quærenti, *quid in minimo maximum* esset, respondit, *bona mens in corpore humano*. Præcepta ejus juxta Demetrium Phalereum sequentia fuere: *Rem omnem considera*, quod & Symboli loco ipsi fuit. *Bona res quies. Periculosa temeritas. Lucrum turpe accusatio natura est. Imperium populare melius est tyrannide. Voluptates quidem mortales sunt, virtutes autem immortales. In secundis moderatus, in adversis prudens esto. Præstat parce vivendo mori, quam vivum indigere. Compara te, ut dignus sis parentibus. Da operam, ut vivus laude dignus, post fata beatus videaris. Amicis eundem in secundis & adversis te prabe. Si quid mali promiseris invitus, servare noli* Laert. I, 98. (Laertius habet), *quodcumque pollicitus fueris, serva.*) *Secreta ne prodas. Conviciis utere, tanquam amicus iterum futurus. Legibus antiquis, obsoniis recentibus, utere. Peccantes castiga, peccaturos prohibe. Adversa celare memento, ne latentur qui oderunt te.*

p. 100. Ausonius ista ei tribuit:

Nunquam discrepat utile a decoro.
Plus est sollicitus, magis beatus.
Mortem optare malum, timere pejus.
Faxis, ut libeat, quod est necesse.
Multis terribilis caveto multos.
Si fortuna juvat, caveto tolli.
Si fortuna tonat caveto mergi. Laert. I, 97

Scripsit & Admonitiones ad duo millia versuum.

CAP. IV.

Arionis Historia.

Plut. symp. VII. sap. p. 160. sq. Eus. Chron. Herod. L. I & qui ex eo in Latinum hæc transtulit Gellius XVI, 19. Lucianus &c.

Dum convivarentur unaSapientes, prout ex Plutarcho a nobis relatum est, vel potius, ut apud Eusebium est, Olympiade XL, stupenda res evenit, quam cum portentum appellet Herodotus Periandro oblatum, ejus potissimum verba referemus:

Arion nobilis cantator fidibus fuit: Is cum aliquando in Periandri vixisset familiaritate, inde a Rege proficiscitur terras inclutas Siciliam atque Italiam viscere. Is tum postea grandi pecunia, & re bene multa copiosus Corinthum instituit redire. Tarenti igitur navem & navitas, ut notiores amicioresque sibi, Corinthios delegit. Sed eo Corinthii homine accepto, navique in altum provecta, prædæ pecuniæque cupidi, cepere consilium de necando Arione. Tum ille ibi, pernicie intellecta, pecuniam ceteraque sua ut haberent, obtulit, vitam modo sibi ut relinquerent, oravit. Illi vero negantes, ut ipse sibi manus inferret, postulabant, si in patria quidem sua sepeliri cuperet, vel si nollet, ut statim coram desiliret in mare. Arion ibi perterritus, id unum postea oravit, ut prius quam mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi omnia indumenta,

menta, & in puppi consistentem fidibus canere, ubi id peregerit opus, illis traditurum seipsum sese pollicitus. Feros & immanes navitas prolubium tamen audiendi cantatorem excellentissimum subivit: ad medium igitur navis recessere omn es. Ipse ornatus indumentis suis, stansque in summo puppis foro, carmen, quod *orthium* dicitur, exorsus est. Ad postrema cantus cum fidibus ornatuque omni jecit sese procul in profundum. Navitæ cursum, quem facere cœperant, Corinthum tenuere. Delphinum, fabula est, fluitanti sese homini subdidisse, eumque Tænarum devexisse, ibi vero expositum illum, Corinthum ex eo loco petivisse. Heic quoque, qualis Delphino vectus fuerat, appulit, remque omnem, sicuti acciderat, narravit. Periandrum vero isthæc parum credidisse, & Arionem, quasi falleret, custodire jussisse, nec ut pedem uspiam efferret permisisse. Navitas interea requisitos interrogasse, ecquid audisent in iis locis, unde venissent, de Arione? Eos dixisse, hominem, quum inde irent, bene valuisse in Italia degentem, saluumque eum Tarenti se reliquisse. Tum inter hęc eorum verba Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in salum ejaculaverat, extitisse, navitas stupefactos convictosque ire inficias non potuisse. Eam fabulam Lesbios confirmare & Corinthios. Tænari imaguncula inter sacra est anathemata viri Delphini dorso insidentis. Talemque Periandrum confici jussisse, ex isto Bianoris colligere est: Anthol. L. IV. c. XVI. p. 488

Heic statuam posuit Periander Arionis istam,
Adnantemque ipsi qui pariebat opẽ,
Delphinum, pelagi civem: istud fabula monstrat
Mortem inferre homines, parcere nosse feras.

CAP. V.

De uxore Periandri.

Uxorem *Lysidem* habuit, quam ipse *Melissam* appellabat, Laert. I. 94 Procleo, Epidaurensium Tyranno, & Eristhenea Aristocratis filia, sororeque Aristodemi, natam, qui toti fere Arcadiæ dominabantur. Eam adamare cœpit, Peloponnesiaco vestitu indutam, una sine stola Athen. XIII. p. 589 tunica, ubi vidisset, parentis operariis vinum ministrantem. Eam Laert. I. c. post aliquod tempus, accensus ira, occidit prægnantem, scabello, vel, ut alii volunt, calce percussam: pelicum irritatus calumniis, quas tamen igne postea cremavit:

Ad Thesprotos, qui sunt ad flumen Acherontem, nuntios aliquando misit sciscitatum necyomanteum, de quodam deposito. *Melissa* apparens negavit se indicaturam, Herod. L. V. p. 204. Suid. ubi esset collocatum, quoniam ipsa algeret, nuda quæ esset, nihil enim sibi prodesse vestes, in quibus sepulta fuisset, ut quæ una crematæ non sint. Verum autem se dicere argumento esse, quod *in frigidum furnum panes* Periander *ingessisset.* Quæ Periandro renunciata, suspicionem confirmavere, quod cum *Melissa* jam mortua coitum ille exercuerit, amoris œstro accensus. Itaque statim post eum nuntium per præconem edixit, ut omnes Corinthiæ mulieres ad Junonis templum prodirent, tanquam ad festum diem, quam pulcherrime ornatæ. Quum issent mulieres, dispositis clam satellitibus, eas omnes sine discrimi-

ne exuit, sive ingenuæ essent, sive ancillæ, atque eas vestes ad foveam comportatas, invocata *Melissa* cremavit. Hæc ubi fecit, nuntios, qui iterum interrogarent, misit, quibus *Melissa* larva ubi esset depositum indicavit.

C A P. VI.

De liberis Periandri.

Herod. l. I. III. p. 14. & sq. ERant ei ex Melissa filii duo, *Cypselus* alter, alter *Lycophron*, minor ingenio valebat, stupidus erat natu major: Filia item unica. Filiorum major natu sub exitum matris ex hac vita XVIIIum agebat annum, minor XVIIum. Hos avus maternus, Procleus, Epidauri tyrannus, ad se accitos eo prosequebatur amore, quo par esset nepotes ex filia amplecti. Quos ubi remittendos statuit, priusquam dimitteret, scitis, inquit, pueri, quis matrem vestram interemerit? Quod dictum major vix attendit quidem, minor vero, cui nomen *Lycophroni*, ita eo affectus est, ut reversus Corinthum neque affatus sit patrem, neque ei alloquenti responsum dederit, donec ita Periandrum irritaret, ut indignatus laribus eum eiiceret. Eo ejecto, majorem est percontatus, quænam cum eis avus esset collocutus. Ille narrabat, ut se avus amantissime accepisset, nec tamen dicti Proclei sub eorum discessum prolati meminit, quippe ad quod animum advertisset minus. Periander fieri non posse ajebat, quin aliquid illis ab avo sit suggestum amplius: atque adeo percontando instabat, donec adolescens dicti illius recordatus, id quoque exponeret ipsi. Quod ipsum ad animum sibi revocans Periander, nulla amplius in filium indulgentia usurus, misit ad eos, apud quos ille expulsus degebat, ne adolescentem domi exciperent prohibens. Ejectus igitur ea, in qua hucusque fuerat commoratus, ad aliam se contulit, sed inde quoque expulsus est, Periandro iis, qui reciperent, minato, atque ut arcerent imperante. Expulsus inde ad aliam domum cujusdam sodalium suorum perrexit, qui Periandri filium agnoscens hospitio excepit, non sine formidine. Ad postremum Periander edixit, quisquis in domum ipsum reciperet aut alloqueretur, eum mulctam Apollini soluturum, quantam ipse statuisset. Hoc edicto proposito, cum nemo ipsum in domum recipere vel alloqui auderet, ne ipse quidem rem desperatam ulterius tentare voluit, atque intra porticus publicas degere maluit. Die vero quarta Periander pauperie & inedia enecatum cernens, misertus est, depositaque ira, propius accedens, *Fili*, inquit, *utrum est optabilius, idne quod pateris, an obsequium erga patrem, quo opum ejus & tyrannidis evadas hæres? Tu filius meus cum sis & proximus in beatam istam Corinthum imperii hæres, mendici vitam prætulisti, ei, cui minime obsistere oportebat, obsistendo. Nam si qua ægre tibi factum est eo, ob quod infensus es mihi, mihi maxime ægre eo est factum, ejusque ego particeps ægritudinis eo sum magis, quod ipse patrandi facinoris monumentum extiterim. Tu vero edoctus quantum præstet invidiam, quam misericordiam aliis movere, & quid sit parentibus & potentioribus irasci, domum concede.* His quidem

verbis filium Periander castigavit, ille autem nihil patri respondit, nisi quod *ipse pœnam Apollini debeat, qui loqui secum sustinuisset*. Tum Periander malum filii vehementius esse animadvertens, quam ut corrigi posset, ab oculis eum submovendum putavit, Corcyramque mittendum navi, quæ ipsa quoque ejus imperio parebat. Eo autem proamandato bellum socero intulit Procleo, tanquam præcipuo eorum quæ contigerant autori.

Est ejus epistola apud Laertium missa ad Procleum ista sententia.

PERIANDER PROCLEO.

„Nobis quidem invitis perpetratum est in filiam tuam facinus. Tu „autem si lubens filium nobis infensum reddis, peccas. Tu igitur aut „filiam nobis placa, aut ego vindictam a te repetam. Filiæ tuæ pœnas ipse dedi, crematis in ejus honorem omnium Corinthiarum matronarum vestibus.

Herod. l. 6. Postremo expugnata Epidauro Procleum in ea cepit, quem vivum tamen servavit. Interiecto deinde tempore, cum senuisset Periander, sibique esset conscius, parem Reip. administrandæ se haut amplius esse, Corcyram misit accersitum *Lycophronem*, tyrannidem qui susciperet, majorem filium illi muneri minus aptum ob stupiditatem existimans. *Lycophron* ne respondere quidem dignatus est ei, qui hunc nuntium afferebat. At Periander in amorem adolescentis propensus, iterata vice sororem adolescentis ad eum misit, filiam suam, sperans fore, ut ab illa se duci pateretur. Hæc ubi venit, *an mavis*, inquit, *frater tyrannidem in aliorum pervenire manum, & patris rem familiarem inter peregrinos dispergi, quam ipse domum reversus eam tenere? Redi quæso ad penates, desine tibi obesse. Infausta possessio est pervicacia, Noli malum medicari malo. Multi mansuetudinem justitiæ prætulere. Multi materna jura prosequentes paterna regna amisere. Lubrica res est tyrannis, cujus multi sunt amatores. Pater senex est provectæque ætatis, tua ipsius bona noli aliis tradere*. His illa verbis caussam suam apud fratrem, a patre edocta, egit. Cui ille, *se quidem Corinthum non rediturum*, ajebat, *quoad patrem superstitem audiret esse*. Quod cum intellexisset Periander, tertio caduceatorem misit, qui certiorem faceret filium, se quidem in Corcyram esse concessurum, eique, ut tyrannidem Corinthi capesseret, ediceret. Consentiente filio, Periander Corcyram, iuvenis Corinthum iter paravit. De his vero edocti Corcyræi, ne ad se veniret Periander, adolescentem interemerunt. Quamobrem vindictam a Corcyræis repetiturus Periander, Sardes ad Halyattem castrandos misit CCC primorum Corcyræorum liberos. Corinthiis, qui eos ducebant, Samum delatis, cum ob quam causam Sardes pueri ducerentur Samii inaudivissent, iis suasere ut ad Dianæ * templum confugerent. Supplices vero eos e templo abstrahi cum non sinerent, Corinthii alimenta iis præbere prohibuerunt. Interea diem solennem agebant, quem sua adhuc ætate eos celebrasse observat Herodotus, noctéque adeo adventante, quamdiu pueri precabantur, tamdiu choreas pueri puellæve agebant. Dumque choreas ducerent,

* Laert. habet Junonis l. 5.

quæ ex sesamo ac melle confecerant esculenta, inter pueros spargebant, quibus illi vitam sustinerent. Idque eousque factum est, donec Corinthii pueris, qui ipsis concrediti fuerant omissis, abirent. Itaque Samii pueros Corcyram reduxere. Affirmat cum Antenore Dionysius Cnidios, classe Samum advectos, custodes Periandri e templo expulisse, puerosque ad se receptos Corcyram reduxisse, quam ob caussam honores & immunitates apud Corcyræos Cnidiis sint decreti, quales nulli Samiis concessi legantur.

p. Pl ut. arch. de Herod. Mal. p. 861. E.

CAP. VII.

Mors Periandri.

Laert. l. 95. MOerore ob ista omnia confectus excessit e vita, ultimo Olympiadis XLVIII. anno, ætatis suæ LXXX, Cumque sepulcrum suum ignorari vellet, tale quid fuit molitus. Duobus iuvenibus per certam viam noctu incedere jussit, eumque, qui primus occurrisset, interimere ac sepelire. Post istos quatuor alios misit, qui priores illos occiderent & sepelirent. Rursus contra hos misit plures, idemque ut facerent, imperavit. Ejus igitur mandata exequentes primi ipsum Periandrum interemere. Corinthii Cenotaphium illi erexerunt, versusque inscripsere, quorum iste est sensus:

Laert. l. 96.

Et Sophia & nummis Periandrum, terra Corinthus,
Clarum, littoreo continet alma sinu.

Extat in eundem & Laertii istud:

Ne doleas, si cœpta minus fortuna secundet,
Sed placeat, superi quod tribuere tibi.
Nam sapiens stygias Periander cessit ad umbras.
Extinctus, quod non qua voluit potuit.

SOSIADÆ PRÆCEPTORUM SEPTEM SAPIENTIUM SYLLOGE.

„Sequere Deum. Legi obsequere. Cole Deos. Verere parentes. ap. Stob. s. III.
„Justitiæ caussa patere. Quæ discis, fac ut intelligas. Quæ audis, fac ut cognoscas. Nosce teipsum. Matrimonium initurus opportunitatem capta. Res mortales considera. Hospes si sis, hospitem te esse memento. Hospitalitatem cole. Tibi ipsi impera. Amicis subvenire stude. Iram moderare. Exerce prudentiam. Providentiam venerare. A juramentis abstine. Amicitiam dilige. Disciplinæ mentem applica. Gloriam prosequere. Sapientiam æmulare. De bonis bene loqui stude. Neminem contemne. Virtutem commenda. Justitiam exerce. Amicis benignum te præbe. Inimicos ulciscere. Magnanimitatem cole. Abstine a malo. Communioni stude. Quod tuum est tene. Ab alienis abstine. Bene ominare. Omnia audi. Amicis facilem te præbe. Ne quid nimis. Tempori parce. Futura prospice. Injuriam odi. Servos verere. Liberos institue. Si facultates tibi sint, aliis impertire. Fraudem time. De omnibus bene loquere. Ama sapientiam. Judicium æquitate moderare. Ubi cognoveris rem, ad agendum procede. A cæde abstine. Quæ fieri possint votis expete. Cum sapientibus versare. Ingenia explora. Depositum redde. De nemine suspicare. Arte utere. Daturus differre noli. Beneficia agnosce. Nemini invide. Teipsum observa.

„Spem approba. Calumniam odio „habe. Posside jure. Honora bo„nos. Judicem agnosce. In matri„monio temperantiam exerce. „Fortunam cole. Sponsionem fuge. „Cum omnibus versare. Tui simili „gaude. Sumptus moderare. Tuis „fruere. Modestiam exerce. Bene„ficia redde. Bonam fortunam opta. „Fortunam ama. Audiens vide. „Res, quas assequi possis, consecta„re. Dissidia odio habe. Exprobra„tiones abhorre. Linguam coerce. „Injuriam depelle. Judica juste. „Opibus tuis utere. Nullis corru„ptus muneribus res examina. Præ„sentia incusa. Dic quod scias. Vi „non utere. Vive jucunde. Conver„sationem mansuetudine tempera. „Finem cœptis nil trepidans impo„ne. Omnibus benignum te præbe. „Filiis confidere noli. Linguæ impe„ra. Tibi ipsi esto benignus. Affa„bilis esto. Opportune responde, „Labori æquitatem junge. Ab iis, „quorum te pœnitere possit, absti„ne. Si peccaveris, pœnitentiam „age. Oculos coerce. Utilia consu„le. Celeriter perfice. Amicitiam „conserva. Gratitudinem cole. Con„cordiæ stude. Secreta revelare no„li. Potentiorem time. Utilia pro„sequere. Opportunitatem expe„cta. Inimicitias dissolve. Ætatem „expecta. De robore non gloriare. „Ut bene dicas te ipsum assuefaci„to. Odium fuge. Opum possessor ju„stus ut sis, stude. Gloriam non de„fere. Malitiam odi. Discendi tæ„dium ne te capiat. Pericula cum „prudentia adito. Ea, quibus frue„ris ne dimitte. Oracula venerare. „Quos alis, dilige. De absente male „non loquere. Ætate provectiores „reverere. Juniores institue. Opi„bus ne confide. Teipsum reverere; „Injuriæ autor ne fias. Majores co„rona. Pro patria morere. Adver„sus vitam pugnare noli. Mortem „non deride. Infelicibus condole. „Aliis gratificando tibi non noce. „Non quavis de causa animo per„turbare. Liberos ex ingenua susci„pe. Nemini promitte. Mortuis ini„quum te haut præbe. Ut mortalis „qui sis, patere. Fortunæ ne confi„das. In infantia modestiam, in iu„ventute temperantiam, in senectu„te prudentiam colas. Animo nihil „perculso moriaris.

AUSONII LUDUS SEPTEM SAPIENTUM.

PROLOGUS.

Septem sapientes, nomen quibus istud dedit
Superior ætas, nec secuta sustulit:
Hodie in orchestrâ palliati prodeunt.
Quid erubescis tu, togate Romule,
Scenam quod introibunt tam clari viri?
Nobis pudendum est hoc? & Atticis quoque:
Quibus theatrum curia præbet vicem.
Nostris negotiis sua loca sortito data:
Campus comitiis, ut conscriptis curia:
Forum, atque Rostra separat jus civium.
Una est Athenis, atque in omni Græcia,
Ad consulendum publici sedes loci:
Quam in urbe nostra sero luxus condidit:
Ædilis olim scenam tabulatam dabat
Subito, excitata nulla mole saxea.
Murena sic, & Gallius, nota eloquar.
Post quam potentes, nec verentes sumptuum,
Nomen perenne crediderunt, si semel
Constructa moles saxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum;

Cuneata crevit hac theatri immanitas.
Pompejus hanc, & Balbus, & Cæsar dedit
Octavianus, concertantes sumptibus.
Sed ego quid istac? non hac causa huc prodii,
Ut expedirem quis theatra, quis forum,
Quis condidisset primas partes mœnium:
Sed ut verendos, diisque laudatos viros,
Progrederer, agere quid vellent sibi:
Pronunciare suas solent sententias:
Quas quisque providentium anteverterit.
Scitis profecto quæ sint: sed si memoria
Rebus vetustis eludit: veniet Ludius
Edissertator harũ, quas teneo minus.

LUDIUS.

Delphis Solonem scripse fama est Atticum,
Γνῶθι σεαυτόν, *quod Latinum est, Nosce te,*
Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.
Spartane Chilon sit tuum, nec ne, ambigunt,
Quod introfertur, τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου.
Finem intueri longæ vitæ quo jubes;
Multi hoc Solonem dixe Crœso existimant.
Et Pittacum dixisse fama est Lesbium,
Γίγνωσκε καιρὸν, *Tempus ut noris, jubet.*
Sed καιρὸς *iste, tempestivum tempus est.*
Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί.
Quod est Latinum, plures hominum sunt mali:
Sed imperitos scito, quos dixit malos.
Μελέτη τὸ πᾶν, *Periandri est Corinthii:*
Meditationem esse totum qui putat.
Ἄριστον μέτρον *esse dixit Lindius*
Cleobulus, hoc est, optimus cunctis modus.
Thales, ἐγγύα, πάρεστι ἄτη, *protulit.*
Spondere qui nos, noxa quod præsest, vetat.
Hoc nos monere fœneratis non placet.
Dixi, recedam, legifer venit Solon.

SOLON.

De more Græco prodeo in scenam Solon.
Septem sapientum fama cui palmam dedit.
Sed fama non est judicii severitas.
Neque me esse primum, vestrum aut imum existimo,
Æqualitas quod ordinem nescit pati.
Recte olim ineptum Delphicus jussit Deus
Quærentem, quisnam primus sapientum foret?
Ut in orbe tereti nomina eorum inscriberet:
Nec primus esset, ne vel imus quispiam.
Eorum e medio prodeo gyro Solon:
Ut, quod dixisse Crœso regi existimor,
Id omnis hominum secta sibi dictum putet,
Græce coactum; ὅρα τέλος μακροῦ βίου.
Quod longius fit, si latine edisseras.
Spectare vitæ jubeo cunctos terminum.
Proinde miseros, aut beatos dicere
Evita: quod sunt semper ancipiti statu.
Id adeo sic est, si queam, paucis loquar.
Rex, an tyrannus Lydiæ Crœsus, fuit
His in beatis, dives insanum in modum,
Lateribus aureis templa qui divis dabat.
Is me evocavit. Venio, dicto obediens.
Meliore ut uti rege possint Lydii.
Rogat, beatum prodam, si quem noverim.
Telana dico civem non ignobilem.

Pro-

Pro patria pugnans iste vitam objecerat.
Despexit. alium quærit. inveni Aglaũ:
Fines qui agelli proprii nunquam excesserat.
At ille ridens, quo dein me ponis loco,
Beatus orbe toto qui solus vocor?
Spectandum dico terminum vitæ prius:
Tum judicandum, si manet felicitas.
Dictum moleste Croesus accipit. at ego
Relinquo regem. bellum ille in Persas parat.
Profectus. victus. vinctus. regi deditus.

* * *

At ille captus, funeris ipse instar sui,
Quin flamma totum se per ambitum dabat,
Volvens in altum fumidos æstu globos.
At pæne sero Croesus ingenti sono,
O vere vates, inquit: o Solon, Solon,
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus, extingui jubet
Gyrum per omnem, & destrui ardentem pyram:
Et commodum profusus imber nubibus
Repressit ignẽ. Croesus ad Regem illico
Deductus lectam per ministrorum manum,
Interrogatus, quem Solonem diceret:
Et quam ciendi causã haberet nominis,
Seriem per omnẽ cuncta regi edisserit.
Miseratur ille: vimque fortunæ videns,
Laudat Solonem: Croesum in amicis habet.
Vinctumque pedicis aureis secum jubet,
Reliquum quod esset vitæ, totũ degeret.
Ego duorum regum testimonio
Laudatus, & probatus ambobus fui.
Quodque uni dictum est, quisque sibi dictum putet.
Ego jã peregi, qua de causa huc prodii
Venit ecce Chilon, Vos valete: & plaudite.

CHILON.

Lumbi sedendo, oculique spectando dolent,
Manendo Solonem quoad sese recipiat.
Hui, quam pauca quam diu loquuntur Attici!
Unam trecentis versibus sententiam
Tandẽ peregit. meque respectans abit.
Spartanus ego sum Chilo, qui nunc prodeo.
Brevitate nota, qua Lacones utimur,
Commendo nostrum γνῶθι σεαυτὸν; *Nosce te,*
Quod in Columna jam tenetur Delphica.
Labor molestus iste, fructi est optimi,
Quid ferre possis, quidve non, dignoscere.
Noctu, diuque quæ geras, quæ gesseris,
Adusque puncti tenuis instar, quærere
Officia cuncta, pudor, honor, constantia,
In hoc: & illa spreta nobis gloria.
Dixi. Valete memores. Plausum non moror.

CLEOBULUS.

Cleobulus ego sum, parva civis insulæ,
Magnæ sed auctor quæ cluo sententiæ:
Ἄριστον μέτρον quẽ dixisse existimant.
Interpretare tu, qui orchestræ proximus,
Gradibus propinquis in quatuordecim sedes:
Ἄριστον μέτρον, an sit, optimus modus;
Dic. annuisti. gratiã habeo. persequar
Per ordinem. poeta dixe isthoc loco
Afer videtur vester, UT NE QUID NIMIS:
Et noster quidam, μηδὲν ἄγαν. *Huc pertinet*
Uterque sensus, Italus, seu Dorius.
Fandi, tacendi, somni vicinus modus,
Beneficiorum, gratiarum, injuriæ,
Studii, laborum, vitæ in omni quicquid est,
Istum requirit optima pausa modum:
Dixi.

Dixi. Recedam, ut sit modus. venit Thales.

THALES.

Milesius Thales sum: AQUAM *qui principem*
Rebus creandis dixi, ut vates Pindarus.

* * *

Dedere piscatores extractum mari.
Namque hi, jubente Delio, me legerãt:
Quod ille munus hoc sapienti miserat.
Ego recusans non recepi: at reddidi.
Ferendum ad alios, quos priores crederem.
Dein per omnes septem sapientes viros
Missum: ac remissum rursus ad me deferunt.
Ego receptum consecravi Appollini
Nam si sapientem deligi Phœbus jubet
Non hominem quenquam, sed Deum credi decet.
Is igitur ego sum. causa sed in scenam fuit
Mihi prodeundi, quæ duobus ante me:
Assertor ut sententiæ fierem meæ.
Ea displicebit, non tamen prudentibus,
Quos docuit usus & peritos reddidit.
Nos ἐγγύα πάρεσι δὲ ἄτη, *dicimus:*
Latinum est, Sponde: noxia est præsto tibi.
Per mille possum currere exempla, ut probem
Prædes vadesque pœnitudinis reos.
Sed nolo quenquam nominatim dicere.
Sibi quisque vestrum dicat, & secum putet,
Spondere quantis damno fuerit, & malo.
Gratum hoc officium maneat ambobus tamen.
Pars plaudite ego: pars offensi explaudite.

BIAS.

Bias Prieneus dixi, οἱ πλεῖσοι κακοί.
Latine dictum suspicor, plures mali,
Dixisse nollem: VERITAS ODIUM PARIT.
Malos sed imperitos dixi, & barbaros:
Qui jus, & æquum, & sacros mores negligunt.
Nam populus iste, quo theatrum cingitur,
Totus bonorũ est, hostium tellus habet,
Dixisse quos me creditis, plures malos
Sed nemo quisquam tam malus judex fuat,
Qui non bonorum partibus se copulet.
Sive ille vere bonus est, seu dici studet,
Jam fugit illum nomen invisum mali.
Abeo. Valete, & plaudite, plures boni.

PITTACUS.

Mitylena oriundus Pittacus sum Lesbius,
Γίγωσκε καιρὸν, *qui dixit sententiam.*
Sed iste καιρὸς, *tempus ut noris, monet:*
Et esse καιρὸν, *tempestivũ quod vocant.*
Romana sic est vox, veni in tempore.
Vester quoque ille comicus Terentius,
Rerum omnium primum esse tempus autumat:
Ad Antiphilam quo venerat servus Dromo
Nullo impeditam, temporis servans vicem.
Reputate cuncti; quotiens offensam incidat,
Spectata cui non fuerit opportunitas.
Tẽpus me abire, ne molestus. Plaudite.

PERIANDER.

Ephyra creatus huc Periander prodeo.
Μελέτη τὸ πᾶν, *qui dixi; & dictũ probo,*
Meditationẽ id esse totum, quod geras.
Is quippe solus rei gerendæ est efficax,
Meditatur omne qui prius negocium.
Adversa rerum, vel secunda prædicat
Meditãda cunctis comicus Terentius
Locare sedes, bellũ gerere, aut ponere:
Magnas, modicasque res etiam, parvas quoque

Agere

Agere volente, semper meditari decet.
Nam segniores omnes in cœptis novis,
Meditatio, si rei gerendæ defuit.
Nihil est, quod ampliorem curam putet,
Quam cogitare, quid gerendum sit, dehinc
Incogitantes fors, non consilium regit.
Sed ego me ad partes jam recipio. Plaudite,
Meditati, ut vestram rem curetis publicam.

ANACHARSIS.

CAP. I.

Vita & Scripta ejus.

Herod. L. I. p. 249. PONti Euxini, Herodoto autore, littora nationes tenent omnium maxime rudes, Scythica tamen excepta. Nullius enim nationis, earum, quæ sunt intra Pontum, aut aliquid ad sapientiam pertinens proferre possumus, aut virum ullum pro erudito habitum novimus, si a Scythis & ANACHARSI discedamus. In illis, non obstante educatione parum culta, equorum quippe lacte vescuntur, in curribus degentes, reperiuntur tamen, qui justitia omnes mortales superare videantur. Strabo L. VII. p. 301. D. Laert. I, 101.

Talis *Anacharsis* extitit Gnuri * filius, Caduidæ, Scytharum Regis frater. Matre Græca is natus est: quamobrem & utriusque linguæ fuit peritus. ** Alia tamen, quam gentis illius mores ferrent, domo non usus est, in curru scilicet vitam agens.

Plutarch. Symp. VII. SaP. p. 155. A. Quamobrem soli habitaculo suum comparabat, qui curru circumvehatur, aliasque aliam cœli obeat regionem.

In sua autem tantum regione Scythæ quidem oberrant. Anacharsis contra, tanquam vir sapientia eximia munitus, etiam ulterius iter produxit. A Rege Scytharum in Græciam missus, Athenas venit XLVII. Olympiadis anno I. Eucrate Archonte, primumque in Toxarin incidit, popularem suum, a quo ad Solonem perductus est, ex quo, compendio veluti, universam Athenarum urbem, imo Græciam totam, & res Græcorum præclaras discere posset. Ut acceptus a Solone fuerit, dictum in ejus vita. Optimis artibus eum instituit, nobilissimorum hominum amicitias ei conciliavit, nihilque eorum, quæ existimationi & honori ejus conducerent, prætermisit. Anacharsis vicissim ejus miratus sapientiam, nunquam ab ejus latere discessit, brevique tempore omnium rerum scientia ab eo imbutus est, omnibus ob illius autoritatem charus, solus, ut autor Theoxenus, ex Barbaris jure civitatis ab Atheniensibus donatus. *** Aelian. V. H. IV. 9. Pelopon-nensii ap. Herodot. L. IV. p. 155. Laert. I, 101. Lucian. Toxar. V. I. p. 647. C Id. p. 649 D.

In magna autem apud Græcos existimatione extitit, ob virtutem consummatam, temperantiam, justitiam, qua multis Græcorum philosophorum fuit superior: quamobrem Sapientis ei nomen tribuere in septem illis eum censentibus quibusdam, cum quibus a Periandro Corinthum ad convivium fuerat invitatus, quod fuse Plutarchus descripsit. Ad illud Anacharsis cum coronis ex floribus, hedera & lauro accessit, plurimumque bibit, more Scy- Lucian. I. I. c. p. 952. C. Strab. L. VII. p. 301. C. & Clē Alex. Strom. I. p. 308. A. Id. Strom. I. p. 299. C. Pl. in Conv. VII. Sap. Aellay. V. H. II, 41. Athen. L. X. p. 437. D.

---

* *Dauceta* filius dicitur ap. Lucian. *Scytha* T. I. p. 658. A.

** Cum hac Laertii traditione non consentiunt ea, quæ habet Lucianus in *Scytha* T. I. p. 747. A.

*** Mysteriis Cereris initiatus dicitur Luciano, postquam civitatem antea indeptus esset.

Scytharum; præmiumque bibendi sibi popoſcit, quoniam primus omnium eſſet inebriatus, eum dicens finem eſſe bibendi, quemadmodum currendi meta ſit finis.

Herod. L. IV. p.151. Quum magnam orbis partem peragraſſet, & in ſapientiæ egregie profeciſſet ſtudiis, in Scythiam rediit, quod ante Solonis exitum factum haut eſſe ſuſpicatur Lucianus. Luc. in Toxar. p. 632. D. Dum vero per Helleſpontum navigaret, Cyzicum appulit. Inveniens vero Cyzicenos diem feſtum matri Deorum magnifico apparatu celebrantes, notum fecit, ſi domum ſalvus rediiſſet, ſacrificaturum ſe eodem ritu, quo Cyzicenos ſacrificantes vidiſſet, pervigiliumque inſtituturum. Quum in Scythiam igitur rediiſſet, Hylleam ſe ſubduxit, juxta *Achillis curſum* ſitam, omnis generis arboribus conſitam. Ibi ſacra peregit, tympanum tenens, & cymbalum * ex collo ſuſpenſum, quo habitu cum eum Scytha eſſet conſpicatus, indicium ejus rei *Saulio* Regi fecit. Qui, cum & ipſe eo ſe contuliſſet, & Anacharſin illis operantem ſacris conſpexiſſet, excuſſa ſagitta eum interemit, ut effeminatam puniret ſuperſtitionem, ejuſque contagium impediret. Et nunc ſane ſi quis de Anacharſi interroget, Scythæ ſe noviſſe hominem negant, eo quod in Græcia peregrinatus, mores externos affectaverit. Quamvis a *Timne* tamen, *Spargapithis* tutore, ſe accepiſſe teſtetur Plutarchus, *Indathyrſi*, Regis Scythiæ, eum patruum extitiſſe, *Gnuro* genitum, filio *Lyci*, *Spargapithis* filii. Ejus igitur familiæ cum fuerit Anacharſis, a fratre * eum interemtum eſſe, manifeſtum eſt: Sane fratrem ejus Scytharum Regem fuiſſe, & ab eo Anacharſin interemtum Laertius etiam teſtis eſt, quamvis circa nomen (ab Herodoto) diſſentiat. Nempe *Indathyrſus Saulii* erat filius, *Saulius* Anacharſin interemit, atque adeo idem cum eo eſt, quem *Caduidam* Laertius appellavit. Addit idem, proditum ab aliis eſſe, in venatione hanc cædem fuiſſe patratam. Græcis enim moribus addictus, & patriis legibus immutandis intentus cum videretur, percuſſus interiit, verbis editis extremis: *Seſe ſapientiæ & diſciplinæ cauſa tutum in Græcia, ejus invidia in patria jam perire*. Extat in eum iſtud Laertii Epigramma,

In Scythiam patrias rediens Anacharſis ad oras,
Orabat Græco vivere more ſuos.
Vix ea cum ſummo infelix verſaret in ore
Verba, ſenem ſuperis dira ſagitta dedit.

Ejus apud Græcos variæ imagines, quibus inſcriptum *Linguam, Ventrem, Veretrum contine*. (a) Temperantia multarumque rerum conſpicuus ſcientia fuit. (b) Multa liberaliter diſſeruit de Scytharum diæta & medicina. In dicendo audax (c) & conſtans proverbio occaſionem dedit: *Scythicus ſermo*. Scripſit de legibus Scytharum Græcorumve ad DCCC. verſus, de victus item frugalitate & bellica re. Extant etiam epiſtolæ ejus duæ. (d)

ANACHARSIS CROESO.

„Ego o Lydorum Rex in Græciam adveni, Græcorum mores & „inſtituta ut diſcerem. Auro nihil „mihi eſt opus, ſatiſque eſt, quod „ad Scythas melior redeam doctiorque. Veniam tamen ad te Sardes, „magni tui amicitiam faciens.

ANA-

Marginal notes: * Clem. Al. adm. ad Gent. p. 14. D. — Clem. Al. l. c. — Herod. l. c. — * pro ἀδελφιδοῦ apud Herod. leg. ἀδελφοῦ — Laert. I. 102. — (a) Laert. I. 104. Conf. Clem. Al. Str. V. 562. A. — (b) Plut. Symp. p. 148. D. — (c) Laert. I. 101. — (d) Laert. I. 105.

a Cic. Tusc. V, 32.

ANACHARSIS HANNONI S. (a)

„ Mihi amictui est Scythicum tegmen: calciamentum solorum callum: cubile terra: pulpamentum fames: lacte, caseo, carne vescor. Quare ut ad quietum me venias licet. Munera autem ista, quibus es delectatus, vel civibus tuis, vel Diis immortalibus dona. *

* Ex hac Epistola dubio procul derivatum est fragmentum Clementi Alexandrino citatum: ἐμοὶ τε ϕ ἴβλημα χλαῖνα· δεῖπνον, γάλα, τυρός. Str. l. p. 308. A.

Dicitur invenisse fomites, (b) anchoram item & figuli rotam, (c) sed hujus tamen inventionem minime ei deberi, clarissime Strabo evicit: meminit enim rotæ figuli Homerus, qui diu ante Ancharsidem, Crœsi quippe coætaneum, floruit.

b Strab. L. VII. p. 303. A.
c Laert. I, 105.

CAP. VII.

Apophthegmata Anacharsidis.

d Laert. I. 103.

SEntentia ejus istæ feruntur: (d) *Vitem uvas tres ferre*, ajebat: *primam voluptatis, secundam ebrietatis, tertiam mœroris.* Mirabatur *quomodo apud Græcos artifices certarent, judicarentque, qui artifices non essent.* Rogatus *quo pacto quis a vini posset abduci usu? Si turpes*, inquit, *ebriosorum motus sibi ob oculos ponat.* Mirabatur, *quinam fieret, ut Græci adversus eos, qui contumeliis lacessunt, lege agant, athletas, cum se invicem verberibus afficiunt, honorent.* Cum didicisset quatuor digitorum navis esse crassitudinem, *Tantum*, inquit, *a morte absunt, qui navigant. Oleum vesaniæ pharmacum* dixit, *quod eo uncti athletæ contra se mutuo magis insanirent. Qui fit*, inquiebat, *ut qui mentiri vetant, in cauponum tabernis aperte mentiantur?* Mirabatur, *cur Græci initio convivii parvis poculis uterentur, ubi vero saturati essent, majoribus?* Interrogatus ab Ardalo (e) *an tibia essent in Scythia?* (*) *ne vites quidem* respondit. Quam demonstrationem τοῦ ὅτι per causam remotam dicit Aristoteles. (f) Rursum Ardalo interrogante, (g) *Diine vero sunt apud Scythas? omnino*, dixit Anacharsis, *iique intelligentes lingua humana cujusvis.* Percontanti, (h) *quænam essent tutissima naves? Subductæ*, respondit. Id quoque inter mirabilia in Græcis observata referebat, *quod fumum in montibus relinquerent, ligna in urbem convehentes.* † Interrogatus, *vivine plures sint an mortui? Navigantes*, inquit *utra in parte censetis?* Exprobranti sibi Attico *Scytha quod esset. At mihi* ait *dedecori est patria, tu patriæ.* Rogatus, *quidnam hominibus bonum esset ac malum? Lingua*, inquit. *Melius esse*, ajebat, *amicum unum egregium, quam gregarios multos possidere. Forum ad fallendum invicem, & lucrum iniquum, locum destinatum esse*, ajebat. Ab adolescente in convivio contumeliam passus, *Adolescens*, inquit, *si modo, dum juvenis es, vinum non fers, aquam feres senex cum fueris.*

e Plut. Symp. VII. Sapi p. 150. C. * id de India ab Anacharsi dictum refert Strabo L. XV. p. 694. C.
f Arist. Anal. Post I, 13.
g Plut. l. c.
h Laert. l. c.
† nempe hoc dictum propter ligna a Græcis cocta, & ἄκαπνα ut essent. Vid. Casaub. ad Laert. I, 103.

In Scythiam reversus, Regi, a quo missus fuerat, fertur (i) dixisse, *omnes Græcos sapientiæ studiis vacare, Lacedæmoniis exceptis, qui soli prudenter & dare & accipere nossent.*

i Herod. L. V. p. 155.

Non videre se ad aliam rem Græcos nomismate uti ajebat, *quam ad numerandum* (k) Concioni cum interfuisset (l) *hoc se mirari*, ajebat, *quod sapientes apud Græcos dicerent, stulti judicarent. Beatum esse principem*, ajebat (m), *sapiens qui sit.* ** *Eam optimam*

k Plut. de profect. virt sent. p. 79. F.
l Plut. Solone p. 81. A.
m Conv. VII. Sap. p. 152. A.

** Sapiens qui sit) Apud Plutarchum est *ἐι μόνος ἔιη φρόνιμος. Si solus sit sapiens.* Alt

a Ibid. p. 155. E. *mam Rempublicam* esse, (a) *in qua, cum in reliquis omnibus obtineat æqualitas, virtutis tamen potior, vitii deterior sit conditio.*

b Athen. L. X. p. 445. F. Cum (b) inter compotandum, uxorem eius intuitus nonnemo, *conjugem*, diceret, *minime pulchram, Anacharsi duxisti. Ita quidem*, respondit, *& mihi videtur, sed heus tu puer, meracius mihi poculum misce, pulchram ut efficiam.*

Vini potestatem cum Regi Scytharum exposuisset, ostendens vitis sarmenta, *Hac* inquit *ad Scythas usque jam prorepsissent, nisi ea quotannis Græci amputarent.* (c) Accitis in convivium, (d) qui ad risum movendum se composuissent hominibus, solus convivarum non risit. Simia autem adducta, in risum solutus dixit: *natura quidem animal istud esse ridiculum, hominem vero arte & studio.*

c Athen. L. X. p. 428. D.
d Id L. XIV. p. 613. D.

Dormiens sinistra continere pudenda, dextra os solebat, (e) significans coercendum esse utrumque, difficilius tamen linguam quam voluptatem contineri. Aiebat item, *mihi omnes Græci Scythæ videntur.* (f)

e Clem. Al. Str. V. p. 568. A.
f Id L. I. p. 308.

MYSON.

Laert. I, 106. MYSON, Strymonis filius, auctore Hermippo, Cheneus fuit, ex vico OEtæo, sive Laconico, patre tyranno genitus. Fertur Anacharsis, oraculum ubi consuluisset, quisnam se esset sapientior, responsum tulisse, ut de Chilone in Thaletis vita memoratum,

Oetæum quendam ais Mysonem Chene fuisse
Qui te majorem condat sub pectore mentem.

Hoc ille responso accensus ad vicum pervenit, eumq; reperit æstate stivam aratro aptantem, cui dixit, *Atqui, o Myson, nondum aratro vacandi nunc tempus est.* Ille autem respondit: *Tempus tamen, ut ad illud nos componamus.* Alii dicunt *Eteum* eum ab oraculo appellatum fuisse, inquiruntque quid sit *Eteus*. Parmenides quidem pagum esse Laconiæ ait, a quo ductum sit nomen, unde ortus fuerit Myson. Sosicrates vero Patre *Eteum*, matre Cheneum fuisse tradit. Eutyphron Cretensem fuisse, affirmat, esse enim in Creta *Eteum* oppidum. Anaxilaus Arcadem esse tradit. Meminit eius & Hipponax dicens: *Et Myson, quem virorum omnium sapientissimum Apollo prædicavit.* Aristoxenus eum a Timonis & Apemanti moribus non multum absfuisse testis est, qui hominum osores extitere. Lacedæmone in loca deserta sese subduxit, * ubi solus deprehensus, cum interrogaretur, *quid, nemine præsente, rideret? Ob hoc ipsum*, inquit, *rideo.* Idem ait, ignobilem habitum esse, quod non ex urbe, sed ex vico, eoque obscuro, natus esset. Hinc est, quod sententias, quæ ipsi tribuun-

ap. Stobæum Serm: XLVI. p. 328. *εἰ μὴ μόνος ἔσῃ φρόνιμος. Si Solus non sapias.* Ut scilicet alios etiam in rem communem consulentes audiat. Vide observata Gattakero ad Marcum Aurelium p. 30. b.

* Dubito eum sensum habere verba Laertii, quem iis Stanleius tribuit: Nihil aliud enim apud Laertium, quam ὀφθῆναι ἐν Λακεδαίμονι ἐπ' ἐρημίας γελῶντα h. e. *cum Lacedæmone solus cum esset, ridere visum.* De recessu in desertum, nihil. Videtur errori occasionem dedisse non intellecta Phrasis ἐπ' ἐρημίας, quæ non *in deserto* vertenda, sed *solus cum esset*, & quidem quod clare additur *in urbe Lacedæmone.*

tribuuntur, Pisistrato adscribant nonnulli. Alii vero inter septem sapientes eum referunt. Plato illi locum Periandri inter eos concedit. Sententia eius est, *non ex verbis res, sed ex rebus verba esse inquirenda*: neque enim propter verba res perfici, sed rerum gratia verba. Defunctus est ætatis anno XCVII.

Protagora T. I. p. 343.

EPIMENIDES.

Laert. l. 109.

Epimenidem patriam Cretam habuisse omnes consentiunt, quamvis promissam comam, secus atque illius insulæ ferrent mores, habuerit: non æque de urbe eius natali eadem omnium sententia est. *Cnossum* eam fuisse, Laertius ait, quod plures affirmare vidit secutus: *Phæstum* Strabo. Nec minor de parentum eius nominibus dissensio, (a) *Phæstius* vel *Phæstus* parens eius fuisse dicitur ab aliis, ab aliis *Dosiades*, ab aliis *Agesarcus*. Apollonius Bolum vocat. (b) Matrem *Blastam* appellat Laertius * & Suidas. Plutarchus (c) *Baltam* ** appellat, & Nympham fuisse dicit.

Laert. l. c. & Val. Max. VIII, 13. Strabo. X. p. 479. C
a Laert. l. c.
b Apollon. Dysc. Hist. Comment. c. 1.
c Plut. vit. sol. p. 84. D.

Fertur aliquando a patre & fratribus, dum iuvenis adhuc esset, (d) ut ovem rure domum (e) afferret, missus. Quam investigans, æstu defatigatus itinerisque labore, tempore meridiano, vel ut Apollonius ait, sub noctem, ex itinere in speluncam divertit, atque in ea iuxta Theopompum (f) annos LVII, iuxta Varronem (g) autem, Plutarchum (h) & Tertullianum (i) L, iuxta Pausaniam (K) XL, obdormivit, quo temporis intervallo cognatorum eius plerique decesserunt. Dehinc ex somno expergiscens ad quærendam ovem denno se contulit, velut postero experrectus die.

d Laert. l. 109.
e Apollon. l. c.
f ap. Apollon. Plin VII, 52. Laert. l. c.
g Varro de Lingu. Lat. l. 6. p. 65.
h an seni ger. Resp. p. 784. A.
i De Anim. C. 44.
K Atticis p. 35. c. X. Apud suidam vitiis in numero *[illegible]* vide.
tur, ut & in appendice Vatican. Adagior. tborum locorum alteo VI. altero VII. anni habentur.

Eam cum non invenisset, in agrum revertitur, cumque ibi rerum faciem penitus immutatam, agrumque in alterius ius concessisse, animadverteret, stupore attonitus in oppidum rediit. Ibi cum domum suam vellet ingredi, quisnam esset? interrogatus est. Postremo in iuniorem fratrem incidit, iam senem, ex quo omnem didicit rei veritatem; & quanto temporis spatio abfuisset, comperit. Plutarchus senem eum expergefactum ait, Plinius & Laertius (l) senuisse eum intra tot dies, quot dormivisset annos. Sunt, qui non dormivisse dicunt eo tempore, sed in solitudine vixisse, (m) plantarum radicibus effodiendis tempus collocantem.

l Laert. l. 115.
m Laert l. 112. Apollon. l. c.

Multa alia de eo referunt mirabilia (n) Neque desunt, qui accipere solitum a Nymphis cibum, (o) eumque intra bovis ungulam conditum servasse dicant, paulatimque inde sumsisse, nihil opus alio pastu habentem, *** neque unquam visum edere. Sese reviviscere (p) sæpe eum simulasse: anima (q) ejus, quoties visum esset, corpore egressa, illudque rursum subeunte.

n Laert. l, 114.
o idem ib.
p suid.

Fertur primus domos atque agros expiasse, (r) id, quod carmine præstabat. (s) Eam ob rem Athenienses (t) Olymp. XLVI. peste afflicti, & ab oraculo jussi urbem ut lustrarent, Niciam Nicerati filium

r Laert. l, 112.
s strabo L. X. p. 479.
t Laert. l, 111.

navi

---

* Pace Stanleii dictum sit, matris quidem Epimenidis apud Laertium plane nulla est mentio.

** Videtur hoc nomen in alterutro corruptum esse.

*** Nihil opus alio pastu habens) ap. Laertium est: [illegible], quod rectius vertunt docti Laertii Interpretes, *nullaque inde egestione indiguisse*.

navi misere, Epimenidemque ex Creta advocavere. Qui etiam paruit, atque ibi cum Solone (a) contracta familiaritate, eum privatim instituit, legumque condendarum viam eidem præstruxit. Nam res divinas reddidit minoris impensæ, civesque ad luctum mansuetiores, sacrificia quædam statim exequiis adiiciens, detracta asperitate barbarica, qua devinctæ antea mulieres fuerant; & quod caput erat, propitiationibus, procurationibus, ac signis dedicandis lustrans urbem atque expians, parentes iustitiæ magis & æquitati cives effecit, & unitati. Pestem vero hoc modo compescuit; Sumpsit oves nigro & candido vellere, egitque in Arium-pagum, atque inde, quo vellent, ire permisit: his, qui illas sequebantur mandans, ubicunque illæ accubuissent, singulas mactarent loci eius proximo Deo. Atque in hunc modum lues quievit. Ex eo iam hodieque, inquit Laertius, per Atheniensium pagos aras sine nomine conspicere est, in eius, quæ tunc facta est, expiationis memoriam. Alii eam causam pestis Cylonium fuisse scelus aiunt, de quo in vita Solonis egimus, atque ideo iuvenes duos Cratinum & Ctesibium eum interemisse, atque ita cladem conquievisse.

a Plut. in Solone p. 84. D.

Laert. l. 110.

Primus, templa condidisse creditur, struxitque apud Athenienses Eumenidum ædem, Nympharum vero templum ædificare parantem, vocem e cœlo audisse, dicentem: *Epimenides non Nymphis, sed Jovi dedicato.*

Laert. l. 112. ib. l. 115.

Munychiam videns, iis, qui proximi erant, aiebat, quanta hominum in rebus futuris cœcitas! dentibus illud castrum discerperent Athenienses, si quantarum cladium causa locus futurus sit novissent. Hæc autem prædixit, multis antequam evenirent annis, eventus enim respondit Olymp. CXIV anno secundo, quo Macedonicum præsidium Munychiæ Antipater imposuit.

Laert. l. 114. Plutarch. Solone p. 842. E.

Atheniensibus, Persicam classem mox adfuturam metuentibus, dixit, Persas decennio post demum venturos, atque ubi venerint, nulla earum rerum, quas sperarent, effecta, pluribus acceptis, quam intulissent, damnis, domum re infecta repetituros. Quæ eventum sortita prædictio in pugna Marathonia & Salaminia fuit.

Plato de Legib. L. II p. 642. D. T. II. opp.

Lacedæmoniis quoque (atque etiam Cretensibus) prædixit captivitatem, in quam Arcades eos erant redacturi, quæ obtigit illis Eurycrate & Archidamo regnum Lacedæmonium tenentibus.

Laert l. 115.

Istas prædictiones, (ob quas divinum (a) Deoq; charissimum eum Græci existimabant, (b) imo & in sapientum suorum censum eum referebant, (c) Cretenses vero, quorum Prophetam eum Paulus appellat, sacrificia illi tanquam Deo offerebant,) vel ignotas vel non creditas Aristoteli (d) fuisse, manifestum est, non futura eum, verum præterita tantum, obscura quæ essent, patefecisse affirmanti.

a Plato l. c. b Laert. l. 109. c Plut. Sol. l. c. d Rhet. III. 17.

Urbe lustrata, (e) aliisque rebus patratis, maximo in honore apud Athenienses extitit, qui varia ei dona obtulere, talentum ei decrevere, navemque, qua domum reduceretur, dedere. Verum ille, pecunia repudiata, præter surculum (f) ex sacra olea, ex arce peten-

e Laert. l. 111. f Plut. in Sol. l. c.

a Idem Reip. ger. praec. l. c. (a) petendum, nihil accepit: quam tenens fędere inter Athenienses Cnossiosque conciliato, b Laert. l. c. (b) in patriam rediit: neque ita multo post vivis excessit, c idem Laert. l. c. (c) ætatis suæ anno CLVII, c Apollon. l. c ex Phlegonte. (c) vel ut alii d Laert. l. c. (d) volunt * CL. vel ut Cretenses e Id. l. 115. (e) ajunt CCXCIX. Xenophanes eum audisse se ait, annos natum CLIV. Corpus f Suidas Ἐπιμ. (f) ejus apud se Lacedæmonii servarunt, oraculo admoniti. Illud multis post annis g Laert. l. 118. (g) repertum, notis compunctum esse litterarum observatum est. Unde proverbium natum de rebus abstrusis, *Epimenidis pellis*. Æacum se ipse appellabat, h Suidas. l. c. (h) ab aliis vero Cures dicebatur.

Poesi inclaruit, (i) & metrice multa scripsit, scriptorum argumenta sequentia habemus: Laert l. 112. *Mysteria* quædam & *Lustrationes* & alia *ænigmatica*. *Curetum* & *Corybantum generationem* & *Theogoniam* ad quinque millia versuum. *Argus fabricam* & *Jasonis in Colchos expeditionem*, ad sex mille & quingentos versus. Scripsit & prosa oratione † *de sacrificiis*, de *Republica Cretensium*, de *Minoe & Rhadamantho*. De Oraculis & Responsis, Hieron. in Ep. ad Tit. II. 2. ex quo opere ille Paulo allegatus est versus:

Cretigena est semper mendax, mala bestia, venter.

Laert. l. 113. Extat ejus nomine, Laertio teste, epistola ad Solonem, de Reipublicæ constituendæ ratione, quam Minos Cretensibus tradidit. Eam Demetrius tamen epistolam, ut recentem, neque Cretensi, sed Attico idiomate, scriptam repudiat. Se, inquit idem Laertius & aliam ipsius reperisse epistolam, cujus iste est sensus:

EPIMENIDES SOLONI.

„Confide, amice, si enim Athenienses servituti innutritos, & disciplinæ expertes, invenisset Pisistratus, imperium sibi stabile poterat polliceri. Jam vero in homines, non ignavos, sed præceptorum Solonis memores incidit, qui servitutis tuæ affecti pudore, diu ejus non ferent tyrannidem. Pone etiam ipsum tyrannidem ita stabilire, ut ei extorqueri nequeat, ad liberos tamen ejus perventuram haut putem. Est enim difficillimum ut homines liberi, excellentissimis legibus instructi servitutem tolerent. Te quod attinet, nolim te hinc inde oberrare, ad me in Cretam divertas, rogo, ubi tyrannum nullum invenies. Sane timeo, ne, si in amicorum Periandri aliquem incidas, aliquid gravius patiaris. Laert. l. 113. Fuerunt alii duo Epimenidæ, is, qui Genealogias scripsit, & qui Dorice Rhodi historiam condidit.

PHERECYDES.

Laert. l. 116. Pherecydes, *Syro* oriundus, quæ Cycladum fuit una, Delo proxima, *Badye*, vel ut alii habent, *Babie* genitus. Juxta Suidam natus Olymp. XLVI. Suid. Φερεκ. Alyattæ, Lidiæ Regis, ævo floruit, septem sapientum coætaneus, in quibus a nonnullis censetur. Laertius Olymp. LIX fuis-

se

---

* Ex Phlegonte Epimenidem CL annis vixisse, Apollon. docet: quem autorem Laertius quoque allegat, CLVII annos eidem tribuentem, ut in alterutro autore vitium numerum contraxisse oporteat.

† Prosa etiam, quæ ante allegata sunt *mysteria, lustrationes* & *ænigmatica* consignavit, si Suidæ interpreti fides. At ἐπικῶς in Græcis habetur, quod est, *epico carmine*.

se ait, Cicero ad Servii Tullii ætatem refert.

Sunt, qui Pittacum eum audivisse affirmant, negant alii magistrum habuisse, sed proprio se studio exercuisse, comparatis arcanis Phœnicum libris, affirmant. Multa de eo stupenda narrantur. Cum in *Syro* siti aliquando premeretur, a discipulorum nonnemine aquam petiit, quam e puteo haustam cum bibisset, post diem tertium terræ motum futurum prædixit, quod cum, prout prædixerat, evenisset, multum autoritatis inde adeptus est: quamvis non divinæ virtuti, sed naturalium rerum scientiæ id Ciceroro tribuat.

Laert. l. c. Apollon. Hist. comm. c. 5. Laert. l. c. Cic. de Div. I, 13. Apollon. l. c.

Rursus Samum profectus ad Junonis templum, navem vidit plenis velis portum subeuntem, quam intra portum non perventuram adstantibus dixit. Ipso vero adhuc loquente subito orta tempestas navim pessundedit.

L aert. 1. 116 Per Messanam Olympiam cum tenderet, Perilao, hospiti suo, suasit, ut cum tota familia inde migraret, quod cum ille neglexisset consilium, paulo post ab hostibus capta Messana fuit.

Id. s. 117.

Lacedæmoniis præcepit: *Neque aurum, neque argentum honorandum:* quod ut faceret, ipsi in somnis mandaverat Hercules qui & eadem nocte Regibus, Pherecydi ut obtemperarent, imperavit. Sunt tamen, qui ad Pythagoram hoc referant.

Multa Thaleti adversa docuit, cum quo tamen aquam omnium rerum principium statuit esse. (*a*) Docebat Deos mensam θυωρὸν vocare. (*b*) Animorum immortalitatem primus juxta nonnullos defendit. (*c*) Tzetzes (*d*) Thaletis eum magistrum facit, verum ætas reclamat. Pythagoram ejus discipulum fuisse, vulgo omnes agnoscunt.

a Achill. Tat. Isag. in Arat. c. 3. b Laert. 1, 119. c Cic. Tusc. 1, 16. d Chili. ad I. Hist. 55.

Genus mortis ejus varie varii tradunt. Narrat Hermippus, (*e*) illum cum inter Ephesios atque Magnesios vigeret bellum, ipseque vincere Ephesios cuperet, quendam ex prætereuntibus interrogasse, unde esset? Et cum se ille Ephesium dixisset, adjecisse: *Trahe me per crura & in agro Magnesio pone, civibusque tuis annuncia, ut parta victoria me in eo loco sepeliant.* Hæc Pherecydis mandata ille civibus renunciavit, qui postridie, commisso prælio, Magnesios in fugam verterunt, victoresque Pherecydem ex vita migrasse intellexerunt, cui etiam, ibi sepulto, magnifice justa persolverunt. Quidam profectum Delphos e monte Corycio seipsum dejecisse ajunt. Pluribus tamen recepta opinio est, miserrime vitam eum finiisse, *toto corpore a pediculis exeso*, vel ut Plinius habet, a serpentum multitudine, ex corpore ejus erumpente. Qua re cum fœda ejus facies evasisset, a consortio familiarium abstinere, eosque refugere cœpit. Si vero quis accederet, (id quod Pythagoram fecisse ajunt,) interrogaretque, quomodo haberet? per foramen januæ digito, qui prorsus emarcuerat, exerto, ita totum corpus suum habere indicavit, verbis additis: χροΐ δῆλον, h. e. *vel ex cute summa apparet:* Unde a Philosophis in peiorem illud partem accipi solet. Dicunt autem Delii, Deum illius loci ira commotum hunc ei morbum immisisse, quo-

e Laert 1, 117. Ælian. V. H. IV, 28. V, 2. Plin. L. VII. c. 52. Laert. 1, 118. Suid. χροΐ.

quoniam propria se iactitasset sapientia, qua, etiamsi nulli Deorum rem sacram faceret, nihilo iniucundius, tristiusque vitam acturus sit, quam qui hecatombas sacrificarent. Mortuum Pythagoras sepelivit, eiusque tumulo inscriptum.

Suid. in Φερεκ.

Consummata mihi certe est sapientia, quod si
Plura velis, nostro primas deferre memento
Phythagora. dicens, nil mentior, ista.

Sunt, qui affirment primum esse, qui prosa scripserit oratione, quod Cadmo alii tribuunt. Scripsit autem *Heptamychon* vel *Theocrasiam*, * forte eandem cum *Theologia*, † quæ libris X. origines continebat & successionem Deorum. Nisi tamen iunioris Pherecydæ *Theogonia* fucum doctis faciat, opus abstrusum & obscurissimum, quo comprehensas allegorias Isidorus, Clementi Alexandrino allegatus, ex Chami prophetia derivatas existimat.

* Θεοκρασία legit cl. Kuster. † Quod recte negat cont. Salmasium cl. Kuster. l. c. Clem. Al. Str. V. p. 572. C.

Clem. Al. Str. V. p. 642. A. Laert. I, 122.

Extat Epistola Pherecydis nomine, librum istum concernens, quam spuriam tamen haut immerito suspiceris.

PHERECYDES THALETI.

„Bene moriaris, ubi fatalis tibi „supervenerit dies. Morbum me invaserat, cum tuas acciperem litteras, pediculis operiebar, & febri „quatiebar totus. Mandavi igitur „ex familiaribus quibusdam, ut me „sepulto, ad te, quæ scripsi perferant. Tu autem, si una cum eis probaveris illa, publici facies juris. „Si improbaveritis, edere nolito. „Mihi certe parum probantur. Rerum nulla heic evidentia est, neque de veritate rerum sponsor esse „velim. Quæcunque autem Theologus hic dicit, alio sensu accipere „par est, ænigmatice enim a me perscripta sunt omnia. Morbo autem „ingravescente, neque Medicorum „neque familiarium admisi quempiam. Ad fores autem adsistentibus, „& ut valeam, interrogantibus, digito per ostii claustra exserto, quam „pestilenti malo tenear, ostendi, eosq; „ut postridie ad Pherecydis funus „conveniant, invitavi.

HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ
PARS II.
JONICORUM PHILOSOPHORUM HISTORIAM COMPLEXA.

ANAXIMANDER.
CAP. I.
Vita ejus.

Laert. Procem. §. 13.

PHilosophiæ duæ fuere successiones, quarum altera ab ANAXIMANDRO, altera a *Pythagora* fluxit. *Anaximandri* Thales præceptor extitit, unde Jonicum id genus Philosophiæ dictum fuit, quod Thales ex Jonia esset, Mileto oriundus. *Pythagoras* Pherecydem audivit, qui Philosophorum princeps, a loco, ubi docebat, *Italicus* dicebatur. Thaleti

Anaximander successit, *Anaximandro* Anaximenes, Anaximeni Anaxagoras, & huic Archelaus, in quo, referente Plutarcho, Laertio & reliquis, illa successio desiit, Socrate, Archelai discipulo, morum Philosophiam exorso.

Anaximander Milesius, popularis & sodalis Thaletis, (a) discipulus ejus etiam extitit, & in propaganda doctrina ipsius successor. (b) Praxiadæ filius, quem Praxidamum sunt qui, corrupto ejus nomine, appellent. (c) Natus Olymp. XLII. anno III, (d) Polycratis Samiorũ tyranni ævo maxime floruit.

Geometriam compendio tractavit, (e) primus ejus scientiæ post Homerum magister. Primus etiam tabulam proposuit Geographicam, de qua Diogenes Laertius (g) accipiendus est, primum eum terræ marisque circuitum descripsisse inquiens.

Olympiade L. zodiaci obliquitatem adinvenit, hoc est, judice Plinio, (h) *rerum fores* aperuit. * Gnomonem reperit, (i) ipsumque Lacedæmone in solariis statuit. Primus æquinoctia (K) invenit & solstitia, & horologia. Horoscopia (l) quoque confecit, ad tropicos & æquinoctia denotanda. Unde Salmasius (m) suspicatur, gnomonis ejus usum ad æquinoctia & solstitia deprehendenda tantum spectasse. Certe enim ad horas & *dodecamoria* diei distinguenda nihil ea pertinuisse ex eo probat, quod ipsum nomen ὥρας, eo sensu, quo divisionem diei in XII. partes æquales notat, longo post tempore ignotum fuerit.

a Cic. Academ. Qu. IV, 37.
b Suid. v. Ἀναξίμ.
c Strom. I p. 301. A.
d Laert. II, 2.
e Suid. l. c.
f Strabo L. I. p. 7. A.
g Laert. II, 1.
h Plin. H. N. II.
i Laert. II, 1
K Suidas.
l Laert. II. 1.
m Salmas. Exerc. Pli. 446. A.

Lacedæmonios, ut urbem & tecta relinquerent, armatique in agris excubarent, monuit, quod terræ motus instaret, tum cum & urbs tota corruit, & ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis avulsa est.

Ajunt eum canentem a pueris irrisum esse, eoque comperto dixisse, *canendum ergo puerorum causa modulate magis*.

Auditores ejus Anaximenem & Parmenidem, scripta sequentia fuisse ajunt: *de natura*, quem forte Laertius tractatum respicit, qui in commentarios placita sua eum ait redegisse, eumque in librum Apollodorum incidisse Atheniensem. *Periodum terræ: de Stellis fixis: de Sphæra*, & reliqua.

Eum Appollodorus, secundo anno Olympiadis LVIII, annum ait egisse ætatis LXIV.

Cic. de Div. I, 50. Plin. H. N. L. II. c. 79.
Laert II. 2
Suid. l. c.
Laert. II, 2.

CAP. II.

Doctrina ejus.

SECT. I.

Infinitum rerum omnium principium esse.

THales, ut Cicero ait, *qui omnia ex aqua subsistere ajebat, Anaximandro hoc, populari & sodali suo, non persuasit. Is enim infinitatem naturæ dixit esse a qua omnia gignerentur*. Vel, ut apud Plutarchum (a) est, Laertium (b) item & Justinum Martyrem, (c) principium eam esse & elementum, (hæc enim duo confundebat, ut de magistro ejus Thalete est observatum,) non definiens tamen, quid sit hæc

Acad. Qu. IV, 37.
a Plac. Phil. I. 3.
b Laert. II. 1
c Paræn. ad Græc. p. 4 C.

* id vero Pythagoræ tribuitur ap. Stobæum Ecl. Phys. I. XXV. p. 32. Ubi & Oenopidem Chium id sibi ait tribuisse.

hæc infinitas, an aer, an aqua, an aliud quippiam, quod ipsum in eo reprehendit Plutarchus.

Unum eam esse, infinitum non numero, sed magnitudiue, statuit. (*a*) Eam ob causam ab Aristotele (*b*) notatus, quod contraria ex eodem principio derivari posse crederet. Infinitum vero esse ajebat, ne quid deficeret. (*c*) Partes quidem ejus mutari, totum vero immutabile esse: (*d*) Simplicius, posse moveri partes, ait. (*e*) Ex ea omnia gigni, & in eam desinere omnia. (*f*) Infinitos vero generari mundos, qui corrupti in infinitum redeant. (*g*)

a Simpl. in Phys. l. 2. *b* Arist. Phys. l. 5. *c* Plutar. *d* Plac. I, 3. *d* Laert. II, 1. *e* Simpl. lib. 6, c. 6. *f* Plut. l. c. *g* Instin. Mart. paræn. p. 4. C. Plut. l. c.

SECT. II.

De Cœlis.

ANaximandri, juxta (*h*) Ciceronem, opinio erat, nativos esse Deos, longis intervallis orientes occidentesque, eosque innumerabiles esse mundos. Ea Plutarchus (*i*) atque Stobæus (k) ad cœlum referunt & stellas. *Sed nos Deum*, inquit Cicero, (*l*) *nisi æternum intelligere qui possumus?* Cœlum statuit de calido esse ac frigido mistum, (*m*) stellas centones dixit aeris globosos, (*n*) ignis plenos, & flammas quadam parte exspirantes, agitari autem eas a circulis & Sphæris, quibus inhærent, id quod ab eo Aristoteles (*o*) etiam accepit.

Supremo autem loco situm esse solem, deinde lunam, tum denique fixas & errantes stellas.

Circulum solis vicies & octies (*p*) (Theodoretus dicit vicies exies (*q*) terra esse majorem. Orbita præditum, qualis fere sit rotis currum, ignis plena: Qui quadam ex parte ejus per orificium effulgeat, tanquam per fistulæ foramen; eumque ignem esse solem, (*r*) terram mole exæquantem. (*s*) Defectum solis oriri, parte ea, qua ignis effulget, obturata. (*t*)

Lunæ circulum (*u*) esse novendecuplum proportione terræ, similem rotæ currus, quæ habeat orbitam concavam, igne impletam (perinde ac sol) & obliquam, (*x*) una parte ignem, velut per guttur expirantem.

Eclipsin Lunæ (*y*) obtingere per variam rotæ conversionem, orificio, quod ignem expirat, obturato.

Eandem proprium habere lumen, sed rarius, (*z*) splendorem vero mutuari a sole.

Quæ tantum abest, ut sibi adversæ sint invicem (*aa*) sententiæ, ut opinioni vulgo receptæ utraque conformis maxime existat. (*bb*)

h Cic. de Nat. Deor. I, 10. *i* Plac. Philos. I, 7. *k* Ecl. Phis. L. 1. c. 1. *l* Cic. l. c. *m* Stob. l. c. cap. XXV. p. 53. *n* Stob. Ecl. Phys. L. 1 c. XXV. p. 53. sq. *o* Stob. l. c. p. 54. *p* Stob. l. c. p. 53. *q* Plutar. Plac. Phil. II, 20. Stob. Ecl. Phys. l. c. p. 55. *r* Theod. Therap. l. p. 17. in. *s* Plut. l. c. *t* Laert. II, 1. Stob. l. c. p. 55. Plut. l. c. II, 21. *u* Idem Stob. l. c. Plut. l. c. II 24. *x* Plut. l. c. II. 25. *y* Stob. c. p. 59. *z* Plut & Stob. ll. cc. *aa* Plut. l. c. I l. 28. *bb* Quod visum perperam viro docto ad Laert. Stanleii Vir ille doctus est M. Casaubonum.

SECT. III.

De Meteoris (& Homine.)

VEntum aeris esse fluxionem; (*cc*) motis in eo aut colliquatis partibus tenuissimis & fluidissimis.

Tonitrua, (*dd*) fulgura, fulmina, presteres atque typhones, gigni a vento, in densa comprehenso nube, e qua ob partium tenuitatem & levitatem erumpat vi maxima. Ruptura nubis sonitum edi, divulsione juxta nigras nubis partes facta, fulgorem existere. Quam in rem mage disertus Senecæ (*ee*) extat locus: „Omnia ad spiritũ retulit, Tonitrua inquit, sunt nubis ictæ sonus. Qua„re inæqualia sunt? quia & ipse

cc Vid. Erasmum Rheinholdum in Theoricas Purbachi p. 161. *dd* Plut. Plac. Phil. III, 7. *ee* Idem. III, 3. *ff* Nat. Qu. II. 18.

„ ictus inæqualis est. Quare & sereno tonat? quia tunc quoque per „ crassum & siccum aerem spiritus „ prosilit. At quare aliquando non „ fulgurat & tonat; quia tenuior & infirmior spiritus, quo in „ flammam non valuit, in sonum valuit. Quid est ergo ipsa fulguratio? Aeris diducentis se corruentisque jactatio, languidum ignem, „ nec exiturum, aperiens. Quid est „ fulmen? acrioris densiorisque spiritus cursus. Omnia sic fieri, (a) „ ut ex æthere aliqua vis in inferiora descendat. Ita ignem impactum „ nubibus frigidis sonare. At, cum „ illas interscindit, fulgere: & minorem vim ignium fulguratione „ facere, majorem fulgura.

a Id ib. II, 19.

Prima animalia in humore nata ajebat, corticibus contenta spinosis, adultiora autem facta ad siccitatem desciviſſe, ruptoque cortice, non multum temporis supervixisse. (b)

b Plut. Pl. Philos. V. 19.

(De hominum autem ortu ita sentiebat: natos eos primum esse ex alterius speciei animalibus: nempe id inde colligebat, quod cetera animalia sibi de pastu prospicere valeant statim, cum solus homo diutino nutricatu habeat opus, unde primum eum alio modo servari haut potuisse liqueat. Paulo specialius eandem rem explicavit Plutarchus: Nempe juxta Anaximandrum in piscium ventribus primum genitos homines ait, ibique nutritos, donec vires acquirerent majores, idoneique fierent, qui suis prospicere necessitatibus possent, exclusos fuisse, atque terra potitos.)

Euseb. Præp. L. I, c. VIII. Init. Symp. L. VIII. Q. VIII.

ANAXIMENES.

CAP. I.

Vita ejus.

Anaximenes Milesius fuit, Eurystrati filius: (a) sodalis, (b) discipulus (c) & successor Anaximandri. Floruit juxta Eusebium Olymp. LVI. anno II. Suidas LV. Olympiade eum ait vixisse, cum Sardibus expugnatis a Cyro cum Croeso debellaretur. Ut corruptas esse oporteat Apollodori rationes, qui LXIII. Olympiade eum natum ait. Parmenidem juxta nonnullos audivit, ususque Jonica est locutione, simplici, & minime fucata. Gnomonices inventorem Plinius appellavit, forte tamen per errorem ille ei tribuit, quod Anaximandro debetur. Discipuli ejus Anaxagoras & Diogenes Apolloniates. Epistolas ejus duas, quas hic exibemus, Diogenes Laertius servavit.

a Laert. II, 3. b Simp. ad L. I. Phys. c. 2. c Cic. Acad. Qu. IV, 37. Pl. H. N. II, 76. Laert. II, 3. Plin. l. c. Laert. II, 4.

ANAXIMENES PYTHAGORÆ.

„ Thales, qui felicissime ad senectam usque vixerat, parum felicem exitum habuit. Nocte enim „ quadam domo egressus, prout consueverat, una cum ancillula, sidera inspecturus, iis dum esset intentus, neque locus qualis esset prospiciens, in præcipitium delatus „ cecidit. Idque fatum Milesii Astronomi extitit. Ceterum nos discipuli ejus & sodales, nostrique „ filii atque auditores, tanti viri „ memoriam servemus, illius dictata semper sequamur, omnemque „ doctrinam nostram a Thalete auspicemur.

ANAXIMENES PYTHAGORÆ.

„ Prudens mage, quam nos, amplexus consilium es, qui Samo cum Croto-

„Crotona commutata isthic degis „quietus. Æacidæ aliis molesti „sunt, Milesii vero tyrannis non ca-„rent, proprio electis arbitratu. „Terret quoque nos MedorumRex, „minus territurus, tributum si pen-„dere velimus. Jones pro libertate „omnium dimicare cum Medis pa-„rant: quod si bellum instruant, „nulla nobis reliqua spes salutis. „Quonam igitur animo possit Ana-„ximenes cœli secreta rimari, cui „jugis aut mortis, aut servitutis, „incumbit metus. Tu vero Croto-„niatis atque Italis ceteris in pre-„tio es, atque ex Sicilia ad te tui „studio complures confluunt.

CAP. II.

Ejus Doctrina.

SECT. I.

Aerem omnium rerum princi-pium esse.

Plut. de Plac. Phil I. 3. Justin. Mart. paren. p. 4. D. Clem. Al. Str. I. p. 366.

PRincipium rerum universarum aerem esse statuit, ex quo omnia nascantur, suoque in eum redeant interitu. Ita animam nostram aerem esse, quæ nos temperet. Totumque mundum Spiritum & aerem continere. Esse enim spiritum & aerem duo nomina, rem significantia prorsus eandem.

Cic. de Nat. Deor. I, 10. Id. LIV Ac. Q. c. 37. Stob. Ec. Pys. c. I. p. 2.

Aera Deum esse, eumque gigni, esseque immensum & infinitum, & semper in motu: Ea vero, quæ ex eo oriantur, definita esse: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. Quod vero Deum dicit aerem, id accipiendum de facultatibus (divinis,) elementa sive corpora penetrantibus. *

SECT. II.

De Cœlis.

EXteriorem cœli superficiem terrestrem statuebat. Plutarch. l. c. II, 11.

Stellas igneæ substantiæ esse, quibus admista tamen sint terrena corpora, conspici, que haut possint, eosque velut clavos Chrystallo inhærere. Stob. Ecl. Phys. c. XXV. p. 53

Astra impelli a condensato & renitente (a) aere. Neque supra (vel infra) terram moveri, sed circa terram. (b) a Plut. Pl. Phil II. 23 b Laert. II, 3.

Laminæ instar latum esse solem (c) igneæque substantiæ. Plut. l. c. II 16. c Plut. I. c. II, 22.

Indicationes æstatis atque hyemis, solis, non lunæ (ceterarumque stellarum) ortu atque occasu fieri (d) d Plut. II, 19.

Eclipsin vero pati Solem, obturato foramine, per quod ignem spirat. e e Plut. II, 24.

Lunam itidem igneam esse. (f)

Eclipsin pati lunam, osculo, ex quo ignem propellit, obturato. (g) f Stob. Ecl. Pys. c. XXV. p. 59. g Plut. l. c. II, 29.

SECT. III.

De Meteoris.

NUbes existere statuebat aere quam maxime densato: pluviam, iisdem magis compressis: nivem quando aqua delabens congelatur: Grandinem, si humido vento comprehendatur. Plut. l. c. III, 4.

De tonitruis, fulguribus, fulminibus & rel. ab Anaximandro disputatis addebat maris exemplum, quod remis dissectum refulgeat. Stob. l. c. p. 64.

Iridem fieri sole illuminante nubem Plut. l. c. III, 5.

* Anaximenem an satis solide defendat Stobæus, ex quo hæc desumta sunt, aliorum esto judicium. Si per aerem facultatem divinam intelligit, mirum, quomodo eam gigni dicat. Cur item, si aerem proprie sic dictum non intelligat, aeris mentionem omittat in recensione eorum, quæ gignuntur ex isto principio. Hoc certum esse puto saltem: stare cum Anaximandri causa causam Anaximenis eodem loco. Scilicet *illius* manifeste *hic* per omnia doctrinam secutus est, principium statuens *infinitum*, illud idem divinum docens esse, & innumerabiles mundos, h. e. totidem Deos ex eo oriri & occidere in illud dicens. Hoc solo Anaximenes longius progressus est, quod definiverit, quid sit illa infinitas, id, quod non fecit Anaximander.

bem densam, crassam, ac nigram, in qua cogantur solis radii, cum non possint ultra eam penetrare.

Plut. l, c. III, 15.

Siccitatem & raritatem terræ ejus concussionis causam esse, quorum illam quidem æstus, hanc nimiæ pluviæ efficiant. Id, quod planius Aristoteles explicat: terram eum statuisse, inquiens, tam cum madet, quam cum exsiccatur, rumpi, & ab hisce fragmentis ingentibus, quæ concidere solent, quati. Ideoque terræmotus vel æstus fervore, vel pluvio tempore fieri. Aestu enim exsiccatam rumpi, imbribus vero ab aquis solutam cadere.

Aristot. Meteor. II, 7. Senec. Nat. Qu. VI, 10.

Frigus materię contractionem esse ajebat, atque densationem: Laxationem ejus & raritatem calorem. Ideoque hominem calida ex ore & frigida emittere. Halitum enim compressum labiis, atque densatum, fieri frigidum, emissum aperto ore, ob raritatem, calescere.

Plut. de primo frigid. p. 947. E.

ANAXAGORAS.

CAP. I.

Ejus Patria, ætas, philosophica studia.

Laert. l, II, 6.

ANaxagoras Clazomenius fuit, *Hegesibulo*, sive *Eubulo*, Patre natus, juxta Apollodorum, LXX. Olympiadis anno primo. Genere clarus & opibus, clarior earundem rerum generoso contemtu. Agros & patrimonium reliquit, (*a*) *discendi quærendique*, ut Cicero (*b*) loquitur, *divinæ delectationi toto se animo ut dederet*. Atque a regendis civitatibus (*c*) totum se ad cogitationem rerum transtulit. Suidas Ovibus & Camelis * depascendos patrios agros eum reliquisse ait. Unde Apollonius Tyaneus (*d*) bestiis potius quam hominibus eum philosophatum ait. Plato, (*e*) eum ob patrimonium ita neglectum ridere non dubitat. Laertius amicis id eum permisisse ait: quibus cum ab eis negligentiæ insimularetur, respondit: *Cur ergo vos ista non curatis?* Cuidam etiam, quod nulla ei patriæ cura esset, reprehendenti, *Mihi vero patria*, dixit, *curæ & quidem summa est*, digitum in cœlum intendens. Alii, rogatus, *cujus rei causa natus esset? inspiciendi*, dixit, *cœli & solis & lunæ causa*. Verbo, rei & publicæ abiiciens curam, & privatæ, ad speculandam rerum naturam se contulit. Erat vero in hoc studio Anaximenes ejus præceptor, a quo eam disciplinam accepit.

a Plut. de vitando ære alien. p. 831. & vit. Pericl. Philostr. vit. Apollon. I, 13. Himer. Phot. Suid. A, ξ. Val. Max. VIII, 7. b Cic. Tusc. V, 39. c Id. de Or. III, 15.

d apud Philostr. I, c. e Hipp. mai. T. III. p. 282. A. Laert. II, 6. Laert. II, 10. Laert. II, 9. Cic. de Nat. Deor. I, 11.

Vigesimo ætatis anno, qui primus erat Olympiadis LXXV, Calliada apud Athenienses Archonte, quem Calliam corrupte Laertius appellavit, quo tempore Xerxes in Græciam movebat, Athenas, philosophiæ studio, profectus est, ubi & XXX annos commoratum tradunt. Honorifico ibi *mentis* titulo est ornatus, quod primus esset, qui istud cum materia junxisset principium: Sic Timon de eo:

Laert. II, 7. Laert. 6.

Nunc ubi Anaxagoras, MENS, est fortissimus Heros?
Qui MENTEM subito, nam MENS non defuit illi,
Composuisse putat, fuerant quæ incondita quondam.

CAP.

* Pro Καμήλοις legendum ap. Suidam & Philostratum *μήλοις ovibus*, ut jam olim doctis Laertii commentatoribus observatum.

CAP. II.

Doctrina ejusdem.

SECT. I.

De primis Principiis, primordiisque rerum.

[Arist. Physic. III. 4. Plutarch. Plac. phil. I. 4. Arist. Phys. I. 4. Arist. l. c.] Principium materiale omnium rerum unum esse dixit, & multiplex, ὁμοιομερείας, partes infinitas, similares, contrarias, tactu continuas, se mutuo sustinentes, neque alio contentas. Rationes ejus sunt istæ: Primo, quoniam juxta communissimam Physicorum regulam ex nihilo nihil existere possit, fieri haut posse, ut aliquid producatur ex eo, quod non est: vel, ut id, quod est, resolvatur in id, quod non est. Secundo, quia contraria ex se mutuo fiant, inesse ergo antea oportere. Nam si omne, quod fit, vel ex entibus, vel ex non entibus fieri oportet; ex non entibus autem nihil fieri potest, (qua quidem in re omnes Physici consentiunt:) tum reliquum erit, ex entibus omnia fieri, atque antea in iis esse, quamvis ob exiguitatem suam percipi a nobis non possint. Quapropter inquiunt quodvis cuilibet esse admistum: quia quodlibet ex quovis observant oriri, videri vero diversa, atque ab invicem distingui, quod in mistione infinitorum (hę vel illæ partes) magis abundent. Nam totum quidem, nec album, nec nigrum sincere, aut os esse vel carnem. Sed cujus plurimum habet quodque, [Plut. l. c.] ejus illud naturæ esse videri. Sic ex cibo simplici atque uniformi, pane atque aqua, & similibus, gigni crines, venas, arterias, nervos, ossa, omnes denique partes. Istas ergo omnes alimento naturas inesse, nervos, ossa & reliqua, mente intelligendas, licet sensu non percipiantur. Ex minimis illis mundum compositum esse, sicut ex minutissimis ramentis aurum. [Laert. l. 2.] Suntque adeo homogenea illa corpuscula omnium rerum materia, quam sententiam ejus ita repræsentavit Lucretius:

Nunc & Anaxagoræ scrutemur Homœomeriam [L. 1. v. 830. sq.]
Quam Græci memorant, nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrii sermonis egestas.
Sed tamen ipsam rem facile 'st exponere verbis,
Principium rerum quam dicit Homœomeriam.
Ossa videlicet e pauxillis atque minutis
Ossibu': sic & de pauxillis atque minutis
Visceribus viscus gigni: Sanguenque creari,
Sanguinis inter se multis coeuntibu' guttis:
Ex aurique putat micis consistere posse
Aurum: & de terris terram concrescere parvis:
Ignibus ex ignem: Humorem ex humoribus esse.
Cetera consimili fingit ratione putatque.
Nec tamen esse ulla parte idem in rebus inane
Concedit, neque corporibus finem esse secundis.

Deum infinitam mentem esse, quæ per seipsa moveatur, statuebat. Mentem illam infinitam, corpori non inclusam, esse autorem omnium, quæ videmus, atque ex infinita materia, quæ constaret dissimilibus inter se particulis, rerum omnium genera, pro modulis & speciebus propriis fin- [conf. plura v. 875. sq. Lactant. l. 1. Cic. Nat. Deor. 1. 11. August. de C. D. VIII. 2.]

singula, facta esse, sed animo faciente divino.

SECT. II.

De Cœlis.

Aristot. Meteor. l. 3. Superas mundi partes igne plenas esse docuit, & vim, quæ ibi esset, æthera vocavit: atque id quidem, Aristotele judice, sensu maxime proprio, nam corpus, quod continuo motu celerrime agitatur, simul & divinum natura concipitur, &, quod esset ejusmodi, æther appellatur, cum nullum eorum, quæ hic visuntur, ejus sit generis.

Plutarch. Plac. Phil. II, 13. add. Plut. Lysand. p. 401. D. Id. Plac. c. 16. ib. c. 23. Ætherem circumfusum igneæ esse naturæ, & circumvolutionis vehementia lapides e terra abripuisse, qui, ignis ejus vehementia candentes, in stellas conversi fuerint. Omnesque ab ortu versus occasum ferri.

Impelli porro astra aeris, qui ad polos est, impulsione ad diversam partem, cui aeri ipse sol, comprimens eum, vires addat.

Achill. g. Tat. Isa in Arat. c. 11. Terrestris naturæ stellas esse: atque post primam elementorum secretionem, ignem sponte sua discedentem, terræ partes quasdam ad naturam suam pertraxisse, utque igneam referrent naturam effecisse. His vero nixus principiis porro affirmabat:

Plutarch. Plac. phil. II 20. Laert. II, 8. Achill. Tat. l. c. Plut. l. c. II. 23. Massam aut lapidem esse solem, igni candentem, Peloponneso majorem: cujus conversionum causa sit polaris aeris impulsus, cui ipse sol compressione sua vires addat.

Plut. II. 25. Plat. Cratylo p. 408 A. cujus sententiam melius Stanlejus quam interpretes ejus videtur assecutus. Plutarch. Lunam esse corpus opacum, ignitum, a sole illustratum, habitabile, vallibus, collibus, atque aquis distinctum. Causam inæqualitatis in ea a concretione frigidorum esse, & terrestrium. Admixtas enim esse igneis partes caliginosas, unde fidus illud falso lumine vulgo coruscare dicatur. Plato ait, Lunam occasionem dedecori Anaxagoræ extitisse, quoniam se primum aliena luce eam coruscare docuisse videri voluit, cum tamen antiquior ea extiterit sententia. Plac. Phil. III, 1.

Viam lacteam terræ umbram esse in parte cœli, cum sol infra terram delatus totum haut illuminat. Vel ut Aristoteles habet: Esse eam quorundam siderum lumen, solem enim, dum sub terra fertur, ex astris quædam non adspicere. Quæcunque igitur a sole aspiciuntur, eorum lumen non videri, inhiberi enim a solis radiis. Quibuscunque autem tellus ipsa obsistit, quo minus a sole aspiciantur, horum proprium lumen esse lacteam viam. Laertius ait, Anaxagoram statuisse, lacteam viam esse reflexum solaris luminis, non intermicantibus astris. Meteor. I, 8. Laert. II, 9.

SECT. III.

De Meteoris.

Aristot. Meteor. I. 6. Cometas esse stellas errantes, plures una apparentes, cum, quia propius accesserint, se tangere mutuo videntur. Vel, ut Laertius habet, errantium stellarum concursum, flammas ex se emittentium. Laert. l. c.

Laert. ib. Plutarch. Plac. phil. III. 2. Stellas cadentes, velut scintillas, ab æthere vibrari, atque propterea statim extingui.

Laert. l. c. Plut. Plac. phil. III. 3. *Tonitrua* nubium collisionem, *coruscationes* itidem confricationem nubium esse. Vel, ut Plutarchus habet: Calido in frigidum incidente, æthereave parte in aeream, eam fragore tonitru edere, colore autem, qui existit juxta nigricantes nubis densioris partes, fulgorem efficiis igni spissiore, cuneum fulmineum: solido magis igne & corpulento, typhonem: igne

igne nebuloso magis, presterem.

Fulmen ex æthere defluere (a), cujus æstu multa defluere cogantur, quæ longo sæpe tempore a nubibus excepta iisdem detineantur.

a Hæc unde habeat Stanleius ignoro. Non valde dissimilia habet Arist. Meteor. II. c. ult. Plut. de Plac. phil. III, 5.

Iridem nasci ex refractione lucis solaris in nube densa, e regione astri speculi ad instar posita. Eadem ratione parhelios explicabat, in Ponto conspectos.

Laert. II. 9. Aristot. Meteor. II. 7. Plut. Plac. phil. III 15. Senec Nat. Qu. VI. 9.

Ventos fieri, cum aer a sole tenuatur.

Terræ motuum aerem vel ętherem causam esse, qui, sursum ferri cum sit aptissimus, quando in venas & cavernas terræ se condit, difficilem inveniens exitum, agitationem illam causetur. Nempe superas telluris partes imbrium beneficio coalescere, quandoquidem natura totam fungosam atque laxam efformaverit, partesque ei dederit, ceu pilæ, inferiores & superiores: superiores, quas nos habitamus, inferiores hisce oppositas. In inferiora igitur delapsum spiritum, aerem perrumpere condensatum, eadem vi, qua nubes rumpi videmus, ubi collisis iis, aereque vehementius agitato, ignis prorumpit. Ille aer in proximum irruit, exitum quærens, omniaque obvia destruit: donec per angustos exitus istos vel invenit in liberiorem aerem exitum, vel vi sibi sternit: id quod subobscure Laertius indicat, per *aeris in terram recessum*.

Cic. Acad. Qu. IV. 23. 31.

Nivem nigram dixit esse, non albam, sibique, quia sciret aquam nigram esse, unde illa concreta esset, albam ipsam esse, ne videri quidem.

SECT. IV.

De Terra.

Per motum, cujus initium *mens* sit, gravia corpora inferiorem locum petiisse, ut terram: levia superiorem, ut ignem: quæ media sint, medium quoque obtinuisse locum, ut aerem & aquam. Ita enim super terræ, plana quæ fiet, latitudinem mare subsistere, humoribus a sole rarefactis.

Laert. II, 8.

Substantiam humidam, ab initio stagnantem, motu solis, circa eam, adustam fuisse, ejusque pinguedinem exhalasse, reliquum salsugine & amarore infectum substitisse.

Plut. Plac. phil. III, 16.

Postquam, mundus constitutus fuit, & e terra produxit animalia, quodammodo inclinatum mundum sponte sua in australes partes fuisse, providentia forte divina, ut mundi partes quædam habitari, aliæ minus possent, ob caloris frigorisque excessum.

Id. II, 8.

Elementorum mistionem factam esse eorum juxta se invicem positione.

Plutarch Plac. Ph. I, 17.

Nili incrementa a nive esse Æthiopica, quæ hyeme frigens, æstate liquetur.

Id. l. c. IV. 1.

SECT. V.

De Creaturis viventibus.

Animantia primum ex humore & calore, terraque, manasse, postea ex invicem esse nata: mares a dextris, feminasque a sinistris.

Laert. II. 9.

Mentem initium esse motus (b), aereamque esse, & corpus habere aereæ naturæ (c). Mortem ad animum etiam pertinere, esse enim ejus a corpore divulsionem (d). *

b id. II, 8 & Aristot. de anima L. I. p. 380. C
c Plut l. c.
d IV, 2.
e Plut. l. c. IX, 25.

Omnia

* Nescio an optima fide Plutarchi verba expresserit Stanleius: εἶναι δὲ καὶ τῆς ψυχῆς θάνατον διαχωρισμόν, quod etiam de partium animæ, corporeæ quippe aereæve, divulsione accipere possis.

a Plut. l.c. V, 20. Omnia animalia habere mentem agentem. (a)

b Plut. l.c. V, 25. Somnum accidere functionibus corporis, non animæ esse. (b)

c Plut. de amore frat p 478. D. Humanam sapientiam omnem in manibus hominis esse positam. (c) †

d Plut. Plac. phil. IV. 19. Vocem edi (d), si spiritus occurrat solido aeri, &, aversus retro ob ictum, usque ad aures feratur. Quomodo etiam fiat echo, quæ est, cum sonus repercutitur.

Arist. de part. animal. IV. 2. Fel esse morborum causam acutorum, cum enim abundat, in pulmones redundare, & venas, & costas.

CAP. III.

Ejus Prædictiones.

MUlta eum prædixisse apud Suidam legimus, cujus rei duo tantum ad nostram memoriam pervenere exempla. Alterum his verbis apud Plinium commemoratur: H. N. L. II. 59. „Celebrant Græci Anaxagoram, Clazomenium, Olympiadis „LXXVIII. anno II. prædixisse cœlestium litterarum scientia, quibus diebus saxum casurum esset „a sole. Idque factum interdiu in „Thraciæ parte ad Ægos flumen, „qui lapis etiam nunc ostenditur „magnitudine *vehis*, colore adu- „sto, comete quoque illis noctibus flagrante. Stanlejus vertit *magnitudine, Jubae.*

Vit. Lysandr. p. 439. C. Addit Plutarchus, eum hodie quoque ostendi, & haberi apud Chersonesitas in magna veneratione. Delapsum hunc lapidem esse Eusebius Olymp. LXXVIII. ann. IV. ait, adeoque duobus serius annis, quam Plinius prædictum id esse ab Anaxagora ajebat. Silenus, allegatus Laertio, *Dimylo* Archonte eum cecidisse, ait: qui, si *Diphilus* fuerit, nam *Dimylus* circa hæc tempora Archon Athenis nemo reperitur, contigerit id oportet Olympiad. LXXXIV. anno I. Marmor tamen Arundellianum, quod circa Olympiad. CXXIX. sculptum est, omnibusque chronologorum calculis merito præfertur, expresse delapsum lapidem ait, anno IV. Olymp. LXXVII. Theogenide Archonte, adeoque biennio antequam prædictum id Plinius dicebat. Eam rem cladis ostentum, qua Athenienses Lysander affecit, prope Ægos fluvium, LXII. post annis, hoc est, anno IV. Olymp. XCIII. creditum esse plerisque, Plutarchus autor est. Lysandr. l.c. II. 11.

Meteor. I. 7. De ipso portento haut valde magnifice sentit Aristoteles; Vento nempe sublatum excidisse lapidem dicit interdiu, comete quoque illis noctibusque flagrante. In quo Plutarchum habet contradicentem, fuse de ea re differentem, in hunc fere sensum: „Anaxagoram prænunciasse perhibent, inclusorum cœlo corporum jactatione unum, abruptum, præceps delapsurum. „Nempe non esse quodque sidus eo, „quo natum est, loco. Lapidæaque „quum sint sidera, & ponderosa, „ætheris in ea incidentis reflexu „fulgere. Vi autem quadam in „superioribus regionibus detineri, „vertiginis & revolutionis suæ impetu ea sustinente, qua initio „etiam in prima rerum discretione, „frigida licet graviaque, detenta fue- l.c.

---

†Nempe, ut rem explicat loco citato Plutarchus, manus in multos atque inæquales digitos scissas artificiosissima instrumenta ut essent, natura aptavit. Ut adeo non propter manus quidem homo sapientissimus sit, sed quia a natura, ratione & sapientia erat instructus, instrumentæ quoque talia nactus sit.

„fuerunt. Verum opinio est probabilior eorum, qui stellas, quas cadentes vocamus, non ætheris fluxiones, in aere simulatque accensæ essent extinctas; neque aeris successionem & inflammationem, qua sursum ille evehatur, esse statuunt: sed lapsum corporum cœlestium, quæ retinaculis suis destituta, per ordinarium cœli motum deorsum agantur, non in terram habitabilem quidem, sed extra eam in Oceanum præcipitata, quæ causa est, cur nostrum quidem fugiant aspectum. Illa vero Anaxagoræ sententia a Damacho confirmatur, qui in libris de Religione scribit, priusquam hic lapis deflueret, visum continuos LXXV. dies eximię magnitudinis corpus in cęlo, instar flammeę nubis, igneum, non immotum uno loco persistens, verum hac illac agitatum, ut iactatione auulsa fragmenta ignita diversis partibus defluxerint, stellarum cadentium instar habentia. Postquam autem ingens illud corpus ignitum ea terræ parte delapsum, & pavore superato concurrissent incolæ, nullum valde insigne ignis in eo deprehenderunt vestigium. Tantum lapis jacebat ingens, flammei illius corporis molem nulla ratione exæquans. Ceterum Damachum liquet in his benignos requirere auditores. Quod si vera sunt, quæ attulit, refellit egregie eos, qui dictitant ex vertice montis alicujus procellis deturbatum saxum illud fuisse, tamdiu in aere suspensum, quam ista perduraret procella, qua subsidente præceps in terram statim fuerit actum. Nisi forte corpus ignitum, tot diebus conspectum, verum ignem dicamus, qui, solutus atque extinctus, tempestatem excitaverit, quæ lapidem levare e terra valuerit, eumque postea iterum deturbare.

Hanc Charimandri fuisse sententiam verosimile est, qui in eo libro, quem de Cometis composuit, ait, Anaxagoræ visum grande insolitumque cœlo lumen, magnitudine amplæ trabis, & id per multos dies fulsisse. ap. Senec. Qu. Nat. VII.

Alterum prædictionum Anaxagoræ memorabile exemplum ea præbet, qua tempestatem prædixit, ad Olympicos ludos accedens sereno cęlo cum pellicea veste. Pluvia itaq; ingruente, Græci universi, autore Æliano, percipiebant, & unanimi voce celebrabant, divinam magis ejus scientiam esse, quam ut humanæ solertiæ tribui posset. Laert. II. 10. Suid. Philostr. Vit Apol. I. 1. Ælian. de animal VII 8.

CAP. IV.

Sectatores & discipuli ejus.

Pericles, Xanthippi filius, ab Anaxagora Physico eruditus, exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus, ad causas forenses popularesque facile traduxit. Eum autem mirum quanti fecerit Pericles. Is nempe ab eo rerum naturalium imbutus est scientia, utque alias virtutes taceamus, ad quas eum ille instituebat, mentem ejus inprimis a superstitione liberavit, quæ ex rerum naturalium ignorantia oritur. Ejus rei sequens habemus inter illustrissima exemplum. Arietis caput cum unico cornu ad Periclem deferebatur, quod prodigium interpretabantur vates. Anaxagoras vero, cum os capitis dissecuisset, non complesse cerebrum sedes suas monstrabat, sed ovi modo sensim atque sensim contractum, in eam Cic. Brut c. 11. Orat. c. 3. Plut. Pericle p. 154. B.

par-

ibid. p. 126. C.

partem desinere, qua excreverat cornu. Aliquanto post ætate decrepitus atque neglectus, ęgerrime eam rem ferens, obvoluto capite vitam inedia finire statuit: qua re audita Pericles advolavit confestim, non illum, sed seipsum lamentatus, qui talem in Rep. consiliarium amitteret. Tum Anaxagoras aperto capite ei dixit: *At etiam ii, quibus lucerna, o Pericles, opus est, oleum infundunt.*

Laert. II. 16. adde Cic. Tusc. V. 4.

Fuit & Archelaus, Apollodori filius, discipulus Anaxagoræ, *physicus* juxta Laertium appellatus, quod primus physicam philosophiam Athenas invexisset. Hoc vero, ut cum ejusdem Laertii narratione, qua per XXX. annos Anaxagoram Athenis commoratum ait, conciliari queat, non immerito quærendum Is. Casaubonus putavit.

ad Laert. l. c.

a Moschopul. Synopsis vitæ Eurip. a Barnes. edita. διήκουσε δὲ καὶ Ἀναξαγόρου τοῦ Κλαζομενίου. ἐπὶ τραγῳδίαν δὲ ἐτράπη τὸν Ἀναξαγόραν ἰδὼν ὑποστάντα δι' ἅπερ εἰσῆξε δόγματα.

Porro Euripides, ut (Manuel Moschopulus) (*a*) vitam ejus qui scripsit, affirmat, Mnesarchi filius, qui primis temporibus expeditionis Xerxis in Græciam natus est, & ipsa quidem ea, qua Persas Græci vicerunt die, pictor initio, inde Anaxagoræ auditor extitit: quem tamen ob Philosophiam invisum plerisque animadvertens, ad Tragicam poesin animum appulit.

Socrates quoque, Sophronisci filius, Aristoxeno teste, (*b*) Anaxagoræ discipulus fuit, donec Athenis esset, postea ad Archelaum Physicum se contulit: id quod ætatis ejus anno XVII. vel potius XIX. factum est, si recte annos putat Porphyrius,

b ap. Laert. II. 19.

c II. 14.

Democritum quoque, XL. annis juniorem Anaxagora, eum audivisse, sunt, qui dicant. (*c*) Laertius tamen affirmat ferre eum non potuisse Democritum, ejusque colloquium vitasse.

d apud. Laert. IX. 34.

Testatur etiam Phavorinus, (*d*) Democritum eo, quod ab Anaxagora non admitteretur, ei inimicum factum, dixisse, non illius esse, quas scriptis mandaverit de sole ac luna sententias, verum antiquas, ipsumque eas furatum esse, pariter ac quæ de mundi compositione & mente dixisset.

Laert. II. 24.

Metrodorum quoque Lampsacenum inter amicos Anaxagoræ a Laertio relatum invenimus.

CAP. V.

Damnatio & mors ipsius, Sententia, Scripta.

Laert. II. 14.

ap. eund. II. 12.

Varia de ipsius damnatione, autore Laertio, opinio est. Sotion enim in successionibus Philosophorum a Cleone impietatis accusatum tradit, quod solem candentem dixisset laminam, defensum autem a Pericle, discipulo, quinque talentis mulctatum, exilioque damnatum fuisse.

ibid.

Satyrus a Thucydide in jus vocatum ait, contraria enim ille Periclis factioni sentiebat: neque ut impium modo Anaxagoram, verum & ut urbis apud Persas proditorem accusatum, absentemque damnatum testatur. Cumque eodem tempore ipsi renunciata esset & damnatio sua & filiorum mors, quos duos juxta Ælianum habuit solos; de lata adversum se sententia: *Jampridem*, dixit, *adversus illos atque se ex æquo naturam tulisse sententiam*. * De filiorum (*a*) autem morte, placido simul & magno animo, (*b*) *nihil mihi inexpectatum autno-*

Laert. l. c. Cic. Tusc. III. 24. Plutarch. consol. ad Apoll. p. 118. D. de anim. Tranq. p. 474. D. Nat. hist. III. 2.

a Plutar. ad Apoll. l. c. it. π. ἀοργησ. & Dio Chrys. Or. 37.

b Simpl. ad Epict. c. 22.

* Idem Socrati tribuitur dictum a nonnullis. vid. Laert. vita ejus.

a Valer. Max. X. 10. *novum nuncias*, ajebat, (a) *ego enim illos ex me natos sciebam esse mortales*: quod Soloni ** alii, alii Xenophonti (b) tribuunt. Manibus autem illos propriis eum sepeliisse Demetrius Phalereus testatur. (c)

b Laert. II, 55.

c ap. Laert. II, 13.

d Laert. l. c.

Hermippus carceri inclusum mortique addictum ait, (d) Periclem vero apud Iudices comparuisse, atque, an vitam ejus aliqua re criminarentur, interrogasse. Cumque id quidem fieri posse negassent. Atqui, ait, ego discipulus ipsius sum, nolite igitur calumniis inducti perdere virum, sed mihi potius obtemperate, liberumque abire permittite. Sicque dimissum esse quidem, eum tamen injuriam ægre ferentem sponte e vita discessisse.

e ap. Laert. II, 14. Hieronymus (e) a Pericle in judicium eum adductum fuisse ait, incertis gressibus nutantem, & præ nimia ęgritudine confectum macie, misericordiaque potius judicum, quam justitia dignum habitum fuisse. Atque hæc sunt, quæ de ejus damnatione Laertius memoriæ prodidit.

f ἡλιος. Suidas in carcerem conjectum ab Atheniensibus dicit, quod novam de Deo opinionem invexisset, ideoque exilio esse mulctatum, quamvis causam ejus Pericles defendendam suscepisset: Lampsacum igitur abeuntem fame voluntaria mortem sibi conscivisse.

g Apion. L. II. p. 1079. F. Iosephus, solem, ab Atheniensibus pro Deo habitum, sensus & rationis expertem quod affirmasset, paucorum ex iis suffragiis ad mortem esse ait condemnatum. Plutarcho autem si fidem habeamus, neque accusatus fuit, neque damnatus: sed a Pericle, Diopithæ metuente

Plut. Vit. Pericl. p. 169. D.

rogationem, nomina ut deferrentur eorum, qui sermones de rebus æthereis vel alios profanos, sererent ex urbe eductus est. Idem tamen, alibi eum affirmat fuisse accusatum.

Discessus ejus ex urbe Atheniensium, cum XXX. annis, postquam eo venisset, contigerit, in Olympiadis LXXXII. annum III. incidit, ætatis ipsius LXIII. Lampsacum postea profectus, illic quod supererat vitæ exegit, ætate ad XXII. amplius annos provecta: adeo nullam ejus rei rationem habens, ut dicenti cuipiam *Atheniensibus privatus es*; *non ego illis*, responderet, *sed illi me*. Imo & amicis suis, cum Lampsaci moreretur, quærentibus, velletne Clazomenas in patriam, si quid ei humani accidisset, deportari? *Nihil necesse est*, respondit, *undiq; enim ad inferos tantundem est via*. Antequam moreretur a senatu urbis interrogatus, si quid in sui gratiam fieri cuperet? postulavit ut ea, qua decessisset die, pueris vacatio scholarum concederetur, servatamque & sua ætate hancce Laertius consuetudinem ait. Defuncto Lampsaceni honorifice iusta persolverunt, epitaphio posito, cujus iste est sensus:

de super. stit. p. 169 E.

Laert. II, 10.

Cic. Tusc. l, c. 43. Plut. Instruct. Polit. p. 820 D.

Laert. II, 14. Id. II, 15.

Hic situs ille cui rerum patuere recessus,
Atque arcana poli magnus Anaxagoras.

Ælian. H. V. VIII, 19. Ælianus duas aras ipsi positas memorat, alteram *Menti*, alterã *veritati* inscriptam. Vitæ eius Laertius epigrammate coronidem imposuit, cujus iste est sensus:

Candentem ferri massam Phaethonta putavit:
Iudicium & capitis ferret Anaxagoras.
Ni

** Puto *Telamoni* scripsisse Stanlejum. Ei enim tribuit Hieron. Ep. ad Heliodorum.

Ni tamen incolumem Pericles servasset. At ipsum
Se vita educit, mollior hicce Sophus.

Aelian. V.H. VIII. 13. Nunquam ajunt ridere visum esse, neque subridere omnino.

Laert II. 10. Percontanti, *an Lampsaceni montes mare aliquando essent futuri? futuros* respondit, *nisi tempus antea defecerit*.

id. ibid. Cum vidisset Mausoli sepulchrum, *monimentum*, inquit, *pretiosum in lapidem conversarum divitiarum imago est*.

id. ib. Primus *Homeri poema ad virtutem & justitiam spectare* dixit, cui Metrodorus addidit, in naturali philosophia exercitatissimum poetam esse.

Stobeus Ser. 119. p. 602. fin. *Duas esse*, ajebat, *ad mortem institutiones, alteram tempus, antequam nati sumus, alteram somnum*.

Laert. II, 11. Primum eum librum a se scriptum edidisse Laertius & Clemens Alexandrinus affirmant. Scripsit autem.

Clem Al. Str I. p. 308 C. De *Philosophia naturali*: ex quo opere sequentia Aristoteli fragmenta allegantur: *Omnia simul erant*, (*a*) quod erat principium libri: item *generatio ejusmodi est alteratio*. Illud vero adducit Plato: (*b*) *Mentem esse, qua omnia ordinet & disponat, regatque, omniumque sit causa*. Et illud Atheneus: (*c*) *Quod lac gallinæ vocant album ovi est*. Librum illum Plato (*d*) perstringit, quod *mente* (in speciali originis rerum explicatione) non meminerit penitus, aeras quosdam & ætheras, aliaque ejusmodi absurda pro rerum causis obtrudens.

a Arist. Phys. I, 4. Plato Phæd. p. 72. C. addit rap Laert II. 6. Deinde accessit mẽs eaque composuit

b Phæd. T I, p. 97. C

c Athen. I. I. p. 57. D

d Plato Phæd p. 98 C.

De *Circulis quadratura* librum in carcere scripsisse Plutarcho dicitur. (*e*)

e Plut. de exilio p. 607. E.

Alii tres extitere *Anaxagoræ*, primus orator Isocratis discipulus: Statuarius alter, cujus meminit Antigonus: Tertius Grammaticus, Zenodoti discipulus. (*f*)

f Laert. II, 15.

ARCHELAUS.

Archelaus, sive *Atheniensis*, sive *Milesius*, patrem habuit Apollodorum, sive, ut quidam scripsere, Mydonem, Anaxagoræque discipulus & Socratis magister fuit. Primus hic ex Jonia Physicam Philosophiam Athenas invexit (quod tamen, ut cum eo consistere possit, quod annis XXX. Athenis Anaxagoras docuisse perhibetur, merito quæsivit Casaubonus) ideoque Physicus est appellatus. In eo Philosophia naturalis desiit, Socrate, discipulo ejus, moralem introducente. Quanquam & ipse eam philosophiæ partem attigisse videatur, namque de legibus honestoque & æquo est philosophatus. Ab eo vero acceptam cum haberet Socrates, eo, quod ulterius perficeret, putatus est invenisse. Cum tamen, Gassendo observante, longe antiquior sit moralis philosophiæ tractatio, ut quæ præcipuum fuerit tribuendi septem illis sapientum nominis fundamentum, quorum eo potissimum spectabat eruditio. Socrates tamen autoris honores tulit, quod primus in formam scientiæ eam redegisset. Laert II, 16. in Lib. X. Laert p. 1183.

Erat autem Archelai sententia, *Principia* rerum gemina esse, *incorporeum*, *mentem*, quæ tamen non sit mundi effectrix, & *corporeum*, infinitum, & dissimilare, *aerem*, nempe, ejusque raritatem & condensationem, quarum hæc terram, illa ignem absolvat. (*a*)

a Stob. Ecl. phys. c I. p. 2. Plut. Plac. I, 3. & Stob. I. c. cap. 12. p. 26. Laert II, 17

Uni.

Universum esse infinitum. *(b) Duas esse generationis causas, calidum & frigidum. (c)

Terreas laminas candentes stellas esse. (d)

Solem stellarum maximam esse. Mare in concavis, per humum veluti colatum, consistere. (f)

Animalia ex limo vel terra calida gigni, limum lacti simillimum velut escam eliquante. (g)

Liquentem calore humidam illam materiam, in terram abire, qua parte in igneam naturam consistit, qua vero in vaporem abit, aerem evadere. (h)

Ventos in concava terrarum deferri: deinde ubi iam omnia spatia plena sunt, aerq; in quantum potuit, densatus est, eum, qui supervenit, spiritum priorem premere atque elidere, ac frequentibus plagis primo cogere, deinde perturbare. Tunc illum, quærentem locum, omnes angustias dimovere, & claustra sua conari effringere. Sic evenire ut terræ, spiritu luctante & fugam quærente, moveantur.

Vocis etiam definitionem, quam Anaxagoræ Plutarchus tribuit, Laertius Archelao adscribit, qui aeris eam percussum dixerit.

Justum & turpe non natura, sed lege, fieri docuit.

Quinque vero illi Thales, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, sibi invicem succedentes sectam Jonicam absolvunt. **

b Laert. ibid.
c Laert. l. c.
d Stob. L. c. cap. 25. p. 52.
f Laert. l. c.
g id. ib.
h id. ib. senec. Nat. Qu. VI, 12.
Plut. L. IV. Plac. phil. c. 19.
Laert. l. c.
Laert. L. II. f. 16.
Plutarch. de Plac. Phil. I, 1
Laert. Proœm. s. 14.

HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ
PARS III.
SOCRATICOS COMPLEXA.

SOCRATES.
CAP. I.
Patria ejus, Parentes et Ætas.

SOCRATES, patria Atheniensis, pago Alopecensis extitit, qui pagus juxta Suidam & Phavorinum (a) tribus fuit Antiochidis. (b) Erat autem *Alopece* ex oppidulis per Atticam sparsis, antequam populum intra urbis mœnia redigeret Theseus, quæ, non obstante lege ejus, non deserebantur tamen, tuentibus ea incolis suis. (c)

Parentibus ortus est tenuis fortunæ. Pater Sophroniscus (d) fuit, Atheniensis, (e) lapidarius. (f) Matrem Phænaretam obstetricem habuit, (g) mulierem generosæ & imperterritæ indolis, (h) quod prodit ejus imago a Platone delineata, quamvis ejus verba in alium sensum torqueat Atheneus. (i) Sortis vero parentum exiguæ adeo Socratem haud

H

Laert. II. 18.
a adde Hesych. & Stephan. π. πολ.
b conf. Meurs. de Pag. Attic.
c Plut. Theseo. p. 10. sq.
d Laert. l. c.
e Plato Theæt. p. 149. A. & Alcib. I. p. 131. E.
f Liban. Apol. T. I. p. 739. B.
g Laert. l. c.
h id. ad. de Val. Max. III, 4.
Theon. Prog. c. 8.
h Plato Theæt. l. c.
i Dipnos. V. p. 219. B.

* Addendum ex Stobæo L. I. c. 25. p. 52. Archelaum inter eos censeri, qui mundos statuunt infinitos.

** Laertium quod hujus rei autorem adducat Stanleius, nescio qua fide fiat, sane enim Jonicæ scholæ successionem usque ad Clitomachum ille, loco, quem in margine allegavi, & quem solum respicere Stanleius potuit, produxit.

k Liban. haud puduisse observatum est, (k) ut potius eius mentionem identidem faciendi studiose occasionem arripuerit.

Natum eum esse LXXVII. Olympiadis anno IV, Apollodoro, Laertio & Suidæ proditum est. Idque etiam colligas licet ex Marmore Arundelliano, quo, Lachete Archonte, septuaginta annorum senex obiisse dicitur; quos annos implevisse eum necesse est, quandoquidem *plusquam LXX.* annos vixisse Platoni (l) affirmatur. Imo & ex Demetrio Phaleræo, qui ipse Archon Olympiadis CLXX. anno quarto fuit, eumque anno I. Olympiadis XCV, septuaginta natum annos decessisse ait. Ab anno igitur septuagesimo completo, si retro eas putando, ad annum IV. Olympiadis LXXVII, devenies, quo *Apsephion*, vel ut alii vocant, *Aphepsion* Archon fuit. (a) Ex cuius nomine nihil aliud apud Diodorum Siculum superest, quam tres syllabæ φίωνος, integrum erat ἀψεφίωνος, quod stolide mutatum in φαίδωνος fuit. Quod si observatum Joanni Meursio (b) fuisset, sine ratione, ut fecit, Laertii textum (c) non solicitasset, neque cum Allatio, (d) erroris socio, Scaligeri (ille enim est, quem allegant, anonymus) secuti essent vitium, *Aphepsionem* archontem anno IV. Olympiadis LXIXV, magistratu functum inquientis.

l Apol. I. c. Apol. p. 17. D.

a L. II p. 47. fin.

b Meurs. de Archont. II. 7.
c Laert. II. 44.
d Allat. de Script. Sacr. p. 114.

Natalis Socratis dies *Thargelionis* mensis, iuxta Apollodorum; (e) *sextus* fuit, memorabilis, autore Laertio, quod ea die natam Dianam Delii tradant, quo die lustrant Athenienses civitatem: Alia fausta, quæ ea die evenere Atheniensibus, Ælianus (f) commemorat. Proxima ei dies, quæ est eius mensis VII, Platoni natalis fuit; (g) fuitque utriusque diei magna inter Græcos Philosophos solennitas (continuata ad Plotini usque tempora (h) ut à Plutarcho (i) relatum habemus, qui providentiæ potius quam casui tribui cupit illam *natalis* amborum viciniam: hocque etiam cummaxime, quod discipuli natalem natalis præceptoris antevertat.

e apud Laert. II. 44. Plutarch. sympos. L. 8. c. 1.
f Æl. Var. Hist. II, 25.
g Laert. III, 2. Porphyr. Vita
h Plotin p. 9. fin.
i Plut. sympos. L. 8. c. 1.

Tempus illud ad rationes, quas hodie sequimur, revocare nec expeditum nec tutum satis. Cum tamen coniecturis etiam quorundam gratiam posse iniri nonnulla spes sit, eas quibusdam superstruemus hypothesibus, seriem secuti mensium, quam Dionysius Petavius adoptavit.

1. Itaque ponimus, post Olympiadas constitutas annum Græcorum semper a prima die Hecatombæonis mensis initium duxisse, ludos vero Olympicos die XV. eius mensis fuisse celebratos.

2. Neomeniam Hecatombæonis ea saltem ætate, de qua est quæstio, nunquam solstitium præcessisse, quod tum quidem circa Kalendas, vel pridie Kalendas Julii contingebat, quas si in *octavis signorum* supponas, diem nonam Julii non antecessit. Hoc postulatum licet gemino dubio urgeatur a Petavio, neutrum tamen eorum valet de temporibus, Metonis ævum antegressis.

3. Hoc supposito, modo recte Neomenia constituta sit a Scaligero in Olympica periodo, (cui ne unicum quidem idoneum argumentum opposuit Petavius,) atque adeo cetera etiam, quæ inde pendent: certissime Olympica periodus exhibet Neomeniam Hecatombæonis. Equidem in dubium

bium

bium revocavit LXXVI. annorum periodum Petavius, ut quæ ante Callipi ætatem in usu nunquam posita fuerit. At nos per anticipationem tantum ita hoc loco ista ponimus, perinde ac annum Julianum, cui ista accommodare paramus.

4. Cum de temporibus hic quæratur Solone posterioribus, annum civilem fuisse lunarem, mensibus constantem, qui per vices undetriginta trigintave diebus absolverentur. Quod Athenis ita observatum dico fuisse, licet aliæ Græcorum urbes, maxime quæ magis essent dissitæ, nonnisi longo post tempore menses suos, triginta absolutos diebus, immutaverint.

Hisce omnibus suppositis, sexta dies Thargelionis erit, iuxta rationes temporum Julianas, per πρόληψιν hic positas, XX. Maii, dies Jovis: iuxta Gregorianas XXX. Maii dies Jovis, anno Periodi Julianæ 4247, ante incarnationem 467, Olympiadis LXXVII. quarto, in quem Socratis natalis incidit.

CAP. II.

Socratis Educatio.

(Plut. de Socrat. Genio p. 588. E.) Refert Plutarchus, paulo postquam natus esset, parentem eius Sophroniscum, oraculum de eo consulentem, responsum tulisse, ut sineret eum agere quicquid in mentem venisset, et neque vim faceret, neque alio abduceret, quam quo ille tenderet, ac pro eo vota faceret Jovi forensi, et musis: neque anxie Socratis curam gereret, qui ducem in se habeat vitæ, sexcentis magistris præstantiorem.

Ceterum parum memor ejus effati parens illius, ad suam artem, hoc est statuariam, eum compellebat; contra animum ipsius. Quæ causa fuit, cur neglecti in parentem obsequii eum accusarent nonnulli, (Porphyrius) ap. Theodorit. Therap. L. XII. p. 175. init.) referentis, sæpissime eum, dum pater opus urgeret, repugnasse, atque abeuntem animo indulsisse.

Parente defuncto XXC. minarum, (Liban. Apo. T. I. p. 640. C.) iuxta Libanium, hæres relictus est, quæ, cum cognati cujusdam fidei commissæ essent, ut fœnus faceret iis, ipsi perire contigit. Quam jacturam, licet totum ejus patrimonium exhauriret, & ad extremam eum reduceret pauperiem, silentio tamen Socrates toleravit, statuariam inde exercere porro duro necessitatis telo coactus, ea scilicet victum ut quæreret. Atque hoc est, quod Suidas innuit, statuarium primum eum fuisse, dicens. Duris, (*a*), Pausanias (*b*) & Aristophanis Scholiastes, (*c*) Gratiarum e marmore signa cum vestimentis, nam antiquitus nudæ haut fingebantur, Athenis ante arcis vestibulum posita, ejus opus esse testantur. Imo & statuam Mercurii ipsius esse, positam eodem loco, Pausanias innuit, (*d*) cujus locum minus recte percepisse Plinius (*e*) videtur, dicens: *Socrates hæc signa fecit, alius ille, quam pictor.* Hinc Timon. (*f*)

Fluxit ab his legumque loquax, lapidumque politor,
Græcorum vates, imposturaque magister,
Derisor, Rhetorque subatticus & simulator.

Sed cum indole esset ab ea arte magis aliena, non nisi necessitate urgente eam exercebat. Aristoxenus (ap. Laert. II. 20.) ait, pecuniam ea ipsum quæsivisse, eamque comparsam asservasse,

(*a* ap. Laert. II. 19. *b* Pauf. L. IX. c. 35. fin. & L. I. c. 22. *c* ad Nub. p. 170. *d* L. I. c. 22. *e* H. N. L. XXXVI. l. IV. n. 10. *f* ap. Laert. II. 19.)

donec modica ejus evaderet summa, qua absumta, ad idem opus redire ipsi in more positum fuerit.

Illas vero, quas sibi ab opificio indulgebat vacationes philosophiæ consecrabat, [Laert. II.] ad quam toto animo propendebat. Quod cum Critoni observatum esset, Philosopho opibus affluenti, eum ille ex taberna, candore eius delectatus & ingenua indole, ad philosophiam traduxit, in qua vel ipse eum instruxit, vel, ut instrueretur, effecit, * curam eius gerens adeo diligenter, ut nunquam necessariis eum pateretur destitui. Et quamvis tanta eius initio fuerit pauperies, ut proverbium quoque nonnullis dederit; tandem tamen, Demetrio teste, domum comparavit, & minas XXC, a Critone fœnori datas. [Ælian. V. H. II. 41. Apuleius Apol. p. 101. Plut. Aristid. p. 319. C.] Mens vero eius, ut ait, Libanius, longissime fortunam superabat, planeque in patriæ salutem erat intenta: Sordidis artibus opes adquirere dedignata, omnium rerum, quas suas esse putare possint mortales, longe præcipuam animum esse reputans: & qui a vitio purgaverit illam, eum demum vere felicem esse, existimans: eo vero ducentem viam solam esse sapientiam rata, quam prosecuta, nihil non emolumentorum & voluptatum negligebat.

CAP. III.

De Præceptoribus ejus.

PRimus magistrorum Socratis *Anaxagoras* fuit, ex quo, pariter ac aliis quibusdam circumstantiis, corruptas esse temporum apud Laertium rationes evinci potest; [Laert. II. 19.] mortuumque Anaxagoram non LXXVIII. sed LXXXIIX. Olympiade esse.

Ubi Athenis excessisset Anaxagoras, Socratem ad *Archelaum* se contulisse testatur Aristoxenus, id quod, Porphyrio autore, anno ætatis eius XVII. contigit. [ibid. Cic. Tusc. V, 4. Suid. Σωκρ. Laert. Le. Laert. II, 23.] Ei in deliciis fuit, atque cum eo Samum, Pythonem, atque ad Isthmum profectus est.* *Damonis* (a) † quoque discipulus extitit, [a Laert. II, 19.] quem musicæ magistrum suavissimum, imo & ceterarum artium, in quibus instituere iuvenes dignetur, appellat Plato. (b) Agathoclis autem discipulus, magister Periclis, hic Damon extitit, Cliniæ item, (c) & aliorum, Prodico familiaris, & ab Atheniensibus ob insignem canendi peritiam ostracismo in exilium actus. [b Laches. T. II p. 180. 1. id ib. c Plutar. Perikl. p. 153. F.]

Prodicum Sophistam, (d) patria Cium, se audivisse ipse Socrates fatetur, quem ad LXXXVI Olympiadem refert Eusebius, Gorgiæque Hippiæ, & Hippocrati medico coætaneum facit. [d Plato Meneзeno citatur h. l. Stanlejo: Sed ibi nihil tale in Axiocho locus est, quo Socrates pro mercede a Prodico se quædam accepisse ait.]

Addendæ istis *Diotima* quoque & *Aspasia*, singularis plane eruditionis

* Ad ista Laert. citatur in margine, apud quem L. II. c. 20. id quidem legitur; L. II. vero s. 121. necessaria Socrati Crito suppeditasse, & liberos suos ei tradidisse instituendos dicitur. Neque apud Maximum Tyrium autem dissert. XXII, ubi ex instituto Socratis recensentur magistri, neque alibi Critonem inter eos censeri memini.

* Cum Archelao Samum tantum profectum esse innuere videntur Laertii verba. Pythonem & Delphos alia occasione iter cum suscepisse verosimile est.

† Ejusdem in musica peritia laudatur etiam Platoni de Rep. IV. p. 400. B. Et Plut. in Pericle p. 153. F. quem, ἄκρον σοφιστὴν Musici homine quasi occultum esse voluisse ait. Iunior eo Damon Rhetor, quem cum ceteris X. Rhetoribus ad Alexandrum Mi vocatum ait idem compar. Cicer. & Demosthen.

ditionis feminæ, quarum illa fatidico etiam aflata numine credebatur. Ab ea de amore se edoctum esse fatetur, & ut ex corporum pulchritudine ad animæ pulchritudinem cognoscendam sit deveniendum: de mente item Dæmonum, ipsoque Deo. Videndus est Plato in Phædro, & prolixa de his argumentis in symposio narratio, quam ei se ferre in acceptis Socrates ostendit.

T. III. p. 201. C.

Aspasia illustris femina erat, Mileto oriunda, non ipsa tantum in eloquentiæ studiis exercitata egregie, verum & institutione, qua discipulos haut paucos, eosque clarissimos, formavit, insignis, in quibus fuere Pericles Atheniensis, & qui ipse id fatetur, Socrates.

Plato Menexeno T. III. p. 235. E.

Poesin *Eveni*, (*a*) Oeconomiam *Ischomahi*, (*b*) Geometriam *Theodori* (*c*) institutione didicit.

Inter Præceptores ejus *Melius* quoque *Aristagoras* censetur. (*d*)

Postremus in eo catalogo *Connus* est, nobilissimus fidicen, ut Ciceroni (*e*) appellatur, quam ab eo artem Socrates jam senex didicit, quæ causa puerilis in eum extitit joci, quo *Senum Magistrum Connum* appellabant. (*f*)

a Maxim. Tyr. Diss. XXII.
b id. ibid.
c Plato Theaetet. T. I. p. 143. B.
d Schol. ad Aristophan. Nub. Act. III. Sc. I. p. 171.
e Famil. IX. 22. ad de Plat. Menex. l. c.
f Plato Euthyd. T. I. p. 272. C.

CAP. IV.

De schola ejus modoque docendi.

Scholam Socratem habuisse, ex Aristophane colligere est, (*a*) qui perstringit varias res in ea observatas, ejusque *Phrontisterium* (*b*) appellat.

a in Nub. passim
b Ibid. A. I. S. I. v. 94.

Plato atque Phædrus (*c*) loca ipsi & auditoribus ejus frequentata nominant *Academiam*, Lycæum, pratum item amoenissimum extra urbem, in Ilissi fluvii ripa, ubi Platanus erat excellentis formæ. Eo loco, ut fabula est, Orithyjam Boreas rapuit, cui tribus inde stadiis templum erectum erat, itemque aliud Dianæ sacrum.

c Phædrus Ep. ad Plato quæ est inter Socraticas ab Allatio editas XXV.

Xenophon (*d*) eum continuo in hominum oculis versatum affirmat. Nam mane eum ad loca deambulationibus destinata perrexisse, circa meridiem in foro versatum esse, ** reliquum vero diei degisse ibi, ubi versaturus inter plurimos esset. Disseruisse autem plerumque, sic tamen, ut ipsum audiendi facultas iis, qui vellent, esset.

d Xen. Memorab. socr. I. p. 709. E.

Non tum demum autem, Plutarcho autore, docebat, ubi posita subsellia essent, aut cathedra conscensa, aut discipulis scholæ ac deambulationis constituta esset hora. Sed cum aliis ludens, cum aliis, ut occasio ferebat, bibens, militans, in foro versans, ad extremum etiam in carcere agens & venenum bibens philosophabatur.

Plutarchus Utrum seni gerenda Resp. p. 796. D.

Docendi ratio, ejus de animæ, antequam in corpore ageret, existentia, respondebat opinioni: quam in statu separationis primævo, perfecta scientia imbutam, stuporem contrahere ajebat, & quodammodo extingui, immersione in corpus facta, donec ratiocinatione ab objectis sensuum orta excitaretur, qua sensim atque sensim priorem scientiam recuperet. Eam ob causam *Ironia*

 tan-

** Paulo perturbatius Stanlejus hic vertit Xenophontis verba. quæ Latinus etiam ejusdem interpres minus feliciter reddidit, causa est, quod pharsis πληθούσης ἀγορᾶς qua significatur tempus in meridiem inclinans, eo quod tum maxime frequens forum esset non satis eis esset intellecta. Nempe similiter Græcis τὸ βουλυτὸν, vespera est.

tantum utens & *inductione*, defungebatur institutione. *Ironia* autem [Institut. IX. 2.] Quintiliano „ totius voluntatis fictio est, apparens magis quam confessa: ut illic verba sint verbis diversa, hic sensus sermonis: & joci & tota interim causæ confirmatio tum etiam vita universa ironiam habere videatur: Qualis est visa Socratis. Nam ideo dictus εἴρων id est agens imperitum, & admirator [de Orat. II. 67.] aliorum, tanquam sapientum. In hac ironia dissimulantiaque, Cicerone autore, longe lepore & humanitate omnibus præstitit. Genus est perelegans, & cum gravitate salsum, cumque oratoriis dictionibus, tum urbanis sermoni- [Cic. Acad. Qu. IV, 5.] bus accommodatum. De se ipso detrahens in disputatione, plus tribuebat iis, quos nolebat refellere. Ita cum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant, quam ait etiam in Africano fuisse [De Invent. I. 31.] Fannius. *Inductio* Ciceroni definitur, „ quod sit Oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem ejus, qui cum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quædam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. Hoc modo sermonis plurimum Socrates usus est, propterea, quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, qui cum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam concessisset, necessario approbare deberet. Quam rem prolato ex Æschine Socratico * exemplo prolixe illustratam Cicero dedit. Hacque adeo ratio- [Plato Lachet. T. II. p. 186. E.] ne, qui modo cum Socrate disputaret, undecunque etiam disputationis fecisset initium, (finis enim ipsi propositus semper erant virtutis capienda incrementa) postremo [Liban. Apol.] sese circumagi sentiebat, ad rationem sui ipsius vitæ sive præteritæ, sive præsentis reddendam. Quo cum semel adactus esset, non prius dimittebatur, quam ista omnia diligentissime essent excussa, nec ante secum disputantes faciebat missos, velut Proteos quosdam novos, ** donec postremo ad seipsos redirent.

Hinc dicere solebat, arti suæ aliquid intercedere cognationis cum matris suæ arte, obstetrici enim se [Plat. Theæt. P. 149.] similem esse, ipsi, ut præ modestia dicit, parum fœcundæ, sed quæ tamen, singulari aliis opitulandi dex- [Schol. ad Arist. Nub. p. 129.] teritate prædita, earum fœtus in lucem educere laboret. Atque ea causa fuit, cur minerval accipere nollet, omnium rerum sese ignarum esse, ne- [Plato Apolog. P. 19. E.] que magistrum unquam extitisse cujusquam affirmans.

Disputationes autem Socraticas litteris discipuli ejus mandarunt, qua quidem re ceteris Xenophon prævivit, qui & primus hoc præstitit & accurate maxime, liberius ean- [Laert. II. 48.] dem operam absolvente Platone: qui multa adeo de suis adtexuit, ut non facile sit magistri dictata ab iis, quæ discipuli sunt, discernere. Unde Socrates, *Lysidem* Platonis recitari audiens, proh! Dii immortales, di- [Laert. III. 35.] xisse fertur, quam multa de me mentitur adolescens! Diserteque Xeno-

* Perperam apud Stanlejum erat, exemplum hoc peritum ex Platonis Menone esse.

** Plato Eutyphr. p. 15. D. qui locus mihi parum apte huc trahi videtur: Nam eo ab Euthyphrone, tanquam docto, & πολυπείρῳ Protei exemplo, de Religione institui cupit.

Xenoph. Ep. ad Æschin. * adde Xenophontis epistolam, quæ est XV. Socraticarum ab Allatio editarum.

Xenophon negat, unquam Socratem de cœlis, causisve naturalibus disseruisse, * neque de aliis disciplinis, quæ μαθημάτων nomine Græcis veniunt: additque illos, qui de talibus rebus eum disseruisse affirment, impudentissime mentiri: in Platonem, observante Gellio, (a) digitum intendens, in cujus libris Socrates de rebus naturalibus, Musicis & Geometricis disputans repræsentatur.

a LXIV. 3. Noct. Att.

CAP. V.

De Socratis Philosophia.

H. E. X. 36.

Porphyr. ap. Theodorit. Therap. L. I. p. 7.

Xenoph. in ἀπομνημ. L. IV. circa fin. Plato in Apol. conf. Laert. II. 45. ap. Laert. II. 19. ib. II. 45.

Cic. de Orat. III. 19.

PORphyrius, (cujus tantum, observante Nicephoro, cavillandi extitit studium, ut non minus amare perstrinxerit Socratem, quam si calumniis cum Anyto & Melito cuperet certare) „ eum nulla re ingenio valuisse affirmat, indoctum rerum omnium, qui elementa litterarum ægre pingere posset, quod ubi faceret, risu merito spectantibus fuerit, imo vix eum legendo balbutientem abecedarium vicisse. Quibus dictis Xenophontis opponenda autoritas, qui omni genere litterarum præclare animum eum cultum habuisse testatur, Arithmetica, Geometria, Astrologia: Platonem, qui naturalis philosophię: Idomeneum, qui Rhetorices: Laertium, qui Physices scientiam ei tribuunt. Verbo ut absolvam, diserte Cicero observat, omnium eruditorum testimonio, totiusque judicio Græciæ, cum prudentia, & acumine, & venustate & subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuisse facile principem.

Plato Apol. p. 22. sq.

Cumque in omnes artes atque scientias inquisivisset penitus, sequentia observavit incommoda atque defectus: Primo stolidum esse, relictis rebus humanis, ad res tractandas progredi, quæ ad hominem nihil pertineant. Secundo, res illas supra captum humanum positas esse, indeque nasci omne controversiarum & disputationum genus, aliis nullum admittentibus Deum, aliis ligna adorantibus & lapides, aliis unum ens simplex statuentibus, infinita aliis: aliis omnia moveri defendentibus, aliis nihil non esse immmobile. Tertio, quod ejusmodi res licet intelligantur, exerceri tamen nequeant: Eum enim, qui divina rimatus arcana, quæ fuerint necessariæ rerum causæ inquisiverit, nihil tamen ipsum facere posse, nec, ubi occasio postulaverit, ventos, aquas, tempestates, aliaque ejus generis producere.

Xenoph. memor. L. I. p. 710. A.

Atque ita scientiis, quæ contemplatione absolvuntur, pretium ex eo statuens demum, quod ad practicam vitam eas conferre posse animadverteret, omnia ea in scientiis rescindebat, quæ exigui esse usus arbitraretur.

Xenoph. ib. L. IV. 815. A.

de Legib. T. II. p. 522. E.

Xenoph l. c. p. 814. B.

Ibid. p. 814. D.

Arithmeticam eatenus solum approbabat, quatenus usum præstaret, qualem præstare in mercatura & acie instruenda agnoscit Plato, ab inani vero in ea occupatione suos arcebat. Geometrica eatenus commendabat, quatenus metiendæ terræ inservirent, quod & facile esset, & utile, verum ad propositiones infinitas demonstrationesque procedere vetabat, ut quod penitus usu destitueretur omni. In doctrina astrorum, scientiam siderum, noctis, mensium, tempestatum obser-

* Idem Xenophon in ἀπομνημονεύμασι repetiit, ad quem locum provocat Sextus Empiricus adv. Mathemat. p. 139.

observationem laudabat, ut quæ facile disci omnia posſent, multumque navigationi conducerent, ut & nocturnis venationibus: Sphærarum vero examinare differentiam, ſtellarumque a noſtro orbe diſtantiam, circulos item, quos emetiuntur, tanquam rem nullius emolumenti diſsuadebat.

Laert. II, 21 Poſtremo animadvertens, rerum naturalium contemplationem non multum utilitatis humanæ vitæ afferre, ad actionem omnia revocavit. „Primusque a rebus occultis, Cic. Acad. Qu. I, 5. „& ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum philoſophi „occupati fuerunt, avocavit philoſophiam, & ad vitam communem adduxit: ut de virtutibus & „vitiis, omninoque de bonis rebus „& malis quæreret.

Cum homo autem, quem unice ejus philoſophia ſpectabat, duabus fere rebus occupetur, contemplatione Dei, & converſatione cum hominibus. Hinc doctrinam ejus bifariam partimur. *Metaphyſica* enim ea eſt, in quantum ſpectat primum illud, *moralis*, in quantum ad poſterius refertur.

SECT. I.

De Metaphyſicis.

Metaphyſicorum iſtam fere ex Platone, Xenophonte, Plutarcho & ceteris epitomen conficias:

Plat. Phædon. p. 64. ſq. 82. B conf Serran. argum Plutarch. Placit. I, 31 Philoſophia vera ad felicitatem eſt via, eiuſque duo ſunt munera, primo ut Deum contempletur, tum vero, ut mentem a corporis revocet ſenſu.

Tria vero omnium rerum ſunt principia, *Deus*, *materia*, *idea*. *Deus* eſt intellectus univerſalis. *Materia*, id, quod generationes ſubit & corruptiones. *Idea* ſubſtantia eſt corporis expers, in mente & conceptu Dei. Mens vero mundi eſt Deus. Plat. Phæd. p. 78. D. p. 76. E. p. 106. D.

Deus eſt τὸ ἓν, αὐτὸ ἕκαστον, αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ τὸ ζωῆς εἶδος, in ſeipſo perfectus, omnibus creaturis & ut ſint, & ut bene ſit eis, largitus. Ille quid ſit, ſe quidem ignorare ajebat Socrates, hoc tamen ſcire, quid non ſit.

„*Deum* porro, non *caſum*, hujus Xenoph. l. I, mem. p. 725 ſq. „mundi cauſam aiebat eſse, omniumque rerum conditarum: „quod demonſtrari poſse aiebat ex „arte, quæ in ſapientiſſima partium omnium coniunctione appareat, utilitati pariter atque tutelæ inſerviente: ex omnium item „in conſervationem ſuam ſtudio, & „generis propagationem. Eum hominis imprimis curam gerere, ſive corpus ſpectes, ut ex erecto e„jus pateat inceſsu, ex linguæ facultate, ex perpetua in venerem „propenſione: ſive animum, qui „omnium aliorum facultates excellat: ſive utrumque, quod divinationes & periculorum imminentium præſagia ſuadeant. Rerum „particularium curam ei eſse, id, „quod ex generis cuiuſvis rerum „pateat conſervatione. Præmia ab „eo manere illos, qui placuerint ipſi; diſplicentibus pœnas decerni, „idque probare eius id ipſum faciendi potentiam, humanique animi conſcientiam ei divinitus inditam, quæ id facturum eſse Deum „perſuadeat, & quam nulla non „ætas, nulla non civitas, paulo cultior prodat. Eum temporis momento mentis acie cognoſcere omnia, „humani oculi perſuadere celeritatem, qui momento aliquot milliarium amplitudinem complectatur, men-

„mentisque ipsius, quę locis maxime „dissitis gesta, nulla interposita „mora, consideret. Talem postre- „mo eum esse ac tantum, ut uno actu „omnia videat, audiat omnia, ubi- „que existat, omnia gubernet. „ Atque illa est summa ejus cum Aristodemo disputationis: cui subjungere par est illud a Stobæo (a) nomine ejus, modo tamen errore id factum haut sit, allegatum:

a Invenio ap. Anton. & Max. s. de providen t. qui est. cc lxxxiv. in ed, Vvechel. 1581

Si quid cura potest, cures, at si Deus ipse,
Te curat, quid te solicitum esse juvat?

Deos omnia, quæ dicerentur, vel agerentur, vel clam deliberarentur, scire arbitrabatur. (b)

b Xenop. L. I. Mem. Socr. p. 711. C.

„Deum omnium rerum conditarum curam gerere, (c) ex beneficiis, quæ ipsis impertitur, demonstrari posse, qualia sint lux, a qua „ignis, frugum terræ, anni tempestatibus conveniens, productio. „Hominem peculiariter sua eum „providentia complecti, atque id „probare omnium plantarum, cete„rarumque creaturarum, in homi„nis usum conservationem, earun„dem erga hominem obsequium, vi„ribus licet eum antecellant, sen„suum varietatem, variis rebus ac„commodatam, necessitatis, usus „atque oblectationis causa: Ratio„nem item, qua reminiscentiæ ope „varie ratiocinetur, res sensiles por„ro, & orationem, qua omnem sci„entiam suam cum aliis communi„cet, leges ferat, rempublicam ad„ministret. Deum autem, utut vi„deri non possit, esse tamen, argu„mento a ministris ejus ducto con„firmari, qui & ipsi nequeant vide„ri: quales tonitrua sint & venti, „& humana mens, quæ referat quodammodo divinam naturam, eo, „quod illos gubernet, quibus vi„dendam tamen se non præbeat. „ Atque ea summa est eorum, quæ apud Euthydemum disseruit.

c Id L. IV. p. 800. C. seqq.

Animam esse immortalem: id quod semper movetur enim, immortale esse: id vero, quod aliud movet, vel movetur ab alio, cessationem vitę motusque admittere.

Plat. Phædr. p. 245. C. Schol. ad Arist. Nub. p. 128.

Animam ante corpus existere, æternarum idearum cognitione imbutam, quam tamen, dum huic conjungitur corpori, amittat, stupefacta quasi, donec ex stupore suo excitetur per ratiocinationem, a rebus sensilibus initium ducentem. Atque adeo quicquid discit, reminiscentiam tantum esse, atque olim amissæ scientiæ recuperationem.

Plat. Phædon p. 72. E seqq.

Corpus, compositum cum existat, morte dissolvi, animam vero, quæ simplex & compositionis sit expers, in aliam vitam commigrare, nulli obnoxiam corruptioni. „ Animos „hominum divinos esse, iisque, cum „e corpore excessissent, reditum in „cœlum patere, optimoque & ju„stissimo cuique expeditissimum.

ib. p. 80. sq.

Cic. Laelt. c. V.

Bonorum post mortem animos beatitudine frui, cum Deo in loco jucundo, & ad quem accessus mortalium nemini pateat, conjunctos: Malos in locis convenientibus pœnis promeritis affici. Loca vero illa, quæ sint, definire velle, hominis esse νοῦν μὴ ἔχοντος. Unde interrogatus, quænam in altero mundo fiant obvia, se neque ipsum ibi unquam fuisse, neque cum ullo eorum, qui inde redirent, locutum esse, affirmabat.

Plat. Phædon. p. 106. seqq.

ap. Anton. & Max. serm. de morte qui est cclxxi. Ed. Gesner 1581.

SEC.

SEC. II.

Ethica.

IN doctrina morum vel hominem solum spectandum docet, vel ut est paterfamilias, vel ut civitatis est membrum. Ad primum spectant Ethica ejus, ex quibus sententiarum, a Xenophonte, Diogene Laertio, & Stobeo conservatarum, hanc exhibemus collectionem.

DE VIRTUTE ET VITIO.

Xenoph. memor. Socr. L. I. p. 720. A. B. Familiares suos ut sapientes & usui omnibus essent, hortabatur. Nam quod ratione caret, ei reverentiam quoque nullam ajebat haberi: Sic corpora amicorum defunctorum, pilos, ungues aliaque ejus generis abscindi atque projici.

ibid. D. Labore occupari bonum esse, contraque otium noxium esse & malum, quicunque autem boni quid facerent, eos operari, qui ludendo tempus consumerent, eos otiosos esse.

Xenoph L. III. p. 778. Debere omnes, sive sint præstantiore a natura indole præditi, sive hebetiores, ea discere ac meditari, in quibus excellere velint.

p. 779. D. Eos demum otiosos esse, qui præstantioribus operam navare possint, quam sint ea, quibus incumbant.

ib 780. C. Bene facere optimam esse vivendi rationem, in quam *nihil* * fortunæ liceat.

ib. D. Homines optimos Deoque acceptissimos esse, qui quamcunque artem recte facerent. At, qui nihil recte agit, eum neque utilem ad quidquam esse, neque acceptum Deo.

a Clem. Alexand. Str. l. p. 417. D. „Eundem esse virum justum & „beatum ubique docuit, (*a*) eumq; „execrabatur, (*b*) qui primus justum „ab utili divisit, res sua natura con„junctissimas, ut qui rem fecerit im„piam. Nempe vere impii illi sunt, „qui utile a justo sejungunt, hoc e„nim a lege pendet. Socratem ea „parte hucusque sequuntur Stoici, „ut quicquid honestum est, idem „utile etiam esse putent. b Cic Off. c. III. c. 19. De leg. I, 12.

Menonem Thessalum, qui in disserendo satis exercitatus, omninoque in summo, juxta illud Empedocleum, sapientiæ versari culmine videbatur, interrogabat, virtus quid esset? Cumque respondisset satis prompte atque proterve, virtutem & pueri esse, & senis, & viri, & feminæ, & magistratus, & privati, & Domini, & servi: Tu vero, respondit, præclare, qui de una interrogatus virtute, velut apiarium quoddam virtutum excitasti. Non male coniiciens, ab homine, qui ne unicam quidem cognitam virtutem haberet, plures nominari. Plutarch. de amic. mult. p.

A Gorgia interrogatus, quid de Persarum Rege sentiret, an felicem eum putaret? se nescire, respondit, quam probe animum virtute atque doctrina imbutum habeat. Scilicet in hisce felicitatem ponens, non in bonis, fortunæ obnoxiis. Plutarch. π. παιδ. αγ. p. 6. A.

Laert. I. II, 33. Cum Euripides in Auge de virtute dixisset: *Optimum est, temere hac dimittere atque relinquere*. Surgens egressus est, ridiculum esse dicens, mancipium, si quod se subduxerit, dignum id investigatione haberi, virtutem vero ita sinere disperire.

ibid. Dicebat mirari se, cur hi, qui lapidea signa sculperent, summa ope niterentur, ut lapis homini quam simillimus evadat, seipsos curare negli-

* *Nihil* vocem supplevi, quam exigere Xenophontis contextus videbatur. Ap. Stanlejum, nescio cujus culpa, erat, *in qua fortuna aliquid liceat*.

gligerent, ne lap idibus similes & sint, & videantur.

Ibid. Hortabatur & juvenes, ut jugiter se in speculo intuerentur, ut, si formosi quidem essent, digni ea specie fierent: sin deformes, eruditione deformitatem tegerent.

Ibid II, 32. Bene incipere parvum non esse, *sed ab exiguo momento pendere*. *

Virtutem (*a*) esse animæ pulchritudinem, turpitudinem ejus vitium esse.

Pulchritudinem corporis (*b*) pulchræ animæ ajebat esse indicium, ideoque formosos maxime discipulos cooptabat.

In vita perinde ac in simulachro omnes partes pulchras esse oportere. (*c*)

Thus Diis, Laurum bonis viris esse tribuendam. (*d*)

Defendendos esse, qui accusantur immerentes, laude ornandos; qui bono aliquo excellunt, atque ceteris præstant. (*e*)

Equum generosum non sumtuose ornatum, sed indole excellentem æstimari, sic nec viro ex opibus, sed ex ingenio pretium esse statuendum. (*f*)

Nec ignem vestimento, nec facinus fœdum tempore posse occultari. (*g*)

Rogatus, quinam tranquille viverent? illi, inquit, qui nullius sibi conscii criminis sunt. (*h*)

Nobilitas quid esset? sciscitanti, animi, respondit, & corporis bona temperies. (*i*)

DE AFFECTIBUS AMORE, INVIDIA, TRISTITIA.

Fratres, ex intentione Dei, magis quam manus duas sibi auxilio esse debere, magis item, quam pedes, vel oculi, aut quicquid geminum natura finxit; eam haut obscure ob causam, quod, si amore mutuo conjungantur, longissime mutuo præstandi ab eis auxilii vis porrigatur, Hocque est, quod prolixa ad Chærecratem oratione Socrates demonstravit. (*K*)

Desinit in hanc sententiam posterior ejus cum Aristippo confabulatio: Omnes res bonas atque opportunas esse eis, quibus conveniant, malas vero atque fœdas, si ad ea referantur, quibus conveniant minus. (*l*)

Invidiam esse dolorem non in amicorum adversis rebus, nec in secundis hostium. Sed eos solum invidere, qui iniquo animo ferant bonam fortunam eorum, quorum adversam fortunam non minus inique essent laturi. (*m*)

Neque navim una solum anchora, neque vitam unica spe oportere muniri. (*n*)

Malo consilio spem superstruere, nil aliud esse, quam navim infirmæ anchoræ committere. (*o*)

Pulchritudinem famæ ex invidia ceu morbo quodam marcescere. (*p*)

Multos in monimenta defunctorum gratos se exhibere & beneficos, quos vivos antea per invidiam dolore affecerint. (*q*)

Invidiam ulcus esse animæ. (*r*)

Nihil natura jucundum esse, vel injucundum, sed omnia talia consuetudine fieri. (*s*)

Amorem intempestivum similem odio esse, (*t*)

Interrogatus, quid bonis molestum esset? dixit: Prosperitas improborum. (*u*)

Ro-

a Clem. Al. Str. V, p. 594. C.
b Nonn. in Greg. ſteliut. Max. Tyr. Dis. XI, p. 142.
c Stob. S. I. p. 4.
d ibid.
e ibid.
f ibid.
g Stob. serm. VI. p. 80.
h Stob. S. XXIV, p. 192.
i Id. s. XXCIV. p. 474.
K Xenoph Memor. L. II, p. 741. E seqq.
l Xenoph. L. III d. 776. B-s.
m Xenop. L. III. p. 77;. B.
n Stob. Serm. CIX p. 581.
o Stob. serm. II. q. 33
p Id. serm. XXXIIX. 224.
q Ex Anton & Maxim. serm. XXIII. p. 35.
r Stob. serm. XXXVIII. p. 224.
s Ex Anton. & Max. s. XX p. 31.
t Ex iis. s. CXXXVII. d. 216.
u Ex Hsd. serm. CXLIV.

* παρὰ μικρὸν quid sit, explicat Aristot. Polit. V, 3. 4. & Physic. II, 4. conf. Aldobrand. & Mer. Casaub. ad illum locum Laertii.

Rogatus item, quomodo quis vitam tristitia vacuam degeret? respondit, fieri non posse, ut, qui in civitate habitat, aut familia, & cum hominibus versatur, nonnunquam tristitia non afficiatur. (x)

x ibid.

Spem malam sicut malum viæ ducem ad peccata ducere. (y)

y Stob. serm. CLX. p 581.

Nec mulierem sine viro, nec spem bonam sine labore quidquam parere utile. (z)

z Ex Maximo & Anton. serm. CXLIX. p. 239.

Hyemem operimenta, senectutem autem indolentiam requirere. (a)

a Stob. serm. CXVI. p. 594.

In vita tanquam in theatro tamdiu permanendum esse, quamdiu rerum & operum hujus vitæ jucundum fuerit spectaculum. (b)

b Stob. s. CXX. p. 612.

Ut amens vinculis, ita indoctum institutione esse vinciendum. (c)

c Xenoph. Memor. I. p 719. C.

Colloquii ejus cum Euthero eo summa redit, (d) evitandos esse, qui omnia reprehendere gestiunt, eorum quærendam familiaritatem, quorum candor sit conspicuus: Ea suscipienda, quæ perficere possis, vitanda, quæ vires excedant: Et, si quid susceptum semel fuerit, id summo studio esse urgendum.

d Xenoph. Memor. II. p. 757. E. seqq.

Sapientis officium esse ajebat, uti eis, quæ bona ac honesta esse agnosceret, vitare vero, quæ turpia esse sciret. (e)

e Id. L. III. Memor. p. 778. C.

Eos, qui sciunt, quid agere oporteat, & his contraria faciunt, sapientes ac temperantes non esse, sed potius insipientes ac stupidos. (f)

f ibid.

Justitiam æque ac omnem aliam virtutem sapientiam esse.

Ibid. E.

Ignorare seipsum, & quæ quis nesciat opinari, ac scire velle, proximum esse insaniæ.

Ibid. p. 778. A.

Eum esse pium, qui Deos honore afficit. Justum esse, qui sciat quæ lege hominibus debeantur. Sapientem eatenus quemvis esse, quatenus novit id quod est utile pulchrum esse ad id, ad quod utile fuerit. Fortes denique eos, qui sciant, ut rebus terribilibus, & alea plenis, debeant uti. Atque illa est sermonum summa, quos cum Euthydemo instituit.

Id. L. IV. p. 811. A. — Ib. E. — Ib. p. 812. B

Hominis sapientiam in eo consistere unice ajebat, ut ea, quæ nesciat, neque scire se putet.

Plato A. pol. init.

Cuidam nihil ad se ex peregrinatione commodi redundasse, conquesto, *quid mirari s*, respondit, *nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas?*

Senec. Ep. 28. & 104.

Unicum bonum scientiam, malum contra unicum inscitiam esse, Opes vero ac nobilitatem non solum nihil in se habere honestatis, verum & omne malum ex iis oboriri.

Laert. II, 31.

Cum sapiens os suum aperuerit, animæ pulcherrima simulachra tanquam in templo perspici.

Stob. s. I p. 4.

Navigando gubernatori, vivendo illi, qui plus ratione valeat, auscultandum esse.

Stob. s. III. p. 39.

Quid prudentia esset? interrogatus, animi, respondit, concinnitas; Roganti, quinam prudentes essent? qui non facile aberrant, dixit.

Ibid.

Animę rationem ipsam augere seipsam: & oportere in vita, tanquam in fabula quadam, primas dicendi partes obtinere non ditissimum, sed prudentissimum.

Stob. ib. p. 46.

Fugitivos, etsi nullo persequente, sibi metuere, insipientes autem licet nihil eis adversetur fortuna perturbari.

Ib. ser. IV. p. 56. in it.

Adolescentulum videns divitem & imperitum, videte, dixit, mancipium aureum.

Ib. fin.

Luxuriosos, cum ægrotant, stultos, cum fortunam sinistram experiuntur, agere posse curari.

Ib. p. 58.

Ti-

Ib. p. 59. Timidum quidem armis contra seipsum uti, stultum pecuniis.

Ib. p. 60. Neque Achillis arma Thersiti, neque animi bona homini stulto convenire.

Id. Serm. LXXIX. p. 469. In bello quidem ferrum auro præstare ad defendendum sese: in vita autem sapientiam divitiis.

DE PIETATE ET OBEDIENTIA.

Xenoph. Memor. L. II. p. 741. Cum Lamprocle quæ locutus est, huc fere redibant: Maximum esse vitium, ingratum se beneficiis præbere. Beneficiorum maximum a parentibus nos habere: Filio immorigero nec Dei bonam voluntatem, neque hominum favorem esse expectandum ut quibus verendum sit utrinque, ne male gratiam referat, quam non referre sciat illis quibus cum maxime id debeatur.

Id. Lib. I. p. 722. C. Precari nos id solum oportere, ut bona Dii largiantur: Quæ enim bona nobis sint optime nosse ipsos Deos. Sacrificia nostra facultates non debere excedere, quandoquidem Dii animi magis integritatem quam munera respiciant.

Ibid. B & L. IV. p. 803, B. Cum Pythio oraculo docebat, Deos colendos esse, iuxta civitatis, in qua quis degat, instituta, secus agentes superstitionis & vanitatis arguebat.

Id L. IV. p. 803 B. Deos religiosius & rectius coli non posse, quam ea, quæ iubent, faciendo.

Stob. S. XXII. p. 187. Superstitionem superbiæ, tanquam parenti, morigeram esse.

Stob. S. LXXVII. p. 456. Patri, quamvis aspero, sicut legi duriori, morem tamen esse gerendum.

Id. Serm. LXXXI. p. 474. Patris increpationem suave remedium esse, plus enim utilitatis quam mordacitatis habere.

DE FORTITUDINE ET IMBECILLITATE.

Xenoph. Memor. II. p. 733, 64. Disputationis eius cum Aristippo argumentum est istud:

Oportere virum obfirmare seipsum, ad labores atque ærumnas libenter sustinendas, ita ut quod necessitas imposuerit, non invito, sed lubenti, evenire videatur. Mollem vitam, atque deliciis affluentem, neque corporis sanitati, neque mentis profectibus conducere. Tolerantiam vero magnis facinoribus nos idoneos reddere.

Cuidam, Olympiam iter pedestre reformidanti, demonstrabat, eum, si deambulationes, quas domi faciat, extenderit, confectum habiturum Olympiam iter. Id. L. III. p. 818. B.

Quum alius diceret, se longo defessum esse itinere, eum ille reprehendebat, quod magis, quam qui eum secutus esset, graveque onus gestaverat, servus, fatigatum sese ostendat. Plutarch. Consol. ad Apoll. p. 107. E.

Mortem persimilem ajebat esse vel profundissimo somno, vel peregrinationi longinquæ & diuturnæ, vel utique extinctioni animi iuxta ac corporis: quæ singula deinde examinans, quicquid ex illis admittatur, mortem malam haut esse ostendit. Primum enim, ut est apud Plutarchum, cum dormientibus male non agi ostendebat: eumq; somnum suavissimum censeri, profundissimus qui sit. Quod si peregrinationi similis sit mors, bonum esse potius, liberari enim nos a servitute carnis, & passionibus ejus, mentem stoliditate implentibus. Si extinctio sit corporis & animi, omnis mali atque doloris nos exuere sensu, perinde ac sensu omnis boni, omnisque voluptatis.

Statuam sua basi, virum, virtuti deditum, bono proposito nixum immotum esse debere. Stob. S. I. p. 4.

Qui

Qui lubens perfert labores, eum bona quadam spe recreari. Otia vero & momentaneas voluptates, neque corporis bonam constitutionem efficere posse, neque animi profectibus conducere (a)

a Ex Anton. & Max Ser. V, p. 11. desumta videntur ex Zenoph. L. II. memor. p. 374. Quid fortitudo sit? interrogatus, animi, respondit, & corporis motus (b)

b Stob. S. VII p. 87. Conspicatus Corinthiorum portas valide clausas; Num, dixit, mulieres hic habitant? (c)

c Ex Anton. & Max Ser. XXXIX. p. 57. Honeste, aiebat, potius mori velis, quam turpiter vivere.

Ex iisd. Serm. CLV. p. 248. Libertatis sororem otium esse aiebat, testesque eius rei Persas & Indos allegabat, qui utrique segnissimi essent ad negotia. Phrygas contra & Lydos ad opus faciendum promtissimos esse, servi quod existerent. Aelian. Var. Hist. X, 14.

DE TEMPERANTIA, CONTINENTIA, ATQUE ANIMO SUA SORTE CONTENTO.

Zen. memor. L. p. 721. E. Omnem occasionem vitari iubebat incontinentiæ, non facile eam tueri virtutem posse affirmans, qui multum cum formosis conversarentur.

Ib. B. C. Conspectum atque oscula formosorum venenum infundere, araneorum & phalangiorum veneno acrius: id quod demonstrat instituta cum Critobulo disputatione.

Zenoph. l. c. p. 729. B. Neminem prudentem atque ingenuum servum intemperantem sibi adsciturum, illi vero, qui voluptatibus eiusmodi servit, Deos esse obsecrandos, ut Dominum meliorem nanciscatur.

Id. L. I. p. 731. A. Disputationem cum Antiphonte in id fere desinere animadvertas: non consistere in luxu & superbia felicitatem, sed nulla re indigere divinum, quam paucissimis, proximum divinæ naturæ esse.

Illis, qui in conviviis ægre sibi possunt temperare, auctor erat, ut ab iis sibi caverent, quæ suadent, ut, tametsi quis non esuriat, nihilominus tamen edat, bibatve, siti nulla urgente. Quin etiam per iocum narrabat: Circen ex hominibus hoc modo sues fecisse, quod multis eiusmodi rebus eos in conviviis exciperet. Verum Ulyssem partim Mercurii monitu, partim quod ipse temperans esset, seque cohiberet, in suem haut fuisse mutatum. Ib. p. 732. C.

Summa disputationis eius cum Epigene hæc est: diligenter tuendam corporis esse sanitatem, ab ea enim animæ quoque salutem pendere. Id. L. III. p. 786. sq.

Quum parum suaviter se comedere nonnemo diceret: eum, ut comedere cessaret, monuit, sic enim suavius, & cum minore apparatu, & valetudini convenientius victurum. Ibid. p. 787. D.

In Verba εὐωχεῖσθαι, *convivari*, particulam εὖ additam esse, ut ea comedantur, quæ neque animum *lædant*, neque corpus, neque inventu difficilia existant, docebat. Ibid. p. 789. E.

Colloquium cum Euthydemo huc spectat: Temperantes solos esse eos, qui optimorum habito delectu a pessimis sese abstinent. Temperantia item homines & excellentiam consequi, & felicitatem, & sermonibus instituendis idoneos reddi. L. IV. p. 795. sq.

Amicorum nonneminem dicere audiens, quanta in hac urbe vivitur impensa! Mina venditur vinum Chium, purpura tribus, mellis hemina quinis denariis; Eum ad farinas adduxit, heic, dicens semisextarius venditur obolo, paucis in urbe vivitur. Tum ad olivas, duobus inquiens æreis chœnix venit: deinde ad exomides, Plut. de an. tranq. p. 470. A.

-mides, hanc decem drachmis vendi vestem, vileque esse rerum in urbe pretium indicans.

Laert. II, 27. Cibi ex fame appetentem, deliciis: Sitientem, vino non facile parabili opus haut quaquam habere.

Ibid. s. 31. Quietem & otium ut possessionum omnium pulcherrimam laudabat.

s. 32. Præcoces fructus qui magno emerent, eos desperare aiebat, se diu supervicturos. Quæ Juvenis virtus sit? interrogatus: Nihil nimis, respondit.

Xenoph. Memor. L. III. p. 789. B. Athen. L. V. p. 186. E. Obsonium avidius * devorantem videns una cum pane, vos, dixit, qui propius assidetis, observate, num pane pro obsonio, an obsonio pro pane utatur.

Ælian. IX, 29. Quum ei diceret nonnemo, magnum esse *abstinere* † ab iis, quæ quis concupiscat: sed multo majus est, respondit, ne cupere quidem quicquam omnino.

Stob. ser. III, p. 48. Pulchrum esse ajebat in foco ignem conspici splendidum, in felicitate animum.

Stob. ser. V. p. 65. Oportere nos voluptates non ex aliis, sed ex nobis ipsis aucupari, corpusque, ut decet, præparatum esse oportere.

Ibid. Nulla re indigere, Dei esse, quam paucissimis autem, Deo proximum.

Ibid. Interrogatus, quibusnam rebus abstinendum esset maxime? turpibus & iniustis voluptatibus respondit.

Ex Ant. & Max s. XXXIII. p. 44. Interrogatus, quis ei ditissimus videretur? Qui, dixit, minimis est contentus, nam contentum esse naturæ continet divitias.

Ibid. s. LXIV. p. 205. Interrogatus, quid esset continentia? coerce re & vincere corporis voluptatem, respondit.

Malos vivere ut edant, ajebat, bonos, edere ut vivant. †† Ex iisd. s. LXVII. p. 114. Laert. II, 34.

Quum te diligere & appetere dixerit mulier, tum ab illa magis metuendum tibi est, quam cum convitiatur. Ex iisd. s. CXXIV. p. 198.

DE LIBERALITATE, PRODIGALITATE ET AVARITIA.

Pecuniam ab aliis accipientes eorum servos fieri existimabat, infimo servitutis genere. *

Sapientiam eos, qui pecuniam accipiant, ejus communicandæ causa, prostituere non minus, quam qui formam prostituant. Illi, quem egregia indole præditum esse quis animadvertat, impertiendum esse quicquid boni sciat, amicum ut eum faciat, bonique civis officium obeat. Atque eo summa redit secundæ ejus cum Antiphonte disputationis. * Xen. memor. L. p. 712. B. ubi sui ipsius plagiarios tales vocat. Ibid p. 711. D.

Divitem, opibus suis superbientem, se quidem laudare posse negabat, donec ut eas collocaret cognovisset. Basil. Hom. XXIV. de legen. Gentil. libr p. 783. B.

Nec equo sine freno, neque divitiis sine ratione tuto uti quempiam posse. Stob. ser. III p. 48.

Avaros cum avibus comparabat, quarum alia deglutit, quicquid invenerit, & quandoque suffocatur: aliæ vero sequuntur, ut, quod habet, ei extorqueant, & ipsæ quoque aliæ post alias suffocantur. Stob. ser. XVII. p. 155 Anton. & Max s XLI. p. 64. Ex iisd. s. XLII. p. 65. Ex iisd. s. LVIII. p. 96. Stob. s. XVII. p. 155.

Avarorum divitias, ut sol post occasum, neminem mortalium oblectare.

Qui diviti largitur, nihil ab eo differre, qui aquam in mare profundat.

Avarorum vitam funerali convivio esse similem, omnia enim cum ha-

---

* Hæc confuse atque obscure a Stanlejo repræsentata ex Xenophõte restituenda putavi.

† Apud Ælian. habetur ἴσχειν, hoc sensu: *Magnum esse si quis optatis* potiatur.

†† Ap. Laert. & Stob. est; Homines vivere ut edant, se edere ut vivat.

habeat, hominem qui præsentibus hilariter fruatur, non habere.

Anton. & Max. S. CXL. p. 121. Prodigorum bona ficui arbori comparabat, positæ in loco præcipiti & abrupto, de qua homines nihil accipiant, sed corvi & milvi: quemadmodum ab illis scorta & adulatores.

ibid. Interrogatus, qui sint avari & pecuniæ studiosi? qui turpia, inquit, lucra venantur, & necessarios amicos contemnunt.

Id. S. CXLII. p. 248. Vinum mutari cum vasis, divitias autem sequi mores possidentium.

DE MAGNANIMITATE ET SUPERBIA.

Xenoph. L. I. Memor. p. 737. C. Excandescente nonnemine, quod, salutato nonnemine, ab eo non esset vicissim salutatus: Ridiculum esse ajebat, eum ægre non ferentem si cui occurrat, forma corporis minus commoda, quam sua esset, utenti; irasci tamen si cui occurrat, moribus qui minus sit commodis.

Stob. S. XXII. p. 189. Apud superbiam ceu apud malum figulum, aut statuarium, perversas rerum repræsentari imagines.

Ibid. Utres quidem inanes ventum, stultos autem opinionem distendere.

Ex Ant. & Max. S. CXLVII. p. 274. Idem esse in secunda fortuna altum sapere, & in lubrica via cursu contendere.

DE PATIENTIA.

Plut. de sera Num. vind. p. 552. A. Si in aquam turbatam quis incidat, eamque ob incontinentiam bibat; minus in eo esse mali, quam si animo conturbato, iræque pleno & furoris, priusquam subsistat ille & purus fiat, ad satisfaciendum animo ex cognatorum atque gentilium suppliciis te conferas.

Id. de Consol. ad Apo. p. 106. B. Si in unum congereremus nostras adversitates, ea conditione, ut æqualem inde unusquisque portionem auferret, plerosque libenter, receptis quas adtulissent, abituros.

Stob. S. CVIII. p. 579. Idem esse ac si in Gymnico certamine victus iniuriæ actionem adversario intentet, si quis in vita, a fortuna victus, eam accusare sustineat nescius quo jure quibusque legibus in vitæ certamen cum ipsa descenderimus.

DE VERACITATE, ET ADULATIONE.

Xenoph. Memor. L. I. p. 731. A. Viam ad gloriam meliorem nullam esse, quam ut quis bonus sit, videri nolit.

Stob. S. XIV. p. 148. Adulatorum benevolentiam, quasi in fugam actam, fortuna adversa recedere.

ibid. Lepores quidem canibus venatores capere, stultos laudibus passim a multis capi.

ibid. Lupos canibus, asentatores amicis simillimos esse, diversissima tamen utrosque studia sequi.

Ibid. Adulationem pictis similem armis esse, delectationem enim quidem, non usum præstare.

Ex Ant. & Max. S. LII. p. 96. Fideles existimandos, non qui dicta & facta tua laudaverint omnia, sed qui peccata reprehendant.

Id. S. LIII. p. 99. Loquacem et calumniatorem non admittendum: eos enim non benevolentia ductos agere quod agunt: similiterque quæ quisque dixerit, aliis expositurus.

Id. S. LXXXV. p. 145. Bonos viros iis oportere moribus esse, ut major sit iis quam juramento fides.

DE URBANITATE ET COMITATE.

Plut. de sanit. tuenda. p. 130. F. Ei, qui saltando exercere corpus velit, exigua domo opus esse: qui sermones terere velit, ei quemvis locum sufficere.

Stob. S. VI. p. 80. Ignem quidem vento, amorem au-

autem conversatione accendi.

Max. & Ant. ser. XLIX. p. 74. Libertatis, ut cujusque partis anni, in tempore gratiam esse magis jucundam.

Iid. Serm. XCV. p. 157. Arrogantiæ est, omnia dicere, nihil autem audire velle.

Iid. serm. CLXX. p. 278. Aut quam minime cum potentibus, aut quam iucundissime colloquendum.

DE JUSTITIA.

Xenoph. Memor. L. IV. p. 804. seq. Disputationis ejus cum Hippia summa in hoc consistit: Res justissimas Deos lege mandare, idemque apud eos *justum* esse et *legitimum*.

Stob. s. X. p. 134. Qui lucrum turpiter quæsitum ad honestos in civitate usus expendunt, simile quid facere illis, qui sacrilegia ad pietatem et religionem convertunt.

DE AMICITIA.

Xenoph. Memor. II, p. 746. sq. Ejus de amicitia disputationi iste præ positus scopus est: Omnium bonorum fertilissimum esse amicum moderatum, & virtutis amantem.

Ibid, p. 784 sq. A. Cum Antisthene de eo egit, quod unusquisque expendere debeat, quid prodesse amico valeat, utque operam navet, quo maximum sui apud eum pretium existat.

Ibid D. Sermonum cum Critobulo hæc est summa: Improbos amicos esse non posse, sive invicem sibi, sive bonis. Comparandi amicos viam hanc esse, ut primo quis studeat esse bonus in iis, in quibus talis cupiat videri. Omnes vero virtutes studio & doctrina incrementa capere posse.

Ibid. p. 755. Amicorum necessitatibus pro viribus subveniendum esse, Aristarcho demonstrat.

Plut de frat. amor. p. 476. E. Darium se malle amicum habere ajebat, quam Daricum: quod est monetæ ab eo appellatum genus.

Laer. II. 30 Mirari se ajebat, facile quemvis recensere negotio quæ possideat alia, amicos neminem.

Anton. & Max. s. CXXXV. p. 213. ibid. Amicitiam qui violant, etsi injuria affectorum effugiant supplicium, certe Dei non effugere ultionem.

Qui fratribus præteritis alios sibi amicos acquirunt, iis esse similes, qui suo agro relicto colant alienum.

Amicum sincerum in rebus adversis non esse timendum. Ibid.

Neque frumentum optimum nos judicare, quod in pulcherrimo agro natum est, sed quod commode nutrit: neque virum bonum & studiosum, aut amicum benevolum, qui genere clarus, sed qui moribus egregiis fuerit. Stob. serm. LXXXIV. p. 494.

Medicos ægrotis, amicos infortunatis consulere oportere. Id. s. CXII. p. 548.

Jucundum esse, sensibus integris cum amico bono senescere. Anton. & Max. s. CL. p. 240.

SECT. III.

Oeconomica.

AD hominem, qua pater est familiæ, *Oeconomica* eius pertinent, quæ ab Ischomacho didicit, tradita a Xenophonte in peculiari de eo argumento opere, cui addi possunt sententiæ sequentes.

Aedes altius esse ædificandas, ea qua meridiem spectant parte, ut sol hybernus non excludatur: humilius vero, qua septentriones spectant, ne venti frigidi possint incidere: ita denique ordinandam, ut quavis parte sit jucundissima, & sanitati convenientissima. Picturas vero & colorum varietatem plus adimere oblectationis, quam afferre. Xenoph. memor. III. p. 777. C.

Servum suum vehementer verberanti nonnemini, quod voracissimus esset, atque inertissimus; tune vero, dicebat, unquam considerasti, uter plures plagas mereatur, tune, an servus tuus? Ib. p. 788. A

Laer. II. 33. Interrogatus utrum melius esset, uxorem ducere, an non ducere? Utrumvis, inquit, horum egeris, pœnitentia duceris.

Stobæus serm. CXXIV. p. 198. Aliis de ratione matrimonii contrahendi eum consulentibus, dixit, quemadmodum pisces, qui nondum intra nassas sunt, intrare cupiunt: qui intus autem sunt, jamiam exire desiderant; sic & vos, ne idem vobis accidat, videte.

Stobæus serm. CXXII. 443. Viros oportet civitatis legibus obedire, uxores autem maritorum ingeniis.

SECT. IV.

Politica.

He sych. Plat. Ad hominem in societatem spectatum *Politica* ejus pertinent, quæ eadem cum Platonicis statuit Hesychius Illustrius, *Politicorum* nomine publicatis. Ubi adeo ea reperire est, stylo licet & assumentis Platonis deformata. Iis tamen sequentes addas licet illius generis sententias, ex Xenophonte, Stobæo, aliisque collectas.

Xenoph. mem. I, p. 721. B. Eos, qui occasione ita ferente vel exercitui, vel civitati, vel Reipublicæ nesciant inservire, & tamen rebus suis confidunt, utcunque opibus valeant, aliis obnoxios esse oportere.

Xenop. mem. I, p. 731. E. Quum ab Antiphonte esset interrogatus, quo pacto alios in civili prudentia se instituere posse credat, ipse vero Rempublicam non attingat, si quidem ejus rei sibi peritia sit? respondit: utro modo, o Antipho, magis Reipublicæ tracto negotia? an si id faciam solus? an si, ut plures ei negotio idonei evadant, operam navem?

id. mem. III, 777. E. Templis ac aris locum illum esse convenientissimum, qui apertissimus pariter sit, ac minime tritus. Nam jucundum esse, ut ii, qui orare volunt, videant: neque minus jucundum ut puri accedant.

Reges ac Principes non illos dicebat esse, qui sceptra teneant, nec illos, qui vel a promiscua multitudine sint delecti, vel sorte, vi, fraudibus eo pervenerint, sed quotquot imperandi artibus sunt instructi. Ibid. p. 871 D.

Regem esse qui volentibus imperet: qui invitis præsit, non ex lege, sed ex arbitrio, tyrannum eum esse. Porro, ubi magistratus ex iis constituantur, qui leges observent, eam Aristocratiam esse, (ubi ex opulentissimis, eam esse πλυτοκρατίαν; democratiam ubi ex omnibus.) Id. L. IV. p. 813. B.

Boni civis officium esse, opulentiorem reddere Rempublicam tempore pacis, victricem tempore belli, hostes ei conciliare in legationibus, in seditionibus plebem concionibus coercere. Ibid. B.

De vulgo ignobili ajebat, eum, qui laudet, perinde facere, ac si quis unum tetradrachmum reprobaret, congestum ex hisce cumulum ut probum susciperet. Laert. II, 33.

Legem non fuisse factam propter bonos,

Convenire, ut homines digni communem fructum percipiant, ex societatis civilis prosperitate. Clem. Al. strom. III, p. 478. B. Stobæus serm. XLI. p. 243

Interrogatus, quæ munitissima esset civitas? quæ viros bonos habet, respondit: quæ rectissime constituta? in qua magistratus conjuncti sint animis: quæ optima? in qua plurima virtuti proposita præmia sint: In qua optimum sit habitare? ubi secundum leges vivatur, & injusti puniantur. ibid p. 247.

CAP.

CAP. VI.

De Genio Socratis.

Plut. de Gen. Socr. p. 589. vid. supra c. II.

SOcratem Genio usum fuisse, (ad quem oraculi effatum, Patri ejus redditum, respexisse credebat Plutarchus,) a quo, si quid ei sinistri impenderet, moneretur, ab Athenæo negatur, * animo, quod disputationis evincit acerbitas, a præjudiciis minime vacuo. Nempe animæ parum candidæ, atque de optimis pessima suspicantes, nunquam, ut Origenes ait, a calumniis abstinent. At testes habemus Athenæo opponendos Platonem, Xenophontem, & Antisthenem, Socrati coævos, quorum testimonia Laertius, Plutarchus, Maximus Tyrius, Dio Chrysostomus, Cicero, Apulejus, & ex Patribus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes & alii firmant. Ejusque rei complura argumenta, Cicerone memorante, ab Antipatro collecta fuere: ab aliis vero autoribus nonnisi sequentia conservata habemus,

Cic. de divin. I, 54.

Theocritus ad Eutyphronem vatem cum iret, consulendi ejus studio; in eum incidebat, cum aliis in platea obambulantem compluribus, in quibus & Simmias erat & Socrates, qui multis eum quæstionibus exercebat. Subito autem subsistens, atque reliquis ut subsisterent persuadens, post aliquam moram, reversus est, atque per alium vicum ire perrexit, sociosque, qui præcesserant, revocavit, se a genio monitum, ut hac diverteret indicans. Ac plerique quidem una cum ipso abierunt, quidam autem, ut Genium redarguerent, eadem via perrexerunt, sibique Charillum tibicinem adjuxerunt. Cum autem per vicum incederent, turba iis porcorum occurrit, qui, cum decedendi spatium non esset, impetu suo in cœnum eos propulerunt. Quam quidem rem identidem narrans Charillus, ipse quoq; Socratis Genium defendebat.

Plut de Genio Socr. p. 580. D.

Neque solius Socratis Genius ille emolumenta curabat, verum amicorum etiam & familiarium ipsius, cujus rei sequentia ipse Socrates allegat exempla:

Charmides, Glauconis filius, Nemeum certamen aditurus, ubi primum incepisset loqui hac de re: vox illa extitit, qua monitus Socrates, ne ire pergeret, suasit. Charmides vero victoriam fortassis se reportaturum haut esse, vocem innuere putans: sed tamen certamine me exercuisse, inquit, emolumento mihi erit hoc tempore. Quo dicto ad certamen abiit, ubi aliquid ipsi evenit, quod non exponitur quidem, consilium tamen a Genio datum comprobasse dicitur.

Plat. Theag. T. I. p. 128. E. Aelian. var. VIII. 1.

Plato l. c. p. 129. A.

Timarchus & Philemon, Philemonidæ filius, cum in Niciæ, Heroscamandri filii, cædem conspirassent, cum Socrate compotabant: Timarchus executurus ea, quæ animis destinaverant, surgere ex compota-

* Memoria fallit Stanleium, quando Genium Socratis acerbe ab Athenæo explodi ait. Nihil enim tale apud eum invenias. Expeditiones ejus bellicas in dubium re vocat L. V. p. 215. sq. Atque hoc animo Stanleii obversatum, vel inde colligas, quod eo loco & Antisthenis fragmentum exhibeatur, ad quod paulo post provocatur: id tamen etiam non de genio, sed expeditionibus Socratis agens. Forte tamen ex eo quod Athenæus negat, militiam Socratis ad Delum, quam obeunti Dæmon ejus saluti fuisse perhibeatur, natum quod Stanlejus dicit, negasse Athenæum, quæ de Socratis Dæmonio perhibentur.

putatione parabat, ad Socratem dicens: vos sane bibite, mihi vero est surgendum, ut aliquo abeam, paulo post rediturus. Tum Socrates, surgere noli, inquiebat, (Genii percepta voce, simul ac loqui ille cœpisset,) edidit enim consuetum signum Genius. Tum ille se inhibuit. Mox iterum cum vellet discedere, retentus a Socrate est denuo vocem audiente. Postremo, Socrate aliis rebus intento, surrexit clanculum, cædemque patravit, ob quam supplicium cum ei subeundum esset, ideo, fratri Chiromacho ajebat, se ad mortem rapi, quod Socrati minus paruisset.

Cicer. de div. l. 54. Critonis, familiaris sui, oculum cum alligatum vidisset, quid esset? quæsivit; cum autem ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum recidisse: tum Socrates, non enim paruisti mihi revocanti, cum uterer, qua soleo, præsagitione divina.

Plat. Theag. p. 130. A. Maximam ejusdem Genii in animos eorum, cum quibus versabatur, vim extitisse, argumento est allegatum ab ipso Aristidis, Lysimachi filii, exemplum, & Melesiæ, filii Thucydidis. Quorum ille, militiam secuturus, cum discessisset a Socrate, juxta cum conversatione Socratis doctrinæ etiam habitum amisit, quem non verbis edoctum sese comparasse fatebatur, cum ita edoctus numquam a Socrate fuerit, sed eo, quod propior ipsi extitisset, viderit eum, & eodem loco assederit. Hic vero iisdem mediis, eadem facilitate, eundem habitum fuit indeptus.

De Gen. Socr. p. 581 C. l. c. p. 125, C. Neque ad privatos tantum homines istæ pertingebant prædictiones, verum ad publica quoque negotia. Exercitus Atheniensium cladem in Sicilia ante indicavit amicorum nonnullis, ut Plutarchi testimonio constat, & ipse affirmat apud Platonem. Ubi & aliud egregium exemplum, vel argumentum potius veritatis prædictionum Dæmonis sui suppeditat, de negotio mentionem iniiciens, cujus maxime dubius ea ætate erat „eventus. „ Audire, inquit, a mul- Ibid. „tis poteritis ea, quæ ego de illa „exercitus nostri clade, quæ in Si„cilia contigit, prænuntiaram: nunc „vero etiam, an vera Dæmon loqua„tur, experimentum capere licet. „Sannion, Cali filius, ad expeditio„nem profectus est: signum mihi ob„venit: cum Thrasylo abit bellum „Epheso & Joniis illaturus: eum vel „cædendum arbitror, vel summum „periculum subiturum: multumque „toti negotio metuo. „ Atque ista Xenoph. Hist. Gr. L. I, p. 431. sq. ejus apud Platonem verba sunt, antequam res illa eventum sortiretur, prolata, qui prædictioni omnino respondit. Thrasybulus enim, ab Ephesiis repulsus, atque insigni clade affectus fuit, in fugam acti, CCCC. hominibus amissis, Athenienses, eamque ob victoriam duo ab Ephesiis trophæa erecta, id quod XXI. belli Peloponnesiaci anno evenit.

Provocavimus supra ad universalem scriptorum de genio Socratis consensum, sed tamen in iis aliquis tam circa nomen, quam circa indolem ejus dissensus deprehenditur.

Vulgo *Dæmon* ejus vocatur, quo & ipsi Socrati appellatur nomine. Plato aliquando *custodem* ejus vocat, *Deum* Apulejus eo, ut ait Augustinus, quod Dæmonum nomen Aug. de C. D. L. VIII. c. 14. postremo omnes exhorrerent: Observandum tamen est, non *Deum*, sed *nuntium divinum*, eum existimasse

masse Socratem, eoque sensu signa illa a Deo esse, intercedente scilicet spiritu illo, credidisse. Hoc, ut alia loca taceamus, ex prima ejus epistola colligere est, ibi enim de ipso signo sermonem instituens voce *Dæmonis* utitur: ubi vero de monito sermo est, quod eo signo tanquam instrumento denunciabatur, tum Deum nominat. Atque ita illa pariter atque alia ejus generis Platonis loca accipienda sunt, ubi Socrates, de Dæmone verba faciens, ait, *si Deo visum fuerit multa discetis*: Item, *signum a Deo nihil me impedire conabatur*.

Plut. l. c. p. 681. A.

Quantum ad ipsum signum modumque prædictionis; sunt, qui *sternutationem* sive ipsius, sive aliorum id dicant fuisse. Alio enim sternutante a dextra, sive ante sive post ipsum, solitum eum fuisse ad agendum se conferre: sin a sinistra id fieret, opere eum abstinuisse. Ipse vero si sternutaret, antequam opus aggrederetur, tum perrexisse ad illud: si in ipso opere, tum vero ipsum intermisisse, quam quidem opinionem argumentis tueri non multum attinet. Nempe si vel casui vel corporis temperiei debeatur hæc sternutatio, illa ejus vis præsaga & supernaturalis esse haut potuisset. Si a causa nobiliore atque externa procedat, ad genium erit recurrendum.

Vid. Plutarch. l. c. p. 589. & Quæst. Plat. init.

Alii, præscientiam illam Socratis in animo ejus fuisse, statuunt. Quod vero a genio se moneri ajebat, id ita interpretantur, ut idem sibi velit, quod πολυθρύλλητον istud, quo animum alicuius ei quid suggerere, vel inclinare eum dicimus. Et sane non raro *Dæmonis* vox ipsum significat animum. Verum conciliari hæc sententia cum Socratis dictis nequit, quibus vocem & signa exteriora describere videtur. Ut taceam humanam indolem talem scientiam haut superare.

Plutarchus, explosa Terpsionis opinione de sternutatione, primo suspicatur apparitionem forte aliquam ei factam esse, postremo tamen concludit, insolitum quendam sonum, atque inarticulatum, vocemve observatum ei fuisse, ad eum extraordinaria quadam via delatam cui simile sit, quod per somnum nobis quandoque obveniat. Sed ea ratione non evitatur, quam antea urgebamus, difficultas.

Si enim propria quadam vi eum sonum Socrates interpretabatur, diversa hæc sententia ab eorum haut erit opinione, qui putant prophetico quodam afflatu gavisum animum ejus fuisse. Si alterius rei ope id factum dicamus, ad genium res redibit.

Uterque in lib. & diss. de Dæmone Socr.

Alii Genium Socratis ex illis existimant fuisse spiritibus, quibus peculiaris est mortalium cura, quos ita describunt Maximus Tyrius atque Apuleius, ut præter Angeli nomen nihil eis deesse videatur.

De Orig. Err. li. 144

Nec desunt; qui ea quoque Socratis genium appellatione dignentur. Lactantius enim, ubi Angelos a Deo ad homines tuendos mitti probasset, addit: „ Et „ Socrates esse circa se assiduum „ Dæmonem loquebatur, qui sibi puero adhæsisset, cuius arbitrio & nutu sua vita regeretur. „ Et Eusebius verba ista Psaltæ: *mandavit angelis suis super te, ut in omnibus viis tuis custodiant te*, inter-

in Ps. xc.

interpretatus, „ ex scripturis nos „ discere ait, hominum quemvis „ custodem ex cœlo sibi missum „ habere, neque Platonem dubi- „ tasse ea de re ita scribere : „ omnes animæ postquam vitæ „ conditionem delegerunt sibi, „ ad eam procedunt, a Dæmone „ impulsæ, quem sortita quævis „ fuerit, quique adiunctus sit ei, „ ad illam in hac vita tuendam, per- „ ficiendasque res, quas ipsa electio- „ ne propria perficiendas suscepe- „ rit. „ Statimque subiungit; „ Hoc „ Socratem quoque spectasse, par est „ credere, identidem affirmantem a „ Dæmone se regi. „ Clarius vero „ Eugubinus: „ Dæmonium autem So- „ cratis cujus meminit tot locis Pla- „ to, cum Socrates esset vir bonus, „ hortareturque ad virtutem omnes „ homines, & ab ipso Dæmonio ad „ bonum semper vocaretur, fortasse „ non male esset sentire, fuisse ange- „ lum ipsius, qui & Balaam hariolo „ & mago apparuit, eumque a sce- „ lere avertit. „ Et expresse Ficinus „ de Genio illo faciens verba: „ Si mi- „ nus placeat familiarem hominis „ ducem genium ejus vocare, ange- „ lum ipsius appellare licebit.

De peren. Philos. l. VIII. c. 25.

Argumento Apolog. Socr.

Præcipuum Collii argumentum, qui isti contradixit sententiæ, atque malignum eum spiritum contendit fuisse, huc redit: quod nunquam Dæmon ille a peccatis eum revocaverit, sed a periculis tantum corporis. At ejus rei contrarium ex paulo ante allegatis cum Timacho & Philemone gestis patet.

de anim. pag. 5. 14.

Hoc negari non potest, prout a Cicerone monitum est etiam, nunquam impulisse, semper revocasse illum hunc Dæmonem. Ejusque, Socrati suffenus eam rationem reddit Apulejus: „ quod Socrates, utpote „ vir apprime perfectus, ex sese ad „ omnia congruentia officia sibi „ promtus, nullo adhortatore un- „ quam indigeret: At vero prohibi- „ tore nonnunquam: si quibus forte „ conatibus ejus periculum suberat, „ ut monitus præcaveret, ac omit- „ teret cœpta inpræsentiarum, quæ „ tutius vel postea capesseret, vel „ alia via adoriretur.

de div. l. 54. Apulei. de Deo Socr. p. 81.

DE GENIO SOCRATIS

*Dissertatio Gottfr. Olearii in Ac ad. Lips. PP.**

A. CIƆIƆCCII.

INter Socraticæ Philosophiæ virtutes non ultima ea est, quod procul habitis priorum Philosophorum τερατολογίαις, fabulis, aliisque obscuris involucris, ad pompam & populi admirationem compositis, veritatem autem invidiose subducentibus, simplicissime quæ nosse e re erat generis humani, docuerit. Namq; ut ait Plutarchus φασμάτων δὲ καὶ μύθων καὶ δεισιδαιμονίας ἀνάπλεω φιλοσοφίαν ἀπὸ Πυθαγόρου καὶ Ἐμπεδοκλέους δεξάμενος, εὖ μάλα βεβακχευμένην εἴθισεν ὥσπερ τὰ πράγματα πεπνῦσθαι καὶ λόγῳ νήφοντι μετιέναι τὴν ἀλήθειαν. h. e. *Cum larvis & fabulis & superstitiosis Dæmoniorum cultibus plenam a Pythagora atque Empe-*

de Gen. Socr. p. 580.

* Cum non alienum sit a Stanleii instituto, integra autorum quorundam veterum & recentiorum opuscula, ad historiam philosophorum pertinentia, historiæ suæ inserere; non malam gratiam lectorum nos inituros speravimus, si schediasma illud Academicum, qualia perire maximam partem solent, hic exhibeamus, & ab interitu vindicemus: maxime cum dignum id visum sit cl. Fabricio, in Bibl. Gr. quod φιλάλήθει commendaret.

Empedocle Philosophiam accepisset, eamq; adeo oppido lymphaticam, ipse, uti rerum rectam intelligentiam, ita orationis quoque in veritate proponenda sobrietatem innexit. Sane enim ut eodem loco docte pariter atque prudenter monet Plutarchus: alii nulla sua culpa, ab ipsa natura ita facti, ut ob cerebri infirmitatem ad omne superstitionis genus sint procliviores, somnia, spectra, aliaque id genus nugamenta sibi fingunt assidue: alii ut Diis chari esse, eosque habere magnorum facinorum auspices videantur, dignitatis autoritatisque amplificandæ studio talia comminiscuntur. Atque hoc quidem viris πολιτικοῖς, quibus indomitam populi turbam coercere, & ad humanitatis studia revocare est animus, haut parum utile esse videtur. Unde nullum facile antiquissimorum legislatorum invenias, qui visa divina non jactaverit, ut luculenter in Therapeuticis sermonibus a Theodorito fuit monstratum. Philosophiam vero si spectes, atq; ad illam ista referas, non ἀσχήμων tantum erit ejusmodi σχηματισμὸς, sed adversa etiam fronte cum ejus professione pugnabit, ἡ πᾶν ἐπαγγειλαμένη λόγῳ ἀγαθὸν καὶ τὸ συμφέρον, τῷ διδάσκειν εἰς θεοὺς ἐπαναχωρεῖν, τῆς τῶν πράξεων ἀρχῆς ὡς τοῦ λόγου καταφρονοῦσα, καὶ τὴν ἀπόδειξιν ᾗ δοκεῖ διαφέρειν ἀτιμάσασα, πρὸς μαντεύματα τρέπεται καὶ ὀνειράτων ὄψεις. Sic enim legenda & distinguenda putamus, quæ prava distinctio & articulus omissus perturbatissima reddiderat, facili sensu: *Quæ cum omne bonum atque utile ad principia rationis referre profiteatur, eo quod ad Deum recurrere semper docet, principium actionum una cum ratione negligens, & demonstrationem, in qua pretium eius positum esse videbatur, postponens, ad oracula, somnia, atque visa convertitur.* Atque inde est, quod maximas laudes mereri Socrates visus Plutarcho fuerit, διὰ τὸ φιλοσοφώτερον χαρακτῆρα παιδείας καὶ λόγου περιβάλλειν, τὸ ἀφελὲς τοῦτο καὶ ἄπλαστον, ὡς ἐλευθέριον καὶ μάλιστα φίλον ἀληθείας ἑλόμενος. *Eo quod characterem doctrinæ suæ Philosophia magis dignum induerit, dum simplicitatem omnis fuci expertem tanquam ingenuam magis & veritati magis convenientem fuit amplexus*, quæ sane insignis est Socraticæ Philosophiæ commendatio: cui tamen haud parum detrahi mihi visum subinde fuit iis, quæ de Dæmonio ejus multi passim tradidere. Sane enim ita quæ huc spectant à nonnullis proposita fuere, ut ad Pythagoræ atque Empedoclis τερατολογίας propius quam ad Socratis ἀφέλειαν accedere videantur. Amori itaque Socraticæ sapientiæ id dare visum hac vice fuit, ut ea, quæ de Dæmonio Socratis apud veteres pariter ac recentiores observavimus, paulo curatius excuteremus.

§. II. Ut autem in isto argumento tractando aliquanto versemur diligentius, paulo altius Veterum de Dæmoniis doctrina erit repetenda. *Dæmonium* itaque (quam vocem cum Cicerone, qui alias, *Dæmonas* interpretatur *Lares*, atque Tertulliano retinere visum est: latina voce *Dei*, qua usus est Apulejus, *genii* item & *fortunæ*, quid enim *fortuna* & *genio* Cæsarum notius? non difficulter explicanda,) idem prorsus quod *Dæmon* est, nec illa aliter, quam vocis forma & flexione differunt: cetera origo, significatus am-

plitudo, verbo, omnia eadem, unde promiscue etiã usurpantur, idéque adeo quod Dæmonium passim, ab aliis Dæmon Socratis appellatur. Vocem παρὰ τὸ δαήμονας εἶναι, h. e. a scientia insigni Græci repetunt, atque illi imprimis, ex quorum disciplina nunc repetenda nonnulla sunt Philosophi, Plato in Cratylo, Hesiodi autoritatem secutus, Chalcidius ad Timæum, & Hierocles in aureo ad aurea Pythagoræ carmina Commentario, Joannem enim Tzetzen in Scholiis ad Hesiodum, Martianum Felicem, Lactantium, Servium, atque alios nunc taceo. Unde Eusebius in Præparationibus agnoscit omnes in ista vocis explicatione consentire ἕλληνας. Equidem & a δαίω divido Grammaticorum nonnulli vocem, derivaverunt, eaque derivatio commodam satis interpretationem ab Etymologo accepit, Dæmonas a δαίειν dici docente, quod sint ἑκάστῳ ἀπομερίζοντες, διαιτηταὶ quasi καὶ δικασταὶ τῶν ἀνθρώπων: i. e. *Unicuique dividentes, hominum quasi diribitores*. Nec adeo ad minus convenientem vetustissimæ Philosophiæ explicationem, quam Henricus Morus *in Mysterio pietatis* suppeditavit, recurrere opus, qui parum memor latius patere vocis Δαίμων significatum apud veteres, atque *DEOS* etiam ambitu suo complecti, Dæmonem a δαίω derivat, eo, quod Dæmones sint animæ a corporibus suis divisæ atque separatæ. At ista vocem derivandi & explicandi ratio potiorum autoritatibus destituitur. Nec alia, quam Scriptorum Ecclesiasticorum autoritate nititur alia vocis notatio, qua a δειμαίνειν, *terrere* illa deducitur. Cum enim superstitiosi ritus, suffimenta aliæque id genus cæremoniæ ipsum Dæmonum nomen exosum Christianis reddidissent; malis geniis id reliquendum esse penitus, ἀγγέλων nomine bonis dicato, atque adeo convenientem vocis acceptioni Etymologiam quærendam quoque esse putabant. Hinc apud Eusebium veteri derivationi nova ista substituitur, cujus Eustathium quoque, Homeri interpretem, alicubi mentionem iniicere observamus.

p. 45. (margin, beside "siodi autoritatem secutus, Chalci-")

p. 225. (margin, beside "aureo ad aurea Pythagoræ carmina")

L. III c. 5. (margin, beside "vium, atque alios nunc taceo. Un-")

p. 118. (margin, beside "phiæ explicationem, quam Henri-")

§. III. At majus operæ pretium fecerimus, si vocis significatum adcuratius perquisiverimus, ipsa enim ejus diversa acceptio omnis dubitationis de Genio Socratis fons extitisse videtur, & prima origo. Ipsum itaque summum Deum, qui est *hominum Pater atque Deum Rex*, &c. uti Hierocles appellat, Θεὸς Θεῶν, hocce nomine tam apud Poetas quam apud Philosophos venire, nemo facile in dubium vocaverit. Ut ut enim aliena sint pleraque in hanc rem ab Augustino Steucho Libro octavo de perenni Philosophia adducta veterum loca, ut quæ maximam partem vel de iis, quos *Deos* vocat secretior Philosophia, vel de *Dæmonibus*, sensu mage restricto ita appellatis, sint accipienda, non desunt tamen luculenta antiquissimorum Theologorum loca, quę clarissime idipsum evincant. Ita Orpheus, pater occultæ istius Philosophiæ, apud Proclum, ubi prolixe ab eo ζεὺς quem πρῶτον vocat, ἐξ οὗ πάντα τέτυκται, esset celebratus, addit: ἓν κράτος εἷς Δαίμων γένετο μέγας ἀρχὸς ἁπάντων, *Imperium, Dæmonque unus mundique ingens Rex*. Imo ipse Plato μέγιστον Δαίμονα universi moderatorem Deum appellat. Simili-

ad Tim. p. 94. (margin, beside "phiæ, apud Proclum, ubi prolixe")

militerque τὸ δαιμόνιον pariter atque τὸ θεῖον Deum supremum divinitatemque mundi moderatricem significat apud Demosthenem, ubi post θεοὺς ad δαιμόνιον iis superius nejusque omniscientiam provocat. Illorum vero etiam, qui θεοὶ dicuntur ἀθάνατοι, & quos adcurate describit Hierocles, passim permutatum nomen cum Dæmonibus apud Philosophos invenias. Quamvis enim solicite utrosque Plato in tertio de Republica aliique distinguant, passim tamen nomina eorum confunduntur. Nam ut recte Marsilius Ficinus ad Plotinum observat, *præstantissimi quique Dæmones Deorum nomine appellantur, quemadmodum & infimi Dii Dæmones nuncupari solent*, cujus rei exemplum in vita Plotini habemus, quem Dæmonem imo Deum magistrum habuisse Porphyrius narrat. Et Proclus in Alcibiadem τῶν δαιμόνων, inquit, οἱ ἀκρότατοι πρώτιστοι θεῖοι δαίμονές εἰσι, καὶ θεοὶ φανταζόμενοι πολλάκις διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν ὁμοιότητα πρὸς τοὺς θεοὺς h. e. *Summi atque præcipui inter Dæmones sunt divini, qui sæpe pro Diis reputantur ob summam, quam cum diis habent, convenientiam.* Et apud Iamblichum de mysteriis medium genus Deorum commemoratur, per quos ipsos Dæmonas intelligi recte ad illum locum Galeus observavit. Qui vero maxime proprie apud istos Theologos atque Philosophos Dæmones appellantur, ii sunt, qui inter Deos & homines sunt interiecti, *quos*, ut Martianus Felix ait, *Græci Dæmones appellant, Latini medioxumos*, quos etiam angelos appellari posse, ait. In quorum priore cum eo accurate concinit Apulejus in libris de doctrina Platonis & de Deo Socratis, posterius Hierocles etiam aliique agnoscunt. Atque dehisce Dæmonibus prolixior jam nobis instituenda esset disquisitio, cum ex isto Dæmonum genere a plerisque credatur fuisse Dæmonium Socratis, nisi ea plus & chartæ exigeret, quam isti Schediasmati destinavimus. Missis itaque iis, quæ prolixius ex Chaldeorum & Persarum Philosophia, ex Pythagoricis fragmentis, ex Platonico Timæo, Convivio, Epinomide, librisque de Republica, Plotino, Porphyrio, Iamblicho, Chalcidio, Maximo Tyrio, Plutarcho, Apuleio, Martiano Capella, Augustino, Marsilio Ficino atque aliis prolixe commentari poteram, præcipua tantum, & quæ confusioni in scriptis istis legendis evitandæ maxime inservire valeant, delibare conabor. Eos itaque Plato in Epinomide ita describit, ut eos ἀέριον γένος esse dicat ἔχον ἕδραν τρίτην καὶ μέσην, τῆς ἑρμηνείας αἴτιον, εὐχαῖς τιμᾶν χρεὼν, χάριν τῆς εὐφήμου διαπορείας h.e., *Genus aereum, tertiam atque adeo mediam obtinens sedem, interpretum sive internuntiorum munus sustinens, precibus colendum, prosperorum successuum gratia.* Quæ omnia latius persequitur in convivio Platonis Diotima: quæ omnem naturam *Dæmonum* inter mortales Deosve mediam esse docet, eorumque officium in eo consistere ait, ut humana ad Deos, divina ad homines referant, horum scilicet ad Deos preces & sacrificia, illorum ad hos leges & sacra instituta, unde & πορθμιοι dicuntur in quodam oraculorum à Proclo explicato

περ-

Marginal notes: περὶ παραπρ. — p. 10. seq. — 92. — Enn. IV. L. II. p. 278. — S. 4. c. 1. — L. I. p. 39. — p. 42. — p. 339.

πόρθμιοι ἐςῶτες φάναι τῷ πατρὶ καὶ ὕλῃ. Atque iſtam Dæmonum naturam hac ratione in medio conſtitutam, perficere quaſi Diotima ait univerſa, atque ſibi invicem connectere. Per eam vaticinia procedere, ſacerdotum circa ſacrificia, incantationes, atque expiationes diligentiam, divinationem omnem, omnemque magicam. Deos enim hominibus miſceri neutiquam, ſed per Dæmonum commercium omne inter Deos hominesque confici colloquium, ſive vigilantibus id, ſive dormientibus obtigerit. Ex quibus haut dubie ſuam Dæmonis definitionem confecit Apulejus, qui in libro de

p. 781 Deo Socratis, *Dæmones*, inquit *ſunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo paſſiva, corpore aeria, tempore æterna*. Et Chalcidius ad Timæum: *Dæmon eſt animal ratio-*

p. 227 *nabile, immortale, patibile, ætherium, diligentiam hominibus impertiens*. Quæ cum ſatis, quantum ad præſens negotium pertinet, omnibus ſint obvia, prolixius deducere ſuperſedemus, diſcrimen, quod inter *Deos*, *Dæmonas* & *animos humanos* conſtituunt, annotaſſe contenti. Poſt *Deos* igitur *Dæmonia deputantur*, ut habet Tertullianus in libro

c 1 de anima. *Differunt* autem, ut proxime allegato loco docet Apulejus, *a Diis immortalibus Dæmones paſſione, ſunt enim iijdem, quibus nos perturbationibus obnoxii, unde & religionum diverſis obſervationibus, & ſacrorum variis ſuppliciis, fides*

p. 225. *impertienda eſt*. Sic et Chalcidius ad Timæum: *patibile eſſe*, dicit, *Dæmonum genus, nec immune a paſſionibus, cujus affectus nobis quoque conſulat*, quippe quibus eo ipſo conjungantur, utque auxilium ferant, concilientur. Quod tamen diſcrimen, ut melius pateat, non abs re fuerit, Hieroclis verba quibus ille diſcrimen inter ἥρωας ἀγαυοὺς, qui ut p. 40.

ipſe ait, nil aliud ſunt Pythagoræ, quam δαίμονες ἀγαθοὶ, ſive ἄγγελοι Platonicorum, & Θεοὺς ἀθανάτους conſtituit, adſcribere. Ἐςι δὲ inquit, τῶν φύσει κρειττόνων πρώτιςος καὶ ἄριςος ὁ δημιουργὸς Θεὸς ἀσυγκρίτως τῶν πάντων προτιμώμενος h. e *inter eos, qui natura excellunt, primus atque optimus eſt Deus rerum omnium conditor, cui honos debetur ante alia omnia, cum nullo alio honore comparandus*. En tibi Deum Deorum ab omnibus creaturis toto cœlo, quod dicitur, diſtinctum. Iam vero, οἱ ἐν κόσμῳ πρῶτοι, οἱ ἀπ' αὐτοῦ καὶ μετ' αὐτὸν ἀτρέπτως αὐτὸν νοοῦντες, καὶ ἀπαθῶς ἐνεικονιζόμενοι τὴν ἀπὸ τῆς δημιουργικῆς αἰτίας εἰς αὐτοὺς κατιοῦσαν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν. οὓς ὁ παρὼν λόγος ἀθανάτους θεοὺς προεῖπεν, ὅτι οὐκ ἀποθνήσκουσι, οὐδὲ ἀποβάλλουσι τὴν πρὸς τὸν θεὸν ὁμοίωσιν. Μέσοι δὲ οὐσία καὶ τιμῇ οἱ νῦν λεγόμενοι Ἥρωες ἀγαυοὶ, ἀεὶ μὲν νοοῦντες τὸν δημιουργὸν, καὶ τῇ πρὸς αὐτὸν εὐζωΐᾳ καταλαμπόμενοι, οὐχ ὡσαύτως δὲ, οὐδὲ ἀτρέπτως, ἐν γὰρ τῷ μέσως ἡνῶσθαι πρὸς τὸν θεὸν, καὶ τὴν τροπὴν ἀκάκυντον ἐπιδεχόμενοι, ἄλλοτε ἄλλαις ἐπιβολαῖς περὶ αὐτὸν χορεύουσι, καὶ τὴν ἀμετάβλητον καὶ ἡνωμένην θεωρίαν τῶν πρώτων τῇ ἑαυτῶν πεπληθυσμένῃ γνώσει διαιροῦσί τε ἅμα καὶ συνάγουσι, τὰ πέρατα τῆς ἐκείνων ἐποπτείας τὰς ἀρχὰς τῆς ἑαυτῶν ποιούμενοι μυήσεως, οἳ δὴ καὶ εἰκότως ἀγαυοὶ ἥρωες λέγονται. ἀγαυοί μὲν, ὡς ἀγαθοὶ ὄντες καὶ φωτεινοὶ ἀεὶ, καὶ μήτε ἐν κακίᾳ μήτ' ἐν λήθῃ ποτὲ γινόμενοι. Ἥρωες δὲ ὡς ἔρωτές τινες ὄντες καὶ ἐρωντες, οἷον ἐρωτικοὶ καὶ διαλεκτικοὶ ἐραςαὶ τοῦ θεοῦ, αἴροντες ἡμᾶς καὶ κουφίζοντες πρὸς τὴν θείαν πολιτείαν ἀπὸ τῆς ἐν γῇ διατριβῆς. h. e *In mundo* (*i. e. inter creaturas*) *primi ſunt, qui ab ipſo*

pro-

progeniti post ipsum existere cœperunt, sine ulla mutatione (quam experiuntur Heroes illustres, sive Dæmones, horum enim cognitio gradus, atque adeo mutationem, admittit) *mente in ipsum conversi: & sine passione*, (quam in Dæmones cadere ex Apulejo modo didicimus) *descendentem in ipsos ab effectrice omnium rerum causa bonorum participationem tanquam purissima specula recipientes. Quos, quæ præ manibus habemus, Pythagoræ carmina* Deos immortales *paulo ante nominavere, quoniam non moriuntur* (h. e. ut paulo antea id explicaverat Hierocles, beatam illam in Deo vitam non exuunt, neque unquam oblivione sive suæ naturæ, sive bonitatis paternæ, occupantur, quod humanis mentibus, in hæc inferioria prolabentibus, juxta Pythagoreorum Platonicorumque sententiam contingit) *neque eam, qua ipsis cum Deo intercedit, similitudinem unquam amittunt*. Medii *vero sive naturam spectes, sive debitum ipsis honorem, sunt, qui jam porro in carminibus Pythagoricis dicuntur* Heroes illustres, *qui mente quidem ad opificem semper convertuntur, & quæ in ipso fruuntur beatitudine illustrantur, non vero perinde ac illi* sine mutatione. *Eo ipso namque, quod medii cum Deo uniuntur, mutationemque mali expertem recipiunt, alia atque alia mentis intentione Deum contemplantes quasi exultant*, immutabilemque & simplicem *primorum contemplationem multiplici sua cognitione simul & dividunt & contrahunt, extrema sublimis illorum cognitionis initiorum suorum principium facientes. Unde* illustres Heroes *merito appellantur*. Illustres *quidem, ut, qui boni sint, & luce undiquaque corusci, mali omnis atque oblivionis expertes*? Heroes *vero, quippe qui quidam quasi amores sint*, (medii enim ultima summis conjungunt, unde & apud Platonem in convivio præcipuus inter hos Dæmones ἔρως dicitur) *atque oratione pollentes: amantes proinde atque diserti Dei amatores, qui a terrena ista vita ad divinam nos erigant*. Hic autem, ut confusio evitetur, dum Dæmonibus applicamus, quæ de Pythagoræ Heroibus ἀγαθοῖς dicit Hierocles, id observandum ante omnia, quod jam monuimus, ipsum Hieroclem diserte dicere eosdem Dæmones quoque atque ἀγγέλους appellari, esseque medium genus inter Deos immortales & homines, quos καταχθονίους δαίμονας paulo post appellat Pythagorici carminis auctor. Deinde omne istud Dæmonum genus rursum in tres classes ab ipso etiam Platone, quod observavit Hierocles, distingui, in quorum prima positi Dæmones, Diis immortalibus propiores, angeli nominentur, in extrema constituti, Heroes, in media vero, Dæmones boni. Diversamque nonnihil tam dividendi quam appellandi rationem apud Diogenem Laertium sequi Pythagoram, qui dum θεὺς μὲν δαιμόνων προτιμᾷν, ἥρωας δὲ ἀνθρώπων sancit, manifeste quatuor universim entium intelligentium post Deum classes constituit, in quarum prima *Deos immortales* collocat, altera *Angelos & Dæmones bonos* Platonis complectitur, quos uno δαιμόνων nomine appellat, tertia Heroas, qui tertiam

Dæ-

Dæmonum Platonicorum classem absolvebant, & quarta denique homines, qui in aureis carminibus δαίμονες καταχθόνιοι appellantur, quam divisionem ubique in suo de Mysteriis opere etiam sequitur Jamblichus. Ceterum divisionem Platonicam Dæmonum ulterius persequitur Ficinus in commentariis ad Plotini Enneadas, ubi ad diversas aeris regiones & varia vitæ humanæ genera eam revocat. Quid vetat ipsa ejus verba adscribere? *ubi*, inquit, *secundum imaginationem vita disponitur, externus dæmon noster est aereus, in aere videlicet infimo, ac per imaginationem nostram imaginatione sua nos agitans; ubi vero secundum rationem vivitur, dæmon foris ex aere medio ratione sua rationem versat humanam: ubi denique intellectualis est vita, dæmon ex aere summo per intelligentiam adspirat intelligentiæ:* cujus doctrinæ fundamenta mihi apud Chalcidium quoque deprehendere videor. Clarius illa traditur à Proclo in Alcibiadem, ubi tres Dæmonum ordines facit, quorum primi νοερώτεροι, secundi λογοειδέστεροι, tertii ἀλογώτεροι & ἐνυλότεροι dicuntur, quibus ἄλογος φαντασία tribuitur. Quæ vero alias passim occurrere solet Dæmonum divisio, qua quinquefariam illi dividuntur, in igneos scilicet, aereos, aqueos atque terrestres, ea non tam Platonis esse videtur, quam recentiorum quorundam Platonicorum, ex Orphica Schola petita. Ea tamen etiam divisio eodem, quo prior illa, fundamento niti videtur, dum scilicet ad operationes Dęmonum, quibus hujus vel illius elementi naturam propius repræsentant, respicitur: quo observato via forsan patebit conciliationis cum doctrina Platonica; quæ, ipsam naturam Dæmonum spectans, omne eorum genus ἀέριον esse statuit. Nisi recentissimi forsan audiendi Magi, & Theurgi, qui Dæmones in supercœlestes, cœlestes, & eos, qui hæc inferiora disponunt, distribuentes, ultimos hosce in quatuor illas classes subdividunt. Ceterum rem rursum Ficini verbis, quibus inter alia in Platonis librum decimum de Republica, commentatus est, ostendere malumus: *nimirum*, inquit, *secundum quinque vires, quæ in mundanis inveniuntur, quinque Dæmonum genera computantur, quorum ex numero cœlestes quidem Dæmones Deorum mundanorum unitatem accomodate sequuntur, atherei vero Dæmones i. e. ignei, Deorum eorundem intelligentiam, aerei Dæmones rationem, aquei imaginationem, terreni vero naturam, quam in Diis mundanis appellavimus vegetabilem. Sub his Orphici collocant Dæmones subterraneos, mundanorum Deorum corpora infimo ordine referentes, scelerumque ultores.* Quibus non dissimilia habemus apud Proclum in Alcibiadem. Neque, quantum mihi constat, divisio in Dæmonas bonos & malos uspiam diserte à Platone proposita fuit, utut Porphyrius in libris de Abstinentia, Chalcidius commentario ad Platonis Timæum, Proclus in Alcibiadem Platonis, Jamblichus in

p. 212. f. 41. L. II, p. 276.

In libro de Mysteriis aliique nonnulli eam proponant. Unde recte Ficinus ad Convivium Platonis non Platonis, sed Platonicorum quorundam & Christianorum eam esse agnoscit. c. 26. Quod enim Augustinus Steuchus in libro octavo de perenni Philosophia apud ipsum Platonem Dæmonas aereos strictiori significatu nil nisi malos genios notare existimat, in eo insigniter eum falli supra posita Platonis definitio abunde evincit, & luculenta Platonicæ ea de re doctrinæ explicatio, quam p. 220. debemus Chalcidio in præstantissimo ad Platonis Timæum commentario, cujus locum ob nimiam prolixitatem exscribere supersedeo. Quid quod infirmissima ejus ratio sit? Ex eo enim argumentatur, quod γοητεία tribuatur a Platone Dæmonibus, quam ἀπάτην esse, atque adeo bonis geniis tribui non posse variis adductis Platonis locis ostendit. Sane enim γοητεία simpliciter magiam notare potest, sic apud Hesychium γοητεύειν explicatur μαγεύειν πείθειν, & apud Demosthenem σοφιστὴς δεινὸς & γόης junguntur in oratione pro corona. Sed satis de obscuris istis Dæmonum divisionibus, quæ quod ad confusionem evitandam & discrimen inter Deos & Dæmonas constituendum pertinere viderentur, paucis attingendæ fuerunt. Istud vero discrimen mutabilitatem passibilitatemque, pro diversis Dæmonum speciebus rursum diversam, ut latius deducit Ficinus ad Apologiam Platonis, absolvere jam vidimus. Addi possunt aliæ differentiæ, quas fuse persequitur Porphyrius in epistola ad Anebonem: ubi Deos & Dæmones ratione σχέσεως quam habent illi ad corpora ætherea, hæc ad aerea, ratione item intelligentiæ puræ, & naturæ incorporeæ eos invicem differre statuit. Quæ omnia tamen displicent Jamblicho in obscuro de Mysteriis Ægyptiorum opere; qui denique Dæmonum a Diis discrimen constituit in eo, quod Dæmones ἀφανεῖς sint sensibus, Dii etiam intelligentiæ. Quod illi partibus tantum quibusdam mundi, certis videlicet urbibus, regionibus, animalibus, plantis, hominibus, hi vero rebus omnibus præsint. Quod illi συμφυεῖς quodammodo sint & ἀχώριστοι ab iis rebus, quas administrant, hi vero corpora quidem conscendant, ab iis tamen prorsus sint separati: quod illi ministri sint, isti Principes: quod denique a tendentibus ad genesin qualitatibus hi prorsus sint immunes, minime vero illi. At & discrimen Dæmonum istorum ab animabus tam separatis, quam iis, quæ in corporibus adhuc versantur, paucis expediendum. Utræque Dæmones appellari solent: Generatim enim loquendo omnes naturæ spirituales, quæ cum corporibus conjungi possunt terrenis, δαίμονες appellantur (quos ut ab illis proprie sic dictis Dæmonibus, quos φύσει δαίμονας nonnulli vocant, distinguat Pythagoras, καταχθονίους δαίμονας appellat,) sive corpora reapse inhabitent, sive minus. Insignis est Hieroclis locus in commentario ad aurea carmina τὰς ἀνθρωπίνας ψυχὰς, ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ κοσμηθείσας, Δαίμονας καλεῖ, ὡς δαήμονας καὶ ἐπιστήμονας. Εἶτα χωρίζων αὐτὰς τῶν φύσει δαιμόνων, οἳ τὸ μέσον γένος πληροῦσι, καταχθονίους προσεῖπεν, ὡς δυναμένας ἐπὶ γῆς πολιτεύεσθαι, καὶ γήϊνα σώμα-

σώματα ὑπεισιέναι, καὶ κατὰ γῆς οἰκεῖν. *Dæmonum appellatione hominum animos intelligit* (Pythagoras) *veritate & virtute instructos, quasi δαίμονας i. e. scientia præditos, eos vero deinde ab illis distinguens, qui natura Dæmones sunt, mediumque genus* (*entium λογικῶν*) *absolvunt, terrenos nuncupavit, ut qui possint in terris versari, terrenaque corpora ubi intes in terris habitare*. Sic itaque Dæmonas φύσει & χέσει tales distinguit: omnemque entium rationalium genus Dæmonum nomine appellari posse ostendens, tres Dæmonum classes constituit generaliores, classem scilicet Dæmonum *cœlestium* hoc est Deorum, *æthereorum* h. e. Dæmonum proprie sic dictorum, & *terrestrium* h. e. animorum humanorum. Speciatim vero illi, qui corpore exsoluti sunt, animi, Dæmones appellantur, ut videre etiam est apud Platonem in libris de Republica, ex quo id observat etiam Proclus ad Alcibiadem priorem. Sic Apulejo *secundo signatu species Dæmonum est animus humanus, exutus & liber, stipendiis vitæ corpore suo abjuratis*, quem vetere latina lingua *lemurem* esse dictatum se reperire ait, honoris gratia *Dei* quoque nomen accepisse. Atque huc pertinet quod de fine Philosophiæ dicebat Pythagoras, quem ἀποδεῦσθαι & ὁμοιωθῆναι τῷ Θεῷ esse ait, huc, quæ de ἀποθεώσει tradunt superstitiosæ Romanorum cæremoniæ, pertinent. Hinc vero factum, ut multi ex Platonis Schola universim Dæmones existimaverint esse animas corporeo munere liberatas, quorum tamen errorem solide evertit Calcidius ad Timæum, & nisi memoria fallit Jamblichus de Ægyptiorum Mysteriis, Proclus item in Platonis Alcibiadem commentario. Animum vero humanum etiam in corpore adhuc degentem Dæmonem appellari, tritissimum est. Sic Proclus ad Alcibiadem priorem observat a Platone in Timæo animam rationalem Dæmonem & quidem animalis vocari, ubi simul fundamentum, cur Dii quoque & animi Dæmones vocentur, edisserit. Sic paulo ante allegato loco Apulejus. *Nam quodam significatu & animus humanus, etiam nunc in corpore situs, Dæmon nuncupatur*. Exemplum ejus rei ex vetere Poeta adducit:

Dii ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique Deus fit dira cupido?

Nimirum *Deus* illi & *Dæmon* pro synonymis habentur, unde & de *DEO* Socratis librum inscripsit, quo de *Dæmone* Socratis egit. Mox vero addit: *igitur & bona cupido animi Deus bonus est, unde nonnulli arbitrantur, ut jam dictum est, εὐδαίμονας dici beatos, quorum Dæmon bonus, id est animus virtute perfectus est, quem nostra lingua, ut ego interpretor, haud sciam an bono, certe quidem meo periculo, poteris genium vocare: quoniam Deus, qui est animus sui cujusque, quanquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur*. Similia invenias licet apud Plutarchum sub initium quæstionum Platonicarum, ubi multis allatis exemplis animum hominis Deum & Dæmonem dici confirmat. Sic enim Menander ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ Θεός. Sic Heraclitus ἦθος ἀνθρώπῳ

Marginal notes: p. 77. 9. p. 743. — l. 44. p. 79. De Deo Socratis p. 79.

θεάτι δαίμων. Ipseque Plato exinde eadem, qua Apulejus, ratione vocem εὐδαίμων explicat, apud Cle-
Strom. II. mentem Alexandrinum, quod etiam
p. 417. Topic. II. c. 6. ejus discipulus Xenocrates apud Aristotelem in Topicis fecit. Sic Antoninus Imperator in iis, quæ ad se ipsum consignavit, passim, maxime vero luculente Libro quinto Δαίμονα vocat, quem sui particulam a se avulsam Jupiter cuique attribuit, præsidem ducemque ei futuram, οὗτος δέ ἐστιν ita pergit ὁ ἑκάστου νοῦς καὶ λόγος h. e. *hic vero est mens cujusvis & ratio*. Eundem passim τὸν ἔνδον ἑκάστῳ δαίμονα dicit, h. e. *genium quem in se habet quisque* quod & aliis Stoicis non infrequens: Senecæ imprimis, qui passim animum *mentem*, *rationem*, *divini partem Spiritus* & interdum *Deum* appellavit. Jam vero cum promiscue Dæmonem animum quoque notare constet, discrimen jam inter Dæmones secundi generis, h. e. ἀερίους, & tertii generis h. e. καταχθονίους, sive animos humanos erit ostendendum. In eo id potissimum consti-
de Deo Socratis p. 78. tuit Apulejus, quod corpora illi habeant aerea, at eo tantum differre videntur ab animis, in hoc terrestri corpore habitantibus, non vero ab iisdem, vinculis illius jam exsolutis. Nam animæ quoque a corpore separatæ aereum æthereumve hujusmodi ὄχημα tribuunt Platonici & πλατωνίζοντες Christiani, quorum opiniones ea dare hic curiosius non pervestigabimus. Poterit tamen corpus istud aereum discrimen aliquod constituere, si constanter & sine mutatione illud Dæmonibus adhærere, ut qui sint ἀθάνατοι, dicamus, amitti vero ab animis humanis, iisque, si bene rem gesserint, restitui. Sane id maxime conveniens est doctrinæ Platonis, qui animam semper in corpore esse, in diverso tamen, pro conditionis suæ diversitate statuit. Quam ap. Stob. Ed. Eth. p. 203.
ejus sententiam luculente Porphyrius explicat ὡς ἂν διετεθῇ inquiens ἡ ψυχή, εὑρίσκει σῶμα τάξει καὶ τοῖς οἰκείοις διωρισμένον. διὸ καθαρώτερον μὲν διακειμένῃ σύμφυτον τὸ ἐγγὺς τῷ ἀΰλῳ σῶμα, ὅπερ ἐστὶ τὸ αἰθέριον, h. e. *Pro sua conditionis ratione anima corpus invenit, sibi conveniens atque adaptatum. Magis itaque purgata corpus adhæret, ad spiritualem naturam propius accedens hoc est æthereum*. Atque hinc est, quod Hierocles Dæmones ab animis eo differre potius dicat, quod illi minime natura comparati ita sint (μὴ πεφυκότες) ut in terra atque terrenis corporibus habitent, bene vero isti. Rectiusque & clarius juxta mentem nostram id discrimen indicat Chalcidius ad Timæum, ubi p. 288.
dicit: *Dæmonem animal esse immortale, quia non mutet corpus aliud ex alio, sed eodem semper utatur*. Ex his vero etiam discrimen Δαιμόνων ab animis humanis ἐνσωμάτοις patet, ut proinde ea de re addendum nil amplius esse videatur. Jam vero de Dæmonum corporibus, sede, officiis, cultu, adparitionibus plura addere animus non est, de istis enim legentibus Platonicorum Scripta non multum difficultatis oboriri potest. Illam tantum partem attingere placet, quæ ad præsens negotium maxime pertinet. Receptissima itaque Platonis & Platonicorum doctrina habet sortiri unamquamvis animam Dæmonem, quem Δαίμονα οἰκεῖον vocat, h. e. proprium Dæmonem, Jamblichus in sectione

nonæ

nona Libri de Mysteriis, ubi ex instituto de hoc Dæmone agit. Multa de eo tam Theurgia quam Genethlialogia & Astrologia docet, hæc enim etiam multa περὶ τῆς τύχης ἀγαθῆ δαίμον©- habet, ut ex Vettio Valente aliisque veteribus Genethliacis Seldenus, Salmasius aliique ævi nostri viri docti observarunt. Quamvis nonnulli Dæmonem Genituræ, cujus consideratio ad Genethliacos maxime pertinet, a Genio sacro, divinitus immisso, & Genio, quem professionis vocant, distingui velint. Nos prætermissis Genethliacis, ea potissimum, quæ ad Theurgiam spectant, persequemur. Hunc Dæmonem itaque, vitæ ducem, Jamblichus, ex mente Platonis, probat Animæ tribui ante conceptionem, quod etiam patet ex fragmento Porphyrii apud Stobæum. Atque eum non a certa aliqua cœli parte aut elemento sensibili, sed a totius mundi dispositione, & vita in eo omnigena, derivari dicit Jamblichus: quo ipso manifeste distinguitur a Dæmonibus stellarum pedissequis, & ab iis derivatis, qui sunt velut aereæ stellæ: de quibus luculente agit Proclus in Alcibiadem priorem Platonis. Ceterum Ficinus ad Procli librum quartum Enneadis tertiæ multa habet de his, de quibus nunc agimus Dæmonibus, ubi & rationem deducit, quomodo oculis hominum sisti illi soleant. Audiamus ipsum: *Dæmones* inquit, *stellæ sunt aerei cœli, circuitus stellarum cœlestium pro viribus imitantes —— neque electione tantum in nos agunt; sed plurimum stellarum instar ipsa natura atque radiis suis, quamvis occultis, tamen admodum efficacibus. Quos quidem Magus, qui congregare sciverit, poterit & videre ceterisque monstrare. Sicut & solis radii e vestigio post occasum, qui per se minime discernuntur, aliquando certis vaporibus congregati, statim sub ruboris vel palloris forma videntur; & flamma nonnunquam meridie accensa procul in lino non cernitur, adhibitis vero lignis apparet. Videtur itaque Sacerdos Ægyptius Dæmonis Plotinici radios congregasse, atque, (ut Porphyrius testis est) præsentium oculis ostendisse, sive colens Deos hoc eorum munere tunc impetraverit, sive vaporem certum, Dæmonibusque cognatum infuderit aeri, quo certo modo radii Dæmonis congregari potuerint. Sed quanam forma conjecit magus, Plotini Dæmonem esse supremum? quia scilicet non difformi quodam instar iridis fulgore venit, sicut infimi solent Dæmones in aere misto, non pallore iterum vel rubore, sicut medii nonnunquam consueverunt, sed lumine puro penitus atque clarissimo, quod æthereorum cœlestiumque Dæmonum est proprium*. Observandum autem est, Dæmones istos, qui hominibus tanquam proprii addicuntur, ex ordine inferiorum esse, juxta sententiam Platonicorum: nisi quod pauci nonnulli, ut Socrates atque Plotinus, ex superiore Dæmonum genere duces nacti fuerint, qui *Dii* proinde promiscue & *Dæmones* (quod ex supra dictis patet) appellantur. Equidem sunt nonnulli, qui Dæmonas illos universim habeant pro animæ nostræ parte, mente scilicet, quod imprimis hic nobis observandum: verum ex Platonica Schola nemo, quod sciam,

Ecl. ethic. p. 203.

f. 42. b. p. 278.

ſtiam, eſt, qui ita ſentiat. Pythagoreos quosdam ita ſtatuiſſe evidens eſt ex Timæo, & Iamblichi Protrepticis, a quibus in iſtam ſententiam fere adductus etiam Porphyrius fuit, ut ex ejus ad Anebonem epiſtola patet. At ſolicite iſtam opinionem explodunt Iamblichus de Myſteriis Aegyptiorum, & Proclus in commentario ad Alcibiadem priorem. Dæmonem itaque huiusmodi ubi ſortita anima fuerit, juxta puriorem Platonis doctrinam (à qua nonnihil recedit Jamblichus, ut in notis ad eum doctiſſimus Galeus oſtendit, Ducem eum nanciſcitur & ἀποπληρωτὴν τῶν αἱρεθέντων: qui ſtatim animæ adeſt, eiusque vitalia opera exequitur: ipſam ad geneſin deſcendentem corpori alligat, totum animal regit, vitamque animæ propriam gubernat: ita ut ea cogitemus, quæ ipſe ſuggeſſerit, agamus, quæ nobis in mentem is induxerit. Eius vero ſuggeſtiones hoc percipiamus evidentius, quo magis purgatam mentem, atque adeo ad accipiendas ſuggeſtiones ejus magis idoneam habuerimus.

Sect. IX. c. 8. pag. 113.

§. V. His de Dæmonibus ex Platonicorum Schola paulo fuſius repetitis, facilius erit deinceps, quę de Socratis Dæmonio traduntur, percipere. Dæmonium iſtud paſſim ſibi tribuit ipſe Socrates & ad facta ſibi ab illo indicia ubique, modo ſeſe obtulerit occaſio, provocat. Meminit ejus rei præcipue apud Platonem in Euthyphrone, in Apologia, in Theæteto & in Theage. Præcipua ex iſtis locis paulo diligentius ſunt expendenda, ut ex iis de indole huius Dæmonii rectius iudicare liceat. In Euthyphrone Socrates de Melito conqueritur, a quo accuſari ſe dicit ὡς ποιητὴν θεῶν, καὶ καινοὺς ποιοῦντα θεούς, *ut Deorum fabrum & qui novos fingeret Dæmones*; cuius criminis Paulum quoque Apoſtolum coram Areopagitis poſtulatum eſſe conſtat: quod cum ipſo ſermones miſcens Euthyphro inde ait eſſe, quod ſibi Dæmonium ἑκάστοτε γίγνεσθαι, h. e. *quotidie adeſſe* dicat. Ipſe vero Socrates in Theage, cum ad diſciplinam eius admitti Theages cuperet: ἔστι τι, inquit, θείᾳ μοίρᾳ παρεπόμενον ἐμοὶ ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον δαιμόνιον· ἔστι δὲ τοῦτο φωνή, ἣ ὅταν γένηται, ἀεί μοι σημαίνει ὃ ἂν μέλλω πράττειν τούτου ἀποτροπήν. προτρέπει δὲ οὐδέποτε· καὶ ἐάν τις μοι τῶν φίλων ἀνακοινῶται, καὶ γένηται ἡ φωνή, ταυτὸν τοῦτο ἀποτρέπει, καὶ οὐκ ἐᾷ πράττειν. *Eſt mihi Dæmonium, quod divina ſorte a pueris me ſequitur & ducit. Eſt vero illud vox, quæ quoties audita fuerit, abſtinendum eſſe monet ab eo, quod facere animum induxeram, nunquam vero, ut quicquam ſuſcipiam, ſuadet. Etſi amicorum quis mecum communicaverit quippiam, voxque illa ſe exeruerit, id quoque, de quo conſultatio inſtituta fuit, omittendum eſſe monet, nec fieri illud patitur.* Hocque ubi exemplis aliquammultis confirmaſſet, addit: Ταῦτα δὴ πάντα εἴρηκά σοι ὅτι ἡ δύναμις αὕτη τοῦ δαιμονίου τούτου καὶ εἰς τὰς συνουσίας τῶν μετ᾽ ἐμοῦ διατριβόντων τὸ ἅπαν δύναται. πολλοῖς μὲν γὰρ ἐναντιοῦται, καὶ οὐκ ἔστι τούτοις ὠφεληθῆναι μετ᾽ ἐμοῦ διατρίβουσιν· ὥστε οὐχ οἷόν τέ μοι τούτοις συνδιατρίβειν, πολλοῖς δὲ συνεῖναι μὲν οὐ διακωλύει, ὠφελοῦνται δὲ οὐδὲν συνόντες. οἷς δ᾽ ἂν συλλάβηται τῆς συνουσίας ἡ τοῦ δαιμονίου δύναμις, οὗτοί εἰσιν ὧν καὶ σὺ ᾔσθησαι, ταχὺ γὰρ παραχρῆμα ἐπιδιδόασι. *Hæc omnia tibi eo*

p. 128.

T. 1. opp. Plat. p. 3.

consilio commemoravi, ut demonstrarem illam istius Dæmonii virtutem, in hac etiam consuetudinis illius, quæ mihi cum illis intercedit, qui meam familiaritatem amant, ratione, principatum omnino obtinere. Multis siquidem illud adversatur, & his, utut mea consuetudine utantur, haud licet aliquid a me emolumenti capere, nec quidem cum illis familialiter possum versari. Plurimis vero ut familiarem me præbeam non impedit, nihilo tamen, etiamsi mecum versentur, plus utilitatis capiunt. Quorum vero consuetudinem suaserit mei illius Dæmonii virtus, illi omnino sunt, quos tu modo notasti, continuo enim magnos progressus faciunt. Sic & in Apologia Socrates ejus rei, quod privatim tantum singulos adire atque monere per omnem vitam instituerit, rempublicam vero gerere nunquam

p. 32. voluerit, istam rationem reddit, quam & alias sæpius ex se Athenienses audivisse ait, quod Dæmonium scilicet suum ipsi obstiterit. τούτου δὲ αἴτιον, inquit, ὅτι μοι θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον γίγνεται φωνή ὃ δὴ καὶ ἐν τῇ γραφῇ ἐπικωμῳδῶν Μέλιτος ἐγράψατο. ἐμοὶ δὲ τοῦτό ἐστιν ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον, φωνή τις γιγνομένη, ἥ, ὅταν γένηται, ἀεὶ ἀποτρέπει με τούτου ὃ ἂν μέλλω πράττειν. *Hujus rei causa est, quod penes me sit divinum quiddam & Dæmonium, vox quædam, quam quidem Melitus in accusatione sua debacchatus diserte perstrinxit: Hujus vero auspiciis a pueris usus sum. Vox nimirum quædam est, quæ, ubi se exerit, semper me revocat ab eo, quod facere instituo, nunquam vero ad faciendum quippiam impellit. Atque hoc est, quod mihi ne res quidem civiles capessam impedimento est.* Et in eadem Apologia, ex eo potissimum Socrates colligit nil mali esse in morte, Areopagitarum judicio subeunda, quod nullo signo Dæmon se sive domo egredientem, sive verba coram judicibus facientem, prohibuerit. ὑμῖν, inquit, ἐπιδεῖξαι ἐθέλω τὸ νυνί μοι συμβεβηκός τί ποτ' ἐννοεῖ· ἐμοὶ γάρ, ὦ ἄνδρες δικασταί, θαυμάσιόν τι γέγονεν. ἡ γὰρ εἰωθυῖά μοι μαντική, ἡ τοῦ δαιμονίου, ἐν μὲν τῷ πρόσθεν χρόνῳ παντὶ πάνυ πυκνὴ ἀεὶ ἦν, καὶ πάνυ ἐπὶ σμικροῖς ἐναντιουμένη, εἴ τι μέλλοιμι μὴ ὀρθῶς πράξειν. νυνὶ δὲ ξυμβέβηκέ μοι ἅπερ ὁρᾶτε καὶ αὐτοί, ταυτί, ἅγε δὴ οἰηθείη ἄν τις καὶ νομίζεται ἔσχατα κακῶν εἶναι. ἐμοὶ δὲ οὔτε ἐξιόντι ἕωθεν οἴκοθεν ἠναντιώθη τὸ τοῦ Θεοῦ σημεῖον, οὔτε ἡνίκα ἀνέβαινον ἐνταυθοῖ ἐπὶ τὸ δικαστήριον, οὔτε ἐν τῷ λόγῳ οὐδενὶ μέλλοντί τι ἐρεῖν. καίτοι ἐν ἄλλοις λόγοις πολλαχοῦ δή με ἐπέσχε λέγοντα μεταξύ· νυνὶ δὲ οὐδαμοῦ περὶ ταύτην τὴν πρᾶξιν, οὔτ' ἐν ἔργῳ οὐδενί, οὔτ' ἐν λόγῳ ἠναντίωταί μοι· τί οὖν αἴτιον εἶναι ὑπολαμβάνω; ἐγὼ ὑμῖν ἐρῶ· κινδυνεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο ἀγαθὸν γεγονέναι. *Volo vobis indicare, quid ex eo, quod modo mihi evenit, mihi in mentem venerit.* Male hic Serranus: *Indicare vobis volo, quænam sit mea istius casus indicatio.* Tota enim orationis series evincit, hoc sibi velle Socratem: se ex eo, quod nihil prohibuerit Dæmon, colligere, mali nihil in iis, quæ sibi obvenerint esse, non vero ipsum casum sibi obvenientem se præsensisse. Nominativus itaque mihi est τὸ συμβεβηκός, accusativus τί; hoc res significata, illo significans notatur; contraria vero omnia sequitur Serranus, perperam, nisi fallor, & repugnantibus verbis sequentibus, sed pertexenda loci interpretatio est. *Mihi enim*, ita pergit: *O Judices, aliquid dictu mirabile evenit. Familiaris nimirum mihi Dæmonii*

monii mei præsagium, anteacta vita mea temporibus frequens admodum mihi obtigit, in exigui quoque momenti rebus prohibens, si quid parum conveniens facere pararem. Iam en, quæ videtis, mihi obvenerunt quæ sane malorum maxima aliquis esse arbitretur. Mihi tamen neque mane domo exeunti divinum istud adversatum est signum, neque locum huncce conscendenti, neque dicturo vel in uno verbo obfuit. At sæpe me alias dicentem in media oratione cohibuit. In isto vero negotio nulli, sive operi, sive sermoni meo adversatum est. Quam itaque causam ejus rei existimem? Dicam vobis. Nimirum hoc omne, quod mihi evenit, bonum esse videtur. Hæc sunt insigniora Platonis loca, quibus Dæmonium Socratis describitur, quos ante oculos habuisse Apuleium, Plutarchum Maximum Tyrium, Proclum, Ciceronem: ex nostris Minutium Felicem, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Chalcidium, Eusebium, Lactantium, Gelasium, Eustathium, Suidam aliosque, ubi de hoc Socratis Dæmonio agunt, abunde patet, quorum proinde locis, nil ea de re novi nos edocentibus, hic adducendis merito supersedemus. Ne tamen quod unico Platonis testimonio hactenus niti videtur, inter fabulas reiiciendum penitus esse aliquis extistimet, cum & alia multa de Socrate credatur finxisse, & neglecta Socratica simplicitate ad Pythagoricas τερατολογίας, & Aegyptiorum commenta, quod acerbe in Epistola ad Aeschinem in eo reprehendit Xenophon, fuerit proclivior; ipsum quoque audiemus Xenophontem, purioris doctrinæ Socraticæ sectatorem acerrimum.

vid. Athen. L. XI Aristid. Apol comm. Macrob. Saturn. l. 1. apud Euseb. Præpar. XIV. 12. p. 817.

Ille igitur in quarto memorabilium Socratis, libro, Hermogeni, ut contra Meliti accusationes se defenderet Socratem monenti, eum respondisse ait. ὦ Ἑρμόγενες ἤδη μου ἐπιχειροῦντος φροντίσαι τῆς πρὸς τοὺς δικαστὰς ἀπολογίας ἠναντιώθη τὸ δαιμόνιον: Quũ modo conarer, mi Hermogenes, meditari defensionem ad iudices, Dæmonium adversatum est mihi. Regerente autem Hermogene mirabile prorsus hoc sibi videri; perrexisse Socratem: θαυμάζεις εἰ τῷ Θεῷ δοκεῖ βέλτιον εἶναι ἐμὲ τελευτᾷν τὸν βίον ἤδη. *Tunc vero miraris Deo videri potius esse hoc me tempore vivendi finem facere?* Alios vero testes infra loco magis opportuno adducemus.

§ V. Verum inter exempla potius indiciorum Socrati a Dæmone suo factorum ista locum forsan merebantur, quorum haud contemnendam messem veteres nobis offerunt. Sic enim Charmidæ, Glauconis filio, quem ad Rempublicam capessendam Socratis opera adductum esse, Xenophon narrat, & cuius passim cum laude mentionem facit Plato, cum Socrate de adeundo Nemeo certamine consilia communicante, obstitit Dæmon. At ivit nihilominus Charmides, quod pessime ei cessisse consilium, Plato memorat in Theage, & qui ab eo idipsum accepit Aelianus in Var. Hist. Non minus memorabile est alterum eodem loco a Platone commemoratum exemplum. Timarchus & Philemon cum Socrate convivabantur, de Nicia Heroscamandri filio vero interficiendo, cum inter ipsos antea convenisset, Timarchus, ut exequeretur quod decretum fuerat, ex convivio surgens, quid ais, dicebat, Socrates, vos

Trou. III. p. 374.

p. 128. L. E. e. 1.

quidem bibite, mihi vero est surgendum, ut aliquo proficiscar, mox autem, si ita fors ferat, sum rediturus. Socrati vero, ista dicente Timarcho, cœlestis vox obtigit, illeque adeo Timarchum ne exiret, prohibuit: paruit ille, &, altera vice exiturus, a Socrate iterum monitus, paruit iterum. Inscio autem postremum Socrate egressus, patravit ea, quæ mortis causa ipsi extitere. Unde & mortis supplicio iam proximus, ultro fratri se ad mortem proficisci fatebatur, quod Socrati monenti non obtemperasset. Sed nec illud prætereundum est, quod a Dæmonio suo admonitus Socrates cladem Atheniensium in Sicilia prædixerit, ut est in eodem Platonis Dialogo, & apud Plutarchum de Genio Socratis & in vita Alcibiadis. Cladem puta, quam, Nicia Nicerati filio prætore, Syracusas obsidentes Athenienses accepere, quam luculente adeo Thucydides Lib. 7. Plutarchus in vita Niciæ, & Diodorus Siculus in Bibliotheca descripsere, & quę mortem Imperatori, vitam morte graviorem ad latomias condemnato exercitui attulit. Nec dissimile est exemplum, quo eodem loco agmen huiusmodi exemplorum claudit Plato. Thrasyllum nimirum in expeditione adversus Ioniam atque Ephesios sequi constituerat Sannio, Cali filius: prohibuit consueto signo amici ejus, Socratis, Dæmonium, auguratus inde expeditioni triste eventum Socrates fuit, mortem vero Sannioni. Ut responderit vaticinio eventus, non docet isto loco Plato, vel ipse quem loquentem inducit Socrates. Tempus enim, quo ista, quę in Theage refert Plato, a Socrate prolata fuerunt, finem expeditionis Thrasylli antecessit. Quem infaustum adeo ignominiosumque fuisse, ut aereum trophæum in Atheniensium opprobrium erexerint Ephesii; ipsi vero Athenienses sub Alcibiade militantes, commercium eorum, qui Thrasyllum Ducem fuerant secuti, non minus ac si contagium ejus metuerent, refugerint, ex Plutarchi Alcibiade discimus. His addi possunt, quæ Cicero collegit præsagæ istius virtutis a Dæmonio Socratis profecta specimina. Narrat ille eum, cum Critonis sui familiaris oculum alligatum vidisset quæsivisse, quid esset? cumque ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum recidisse: tum Socratem, non enim paruisti mihi revocanti, dixisse, cum uterer qua soleo præsagitione divina. Non absimile est quod Theocritus apud Plutarchum se præsente factum esse testatur. Obambulabat nimirum ad Symbolum & ad Antocydis domum, nota Athenis loca, Socrates, variis ipsi cum Euthyphrone iocis sermonibusque intercedentibus. Subito autem subsistens, reliquis, ut idem facerent persuadebat, moxque conversus per vicum areas fabricantium discedebat, ceteris quoque, qui iam præcesserant, revocatis monitisque se, ut hac diverteret, a genio suo esse admonitum. Paruisse Socrati ita monenti cum Euthyphrone Democritus ait seipsum. Alios autem nonnullos, Socratico genio illusuros aliam viam esse secutos, Charillo quoque tibicine sibi adiuncto. His igitur per viam sculptorum, iuxta curias iudicarias, euntibus, porcorum turbam, quæ cœno antea voluta fuerat egregie, occurrisse, eos-

que,

[Marginal notes: p. 329. p. 501. p. 16. L. 7. p. 554. p. 540. p. 334. — p. 207. E. F. de Div. c. 54. — de Genio Socr. p. 580.]

que, cum quo cederent non haberent, partim prostravisse, partim luto misere commaculavisse. Non impune isti Socratis contempserant Genium: at majore etiam suo malo illi, qui in pugna ad Delium una cum eo victoribus Bœotis terga obverterant. In ista enim fuga, una cum Lachete, Prętore, & ceteris fugitivis, in trivium delatus Socrates eadem qua ceteri fugere noluit. Quibus quęrentibus, cur non eadem via pergeret? deterreri se a Deo dixit: eos vero, qui alia via fugerant, in hostium equitatum incidisse narrat Cicero, loco paulo ante allegato. (L. I. de Diu c. 54.) Ejusque rei apud Plutarchum quoque extat memoria, Pyrilampæ, Antiphontis filio, qui eidem fugæ interfuerat, testimonio firmata. (de Gen. Socr. p. 581.) Ille enim una cum aliis, qui in Bœotorum equitatum inciderant, accepto vulnere captus ab hostibus fuit, factusque adeo ab Atheniensium Legatis, qui pacis ineundæ causa ad Bœotos advenerant, certior, Socratem cum Alcibiade & Lachete per Retistam descendisse, ac domum feliciter evasisse, multis incusavit seipsum, pariter atque amicorum suorum quosdam, & manipulares, qui cum ipso pręter Parnetem fugientes ab equitibus Bœotis fuerant interempti, quod Socratis genio non obtemperantes alia, quam qua ipse ducebat via, a prœlio profecti essent. Novi postrema ista omnia fidem amittere, si standum Athenæi sententiæ, qui libro sexto Dipnosophistarum & alias unquam militiam secutum esse Socratem negat, & expeditioni adversus Bœotos eum interfuisse minime vero videri simile statuit. (cap. 15.) Cujus suspicionis contagium, ne ad alia quoque, quę de Socrate retulimus hactenus, perveniat, non immerito nobis metuendum esse videtur. At bene se res habet: sane tales sunt Athenæi ratiunculæ, ut dum maxime in dubium adducere aliorum fidem laborat, maxime ipsius periclitetur diligentia atque autoritas. Quod enim ex Platonis Critone Platonem, qui pugnæ ad Delium Socratem interfuisse, pariter ac ad Amphipolin & Potidæam, in convivio & Apologia memorat, mendacem parum memorem esse evinçere conatur, id infeliciter admodum ei cessit. Verum enim quidem est, diserte in Critone Platonem testari, quod nunquam Socrates vel ad spectaculum ullum, vel aliam ob causam, extra urbem profectus sit, nisi semel ad Isthmum. Verum idem etiam Plato eodem loco addit, eum nunquam alio extra urbem profectum esse, nisi forsan militiæ causa aliquo iverit. Quæ ultima verba cum mira oscitantia vel prætermiserit Athenæus, vel in excerptis suis non annotaverit, ipse rectius negligentiæ, quam oblivionis & malæ fidei Plato, accusatur, ut dudum τῷ πάνυ Casaubono observatum fuit. Rectius proinde mentem Platonis percepit Diogenes, de Socrate inquiens: (L. II. segm. 22.) ἀποδημίας δὲ οὐκ ἐδεήθη, καθάπερ οἱ πλείους, πλὴν εἰ μὴ στρατεύεσθαι ἔδει, h. e. ut *peregre ageret, opus non habuit, sicut reliqui Philosophi, nisi militia gratia*. Quod vero Athenæus ex Thucydidis argumentatur silentio, eo loco habendum, quo alia ejus generis argumenta, quæ negativa Dialecticorum filii appellant, jure meritoque censentur. Nec absurdum est, quod Athenæus putat, Socratem inter medias Deliacæ fugæ trepidationes fortitudinem tamen animique præsentiam retinuisse,

frustraque adeo hac quoque ex parte suspecta redditur Platonis ea de re narratio. Audiamus enim, ut
loc. cit. rem Diogenes describat. Ille, fugientibus Atheniensibus ceteris, Socratem lento passu abiisse dicit, sæpe clam respicientem, & ulcisci paratum, si quis invadere tentasset. Quid quod antequam fugam arripuit, strenue rem gerere potuerit. Quo pertinet locus Simplicii ad E-
ad c. 31. pictetum: qui eum fortissime pugnantem, & per hostile agmen se recipientem inducit, ita, ut nemo persequi eum ausus fuerit, magnitudine animi perterritis omnibus. At & in hac ipsa pugna, quæ infeliciter adeo cessit Atheniensibus, Xenophontem equo delapsum, ex præsentissimo vitæ periculo eripuit, quod præter Platonem gravissimi autores, Strabo libro nono & Diogenes in vita Socratis testantur. Nescio itaque, quid sibi velit Athenæus allegato de Socrate Herodici Cratettii loco, qui nil aliud probat, quam fugisse Socratem, nisi quod maxime in eo malevolum animum prodat, cui ut satisfaciat, causæ, quam præcipue agit, nocere mavult. Aperte enim Herodicus Deliacæ fugæ interfuisse Socratem testatur. Quod etiam probat ab ipso Athenæo allatus Antisthenis locus, quamvis in eo ille erraverit, quod ista occasione concessa a Socrate Alcibiadi militaria præmia tradat, cum ad Potidæam hoc factum esse certiora argumenta evincant. Quam Antisthenis confusionem ex eo natam esse puto, quod, sicuti in Potidæensi pugna Aristidis latus texerat, atque ita præmium, quod ei concessit, pa-
p. 155. raverat Socrates; ita ad Delium fugientis pedibus Socratis latus texerit Alcibiades eques, cujus rei autor nobis Plutarchus est in Alcibiade. Veniam itaque nobis dabit Athenæus, quod ejus suspicionibus, Platonis & Antisthenis, quos tam recente rei memoria impudenter adeo mentitos esse probabile non sit, Herodici item, Plutarchi, Strabonis, Diogenis, gravissimorum certe autorum, testimonia præferamus. Atque sic ejus quoque, quod ultimo loco attulimus, speciminis divinationis Socraticæ paulo firmior fides persistet, cui multa alia addi possent, si, quam tempori debemus, bo- Div. l. 54.
norum scriptorum cladem evadere licuisset Antipatri libro, in quo, ut a Cicerone habemus, collecta permulta erant, quæ mirabiliter a Socrate divinata fuerunt.

§. VI. Jam, ut in summam colli- de Genio Socrat. p. 589.
gamus, quæ in hactenus a nobis allatis locis observanda potissimum videntur de Socratis Dæmonio; a pueris ei illud adfuisse videmus; quo pertinet, quod a Plutarcho memoratur oraculum, quo parens Socratis, Sophroniscus, monitus fuit, ut sineret eum agere, quicquid in mentem venisset, & neque vim faceret, neque alio abduceret, sed, quo propenderet puer, eo ipsum tendere pateretur, sed vota pro eo assidue Jovi Forensi & Musis faceret, de cetero nil curiose in eum inquireret, habere eum in se ducem omni magistro præstantiorem. Hoc vero superioris cujusdam Numinis nutu ei obtigisse, c. I.
& θείᾳ μοίρᾳ; ut ipse ait in Theage, quam ὁσίαν πομπὴν in libro septimo Ποικίλης vocat Ælianus. Exeruisse autem se hoc Dæmonium in iis tantum rebus, ubi præsagio; non vero ubi consilio opus erat, graves tradunt autores, diserte Apulejus,

ubi

p. 87. 88. ubi de hoc Socratis genio agit: *Socrates Deum suum cognovit & coluit, ac propterea ejus custos, prope dicam, par contubernio, & præmonenda præmonuit: sicubi tamen interfectis sapientiæ officiis, non consilio, sed præsagio indigebat: ut ubi dubitatione claudicaret, ibi divinatione consisteret.* Huc refero quoque Plutarchi verba, quando προποδηγὸν τοῦ βίου τινὰ ὄψιν, *facultatem videndi vitam moderantem*, Socrati Dæmonium adjunxisse ait: Ἡ μόνη τοι πρόσθεν ἰοῦσα τίθει φάος ἐν πράγμασιν ἀδήλοις καὶ πρὸς ἀνθρωπίνην ἀσυλλογίστοις φρόνησιν: *quæ in anteriora tantum & futura tendens, lumen rebus obscuris accendit, & quæ humana prudentia attingi nequeunt.* Ut adeo manifestum evadat ea, quæ ratiocinando assequi poterat, Socrati genium non suggessisse. Hinc etiam Diogenes τὰ

. II . segm. 33. μέλλοντα προσημαίνειν dicit genium istum, i. e. *futura prædicere*, & Maximus Tyrius in genere Dæmones hujusmodi ibi demum, ubi deficit

Diss. XVI. ratio, suppetias ferre docet. Addicebat autem Dæmon Socrati non tantum ubi ipsi, sed etiam amicis aliquid cavendum esset. Cavendum

p. 267. inquam, nunquam enim, ut Ciceroni etiam observatum est, & sæ-

Diu. l. 54. pissime apud Platonem testatur Socrates, impellebat, sed revocabat. Quo spectat etiam Clementis Ale-

p. 321. xandrini locus, ubi Deum causam peccati non esse ostendens, licet ea non impediat, a Socratis genio exemplum petit. Καὶ τῷ Σωκράτει, inquit, τὸ δαιμόνιον αἴτιον ἦν, οὐχὶ μὴ κωλῦον, ἀλλὰ προτρέπον, εἰ καὶ μὴ προέτρεπεν. *Namque & Socrati Dæmonium non eo, quod prohiberet, causa erat, sed quod impelleret, quamvis impulerit nunquam.* Quæ verba male accepit doctissimus interpres, quod contextus nulla ratione habita ea verteret, & geminam negationem ad idem participium κωλῦον referret, cum tamen prior ad præcedentia verba respiciat. Ceterum voce intercedente, quam generalius σημεῖα nomine quoque designat alicubi, se admonitum fuisse a Dæmonio suo tum ipse Socrates apud Plato- p. 82. nem in plerisque locorum supra allegatorum testatur, tum alii, Platonem, uti videtur, secuti. Sic Apu- p. 188. lejus, Plutarchus atque alii se accepisse testantur. Additque Plutarchus, Simmiæ fide, tanquam jactatores inanes, Socrate reprehensos eos fuisse, qui per sensum visus cum Diis sibi intercedere commercia dicerent, illis vero, qui voces divinas sibi obtingere faterentur, animum eum advertisse, cumque iis serio & cum studio quodam fuisse versatum. Quod nescio, an satis cum celebratissima, quæ Socratis paulo ante fata sua obtigit, ὄψει possit conciliari, qua ipsi mulier eximia venustate, & candida veste, oblata fuisse dicitur, nomineque appellato istud Homericum occinuisse: *Tertia te Phthia tempestas læta locabit.* Rem habes apud Platonem in Critone, a quo Cicero in libris de Divinatione, Diogenes in vita Socratis, & Chalcidius in Timæo eam accepisse videntur. Forte tamen non per somnum oblata, sed ea, quæ vigilantibus obtingunt, visa, Socratem rejecisse Plutarchus judicat. At ne sic quidem scio, an satis tuta sit sive Plutarchi, sive, quem adducit, Simmiæ, fides. de Socr. Genio p. 83. Sane alia mens est Apuleii, qui non auribus modo, sed & oculis Dæmonis sui signum Socratem usurpasse

arbitrabatur. Et ne sine ratione ita sentire videatur, subjungit: *Nam frequentius non vocem, sed signum Divinum sibi oblatum præ se ferebat*. Mox addit: *id signum poterat ipsius species habuisse, quas solus Socrates cerneret, ita ut Homericus Achilles Minervam. Credo plerosque vestrum hoc, quod modo dixi, cunctatius credere, & impendio mirari formam Dæmonis Socrati usitatam. At enim Pythagoricos oppido mirari solitos, si quis se denegaret unquam vidisse Dæmonem, ut reor, idoneus autor est Aristoteles. Quod si cuivis evenire potest facultas contemplandi divinam effigiem, cur non apprime potuerit Socrati, quem cuivis amplissimo Numini sapientia dignitas coæquarat*. At hæc fateor Pythagoricis & Magicis Apuleii, & recentiorum Platonicorum somniis, quam puriori Philosophiæ Socraticæ mihi magis convenire videntur.

§. VII. Hæc igitur sunt, quæ de isto Socratis Dæmonio maxime observantur. Jam de eo, qualis fuerit, ater an albus, an ipsa Socratis ratio & bona mens, cum quadam ἀγχινοίᾳ conjuncta, quæ imminentia pericula eum cavere prudenter doceret, celebris est, & jamdudum agitata quæstio. Nec defuere ex Socraticis, qui ea de re certiores fieri cupientes, ipsum interrogarent Socratem, quid per Dæmonium suum intelligeret. Quod se ipsum fecisse Simmias refert apud Plutarchum, sed nullum ille ab eo responsum se accepisse ait, quamobrem etiam postea nunquam interrogationem repetere ausus fuerit. Et sane vix dubito inter Socraticos, de genio suo verba facientem Socratem audientes, plerosque de media quadam inter Deos hominesque natura, cujus nutu ille regeretur, id accepisse. Sane enim recentibus adhuc Pythagoræ, Empedoclis, & ejus generis Philosophorum dogmatibus, assuetæ erant eorum aures hujusmodi doctrinæ. Ut taceam amorem & existimationem, qua discipuli præceptores plerumque prosequuntur, facile illum sensum verborum Socratis ipsis persuasisse, qui honori præceptoris maxime conducere videretur. De Platone sane ex illis, quæ hactenus diximus, omnibus manifestum est, eum vel ipsum ita sensisse, vel aliis, ut ita sentirent, persuadere voluisse. Eumque sequitur tota recentiorum Platonicorum schola, quæ valde in dignitate hujus Genii, aliisque, quæ ad eum pertinent, celebrandis, est ingeniosa. Proclus in Alcibiadem, ex quo genere Dæmonium Socratis fuerit, curiose indagat, divinum eum fuisse ait, ut qui Deus in Alcibiade atque Apologia appelletur. p. 46. Rationem etiam addit: *animarum*, inquiens, *divinarum, quæ intellectualem vitam elegerunt, Dæmones sunt divini, in Dæmonum quidem genere summi*. Et paulo post: *Merito itaque Socrates Dæmonem suum appellat & Deum, tanquam ex Dæmonum ordine summum, quapropter perfectus Socrates erat, tali scilicet Dæmone gubernatus, & ad ejusmodi sui Dæmonis normam sese dirigens*. Unde porro patet, Dæmonem hunc ex eorum genere fuisse, qui circa animas in altera illa & cœlesti vita versantur. Nam, quæ est ejusdem Procli doctrina, p. 48. *circa animas, quæ ita vitam hic agunt, tanquam mox ad sublimia reditura, Dæmon hic idem est atque superne. Circa*

de Genio Socrat. p. 588.

mi-

minus perfectas vero, alius quidem est ipse secundum essentiam Dæmon; alius autem, qui vitam nuper editam comitatur, quem ἀποπληρωτὴν τοῦ βίου Platonici vocant. Atque hujusmodi Dæmonem non Socrati tantum præsto fuisse, verum & Plotino, loco allegato Proclus tradit. Sic & Plotinum, & Jamblichum, atque Porphyrium, licet de Socratis Dæmonio speciatim ipsis non sit sermo, ex iis tamen, quæ
p. 230. in genere de Dæmonibus docent, sentire manifestum est. Eandem sententiam aperte tuetur Chalcidius, tam ubi de Dæmonum natu-
p. 350. ra ex instituto agit, quam ubi peculiari opera de Socrate & ejus in divinando virtutibus loquitur: *Denique etiam*, inquit, *vigilanti Socrati non deerat propitia divinitas, quæ ejusdem moderatur actus, ut Plato demonstrat in Euthydemo*. Et paucis interjectis: *Eget enim imbecilla hominum natura præsidio melioris præstantiorisque naturæ*. Et iterum: *Nec vero dubitare fas est, intelligibilem Deum, pro bonitate naturæ suæ, rebus omnibus, consulentem, opem generi hominum, quod nulla esset sibi cum corpore conciliatio, divinarum potestatum interpositione ferre voluisse*. Nec opus est ad Apulejum provocare, qui per totum, quem de Genio Socratis scripsit librum, in illa se esse sententia prodit, Dæmonem quendam ex mediatoribus, qui inter divinam & humanam naturam intercedunt, Socrati præsto fuisse. Tardius Plutarchum nominamus, ut qui de Socratis genio sceptice disputare videatur, allatis aliorum ea de re sententiis, nil ipse definiens, ita tamen, ut in eam, quam hucusque exposuimus, maxime videatur proclivis.

§. VIII. Ab his ex recentissimis Platonicis viri quidam doctissimi non dissentiunt. Nominandus ex illis primo loco Marsilius Ficinus, qui luculente hoc argumentum tractavit in Commentario ad Platonicam Socratis Apologiam. Ubi, ut p. 278.
cetera mittamus, *Si quæras*, inquit, *qualis Socratis Dæmon fuerit, respondebitur igneus, quoniam ad contemplationem sublimium erigebat; Item Saturnius, quoniam intentionem mentis quotidie mirum in modum abstrahebat a corpore, non provocabat unquam, quia non Martius, sed sæpe ab actionibus revocabat, quia Saturnius.* Sic petita ab elementorum & planetarum qualitatibus descriptione naturam Socratici Dæmonis explicat: quem in Commentario ad Plotinum quoque ex cognatione Dæmonum cum elementis exponit, ubi tamen aereum facit Socratis Dæmonem. Verba eius sunt: *Plotinum igitur atque Socratem præstantissimum inter aereos ducit Dæmon*. Imo & ostendit, quomodo continuata, quam Platonici vocant, σειρᾷ, per eum cum summo Deo Socrates conjungatur. Aereum enim, qui Socratem ducebat, Dæmonem, ipsum a quodam inter æthereos præstantissimo duci ait: ducto similiter a quodam inter cęlestes Dęmones optimo: ut ita Socrates continuata serie moveatur a summo: quæ facile intelligent, atque cum aliis Platonicorum, Deum Socratis Dæmonem dicentium, conciliabunt, quibus supradicta recte precepta fuere. Ut vero de Ficini sententia amplius constet, movet ille de Socratis Dęmonio quęstionem: an ipsum intellectum ejus possimus Dęmonem nuncupare? quod

quod fieri poſſe affirmat, cum in Timæo dicatur ſupremam nobis animi partem Deum tanquam Dęmonem tribuiſſe: & in Sympoſio ipſe mentis amor ad divinam pulchritudinem contemplandam Dæmon nominetur. *Attamen præter hæc*, inquit, *neceſſe eſt ſuperiorem nobis ſubſtantiam Dæmonis præſidere, propterea quod, ut in Sympoſio legibusque probatur, humanum genus a divinis nimium diſtans media quadam natura indiget, qualis eſt Dæmonica, quaſi conciliatrice. Nec injuria divina prudentia, ut in Politico Protagoraque probatur, Dæmones nobis præfecit propinquiores, quaſi paſtores, ſive, ut in Critia dicit, gubernatores. Homo ſiquidem in hac ignorantiæ caligine conſtitutus, innumeriſque fortunæ vel malis agitatus, vel diſtractus illecebris, ad conſtitutum ſibi a Deo finem abſque perpetuo Dei auxilio pervenire non poteſt*. Hinc probat Deum nos Dæmonibus ſuperioribus quaſi rectoribus commendaſſe, qui vaticiniis, auguriis, ſomniis, oraculis, vocibus, ſacrificiis, inſpirationibus adjuvarent. Horum vero e numero eſſe vult Socratis Dęmonem a mente Socratica differentem. Sic igitur Platonem nos velle ſentire ait, quem recte eum percepiſſe omnino arbitror, quod omnia loca, quibus Socraticum Genium deſcribit, omnia exempla divinationum, ab eo allata, huc tendant, quodque fuſius etiam probet Proclus ad Alcibiadem Platonis, ipſam mentem & intellectum Socratis Dæmonem ejus eſſe non poſſe. Ipſum vero ſe in eadem eſſe ſententia, tum ad Plotinum, tum alibi paſſim Ficinus prodit. Sed Auguſtinum Steuchum etiam audiamus, non minus induſtrium dogmatum veterum & Platonicorum imprimis, indagatorem, qui de variis vocis *Dæmon* acceptionibus apud veteres agens, primo *Deos inferioris* ordinis eam notare ait, & ex eorum numero Dæmonem Socratis fuiſſe obſervat, quem etiam propterea ποιητὴν τῶν Θεῶν appellatum eſſe, ex Platonis Euthyphrone obſervat, & καινοτομοῦντα περὶ τὰ θεῖα: quod peculiarem ſibi Dæmonem ad latus eſſe jactaret. Imo ex toto libro octavo operis de perẽni philoſophia ſatis conſtat, hoc ſenſu ipſi venire Platonis, in quibus de Dæmonibus agit, adeoque etiam ea, quibus Socratis Dæmonium deſcribit, loca; quem proinde totum vel exſcribere, vel in compendium redactum hic exponere, & ſuperforaneum & brevitati diſſertationis Academicæ minus conveniens arbitramur. Contenti igitur nuperrimi Scriptoris A. Dacerii adhuc addidiſſe ſuffragium, ad aliam ſententiam recenſendam progrediemur. En tibi ipſa ejus verba ex argumento luculentæ verſioni Apologiæ Socratis præmiſſo. *Alii*, inquit, *Socratis Dæmonium pro inani habuere figmento, alii variis modis, quæ de eo dicuntur, explicare conati ſunt. Ego id tantum hic monebo, doctrinam Platonis, cuivis homini Genium, qui ejus ab incunabulis curam gerat, deſtinatum eſſe docentis, veritatis divinæ eſſe radium, in ſcripturis ſacris manifeſtata, ut in quibus hominum mentionem inveniamus, qui angelis ducibus uſi fuere, ipſeque Chriſtus teſtetur, angelos habere infantes, qui perpetuo faciem Patris cœleſtis contueantur. Et hoc quidem nullum dubium admittit. Quæ ratio eſt, ob quam calumniæ dicam Origenes ſcribit eis, qui inter*

fabu-

fabulas reiicere iſtam de Genio Socratis narrationem audebant. Nec contentus Genium Socrati tribuiſſe Dacerius, bonum quoque angelum fuiſſe eum ſtatuit. Mox enim ſubjungit: *Certiſſimum argumentum bonum fuiſſe, cujus auſpiciis Socrates uſus eſt, Genium, hoc eſt, quod tota vita ſua pietatem, temperantiam atque juſtitiam fuerit ſectatus; quod in omnibus rebus meliorem partem fuerit ſecutus: quod neminem unquam injuria affecerit: quod perpetuum vitiis indixerit bellum, falſarum religionum fortiſſimus extiterit impugnator, & omne ſuum tempus emendandis hominibus, & veritati atque juſtitiæ docendæ impenderit*. Equidem adverſarium hic Vir doctiſſimus e veteribus habet Tertullianum, qui per Dæmonium Socratis ſubſtantiam ſpiritualem ab ipſo diverſam intelligit, ſed eam ex ſpirituum οὐ τετηρηκότων τὴν ἀρχὴν ordine fuiſſe, exiſtimat. *Sane*, inquit ſub initium libri de anima, *Socrates facilius diverſo Spiritu agebatur: Siquidem ajunt Dæmonium illi a puero adhæſiſſe, peſſimum revera Pædagogum, etſi poſt Deos, & cum Deis, Dæmonia deputantur penes Philoſophos & Poetas*. Sed illi aliorum Patrum loca opponere non difficile eſſet, qui, ſi diſerte Socratis Dæmonium inter cœleſtes ſpiritus non reponunt, ex ea tamen, quam ubique præ ſe ferunt Socratis exiſtimatione, qua parum abeſt, quin inter ſanctos & martyres eum extollant, facile ducem ejus Genium pro tartareo Spiritu non habere deprehenduntur. Hinc cum Dacerio quoque alius ex Gallis Vir doctus, Carpentarius, qui vitam Socratis vernaculo ſermone conſignavit, hactenus conſentit, ut Genium Socratis, ſi quidem pro ſubſtantia ſpirituali ab ipſa Socratis anima diverſa ſit habendus, inter Cacodæmones referri non poſse exiſtimet. Dicit neminem in iſtam ſententiam facile deventurum, ſi conſideret morum in Socrate probitatem: ſi divinam illam, quam ad Græcorum attulit, ſuoque exemplo firmavit, expendat Philoſophiam. Si nunquam alii rei ulli quam virtutis ſtudio hominibus inculcando eum operam dediſſe recordetur. Si meminerit, acerbiſſimum bellum vitiis eum, nullo hominum, in quibus illa vivebat, habito diſcrimine, indixiſſe. Non enim eſſe iſta mali Dæmonis, quales præcipites homines dare ſoleant in illa criminum barathra, a quibus Socrates eos revocabat. *Non poterant*, ita pergit, *ab abominando ejuſmodi & periculi pleno commercio pulcherrima de bonitate & providentia divina proficiſci doctrina. Non profunda iſta animæ tranquillitas, & ſtupendus rerum infra nos poſitarum contemtus. Quas non expertus eſt vitæ hujus calamitates? Iſta Reipublicæ vixit ætate, qua veterem ſuam diſciplinam illa perdiderat, qua populare imperium in ſummæ inſolentiæ genus degeneraverat. In tyrannide vixit, everſamque vidit Rempublicam. In bello fuit. In urbe moratus eſt. Inimicos ſuos de innocentia ſua triumphare vidit. Quæ tamen uſque eo animum ejus non perculere, ut ne vultum quidem mutaverint. In medio tempeſtatum tranquillus, conſtantiam ſuam tanto magis augebat, quo magis fortuna ei ſeſe præberet inſtabilem*.

§. IX. Graves fateor rationes, quibus tanto minus opponi aliquid

cum

cum ratione existimes, quanto minus indignum est providentia divina, quæ tenebris suis immersis paganis proposuit virtutum exempla, peculiari cura tueri, & defectum ordinarii luminis, per gratiam supplere, ut in Theologorum scholis loquuntur, extraordinariam. Nec ea, quorum summa merito est penes Christianos autoritas, oracula abnuunt, quin potius haud absimilia exempla passim suppeditant. Tertullianum aliter sensisse non miror, cujus menti fortassis obversabatur, quod Pagani hoc Socratis exemplo ad superstitiones suas firmandas pariter ac aliis miraculis oraculisque passim abuterentur. At nullum exinde pro paganorum superstitionibus propugnaculum extrui posse, recordari potius debebat Vir bonus, cum accerrimus fuerit earum hostis & impugnator Socrates: quem sane vindicare sibi non poterant, nisi impudentissime mentiti, ob id ipsum quippe damnatum, quia καινῶν θεῶν ποιητὴς, hoc est ab ipsorum superstitione existeret alienissimus. Sitque adeo Genio ductum Socratem esse constet, cur malum eum pronunciemus, nulla ratio apparet.

§. X. Tanto major est apud nonnullos procul dubio hujus sententiæ fides, quanto antiquiori autoritate nititur. Sane enim ante Socratem non Pythagoras tantum, verum Empedocles etiam, & Pherecydes multa de Dæmonibus hujusmodi vitæ Ducibus & arbitris jactaverunt. Qu. Platon. sub in. c. Διτ]αί τινες ἡμῶν ἕκαστον παραλαμβάνουσι καὶ κατάρχονται μοῖραι καὶ δαίμονες, ἐνθεία χθονίη τε, inquit apud Plutarchum Empedocles h. e. *Duæ cuique nostrum obtingunt nobisque præsunt Fata, sive Dæmones, divina atque terrestris*. Taceo Poetas, quorum nullus fere est, in quo doctrinæ huius semina non invenias. Nec negaverim in Chaldæos & Hebræorum traditiones istam opinionem desinere, quæ inde ad alios quoque præter Platonicos propagata fuit, & Christianam etiam Ecclesiam in ipsis incunabulis suis occupavit, hodieque occupat. Abuterer otio meo si Patrum antiquiorum & modernorum Romanæ Ecclesiæ Doctorum loca, vel etiam fanaticorum somnia prolixius hic persequi vellem. Sunt ex Doctoribus quoque Protestantium Viri celebres, ab ea minime alieni: qui etiam Dæmonem, quem quis nactus fuit, ita ferente voluntate divina, multis, ut Socrati, variis signis & visibili quoque forma haud raro prodere sibi persuasum habent. Divina inquam voluntate, Astrologico-Magicas enim superstitiones, quibus veterum Theurgicorum ἐθελοθρησκείας imitati nonnulli, ad sensibile commerciũ pellicere solent Genium suum, de quibus multa afferre posemus, nisi petulantium ingeniorum curiositatem veriti, rectius istam camarinam non moveri existimaremus, pro re suspecta & maxime periculosa habent omnes. Ceterum commercii huiusmodi, magicis carminibus non comparati, mirabile exemplum habet Boditnus, a quo illud acceptum Antidoto suo adversus Atheismum inseruit Henricus Morus, qui Bodino (cui sane Genium huiusmodi ad manus fuisse Guido Patinus pluribus narravit) vel potius *amico Bodini*, cui illud obtigerat, & obtigisse sibi Bodino narraverat, non minus se habere firmam fidem ait, quam Livio vel Plu- Pat. nlana p. 3.

Plutarcho, quascunque res olim gestas commemorantibus. Res vero ita se habet: narravit Bodino quidam ex familiaribus, Vir sanctus, ut ipsi videbatur, & pius, se spiritum quendam habere, qui perpetuo se comitaretur. Eum vero anno demum trigesimo septimo ætatis suæ a se deprehensum & observatum esse aiebat. Colligere se tamen ex eo, quod per insomnia, & visiones, de multis sibi imminentibus malis sæpe fuerit admonitus, per omnem vitam præsto illum sibi fuisse. Sentire autem huius Spiritus commercium se tum demum cœpisse, postquam per annum integrum Deum supplex orasset, ut bonum sibi mitteret Genium, qui vitæ suæ, omniumque actionum suarum, Dux esset atque moderator. Ante & post preces istas semper binas ternasve horas in meditandis & legendis Sacris litteris & diligenti examine religionum omnium se posuisse aiebat, Deo ardentissimis precibus supplicantem, ut mundo inter tot cultus varie distracto, ostendere sibi velit, qui verus sit & quo potissimum delectetur Huiusmodi precibus vacanti forte oblatum esse locum Philonis Judæi, in libro de sacrificiis, ubi ait: *bonum sanctumque virum majus gratiusque Deo sacrificium quam se ipsum offerre non posse*. Philonis igitur consilio obsecuturum animam suam Deo se obtulisse. Hoc facto, inter alias multas visiones atque insomnia, vocem Dei aliquando inter dormiendum se audire sibi visum esse, dicentis: *servabo animam tuam. Ego sum, qui ante apparui tibi*. Ab illo tempore circa horam tertiam quartamve matutinam ostium suum quotidie pulsatum concrepuisse, quo a se aperto, nemo apparuerit, continuantibus quotidie interea hisce pulsationibus, eumque, nisi sponte sua surrexisset, e lecto excitantibus. In mentem igitur sibi denique venisse malignum hunc esse Spiritum: eaque propter obnixe Deum se orasse quotidie, ut bonum sibi angelum mittere dignaretur. Factum inde esse, ut paulo mitius ostium pulsaretur: & eo demum usque rem processisse, ut vigilanti se tandem die clara Genius manifestaverit, vitreum baucalium, in mensa, cui assidebat repositum, variis motibus agitando. Eundem biduo post, præsente etiam quodam ex familiaribus scamna feriendo signum edidisse: atque ab eo tempore hunc spiritum sibi perpetuum comitem adfuisse, signisque editis de rebus faciendis atque fugiendis extitisse monitorem. Dextram feriisse aurem, si quid male, sinistram, si recte ageret: dextram, si insidias structurus sibi aliquis accederet, sinistram, si vir bonus, & bene sibi cupiens. Signo edito cohibuisse, si quid noxium cibus vel potus minaretur: a rebus, quibus eventus non esset responsurus, revocasse: excitasse ad suscipienda ea, quæ sibi successura essent. Psalmis Deum & opera divina celebrantem, mira quadam virtute confirmasse: si in colloquiis imprudenter, si in statis precum horis observandis negligenter se gessisset, castigavisse. Somnum extrahentem, ut excuteret eum, monuisse, nec passum, ut ultra quartam diei horam ei indulgeret, sed ea audita, vocem, *quis primus surget oraturus?* insonuisse: ad Eleemosynas multum hortatum esse, & de imminentibus periculis diligenter admonuisse. Inter-

ter alia narrabat, se, cum ad dormiendum sese aliquando componeret, tamdiu fuisse ab eo vexatum, donec surgeret, totamque noctem supplicibus ad Deum precibus consumeret. Factum inde altero mane esse, ut mira felicitate carnificum manus effugeret. Quo facto, cum obdormivisset, monitricem Genii sui vocem se audivisse, *jam dicendum est, qui sedet in latibulo altissimi*. Colloqui etiam familiarius cum Genio hocce cupientem, ipse pulsatis vehementius foribus increpavit. Studiorum autem moderatorem sese præbebat accuratissimum. Libros malos, vel nil profuturos, manibus excutiebat, ipse legendo scribendoque modum ponebat; & ut quietior animus colligeret seipsum, ac meditationi vacaret frequentius, efficiebat. Imo & persæpe vigilantis aures subtilissima quadam voce, sed ἀνάρθρῳ, feriebat, certiorem quasi facturus suum alumnum, præsto se esse ad officia, & vigili cura tutelam suam obire. Ceterum vigilanti forma, quæ oculis pateret, sese obtulit nunquam, nisi quod lumen quoddam valde clarum, in orbem ductum, nonnunquam oculis eius se offerret. Præterea tamen semel in extremo vitæ constitutum discrimine, ubi ex animo Deum orasset, ut suæ consulere dignaretur saluti, super lecto, in quo decumbebat, puerum veste alba, in purpureum inclinante colorem, vultu formaque plane admirabili, sese animadvertisse ajebat. Memini Virum probum, nec indoctum, & suo loco satis conspicuum, ante annos non adeo multos simile quippiam de Judæo, ad nostram religionem converso mihi narrasse. Utriusque nomini causæ sunt, cur parcam, Judæus quantum novi ad plures jam abiit. Ille Genium sibi præsto esse assidue ajebat, formosissimi pueri forma, cæsarie fulguris instar candicante, vestibus albis & ad pedes usque promissis, monitorem, si quæ essent agenda, fidelissimum, si quæ cavenda imminerent, indicem maxime solicitum. Plura ille addebat miranda sane, & quibus non credulus ego, quæ tamen ille serio, &, ac si ipse testis quarundam rerum extitisset αὐτόπτης, affirmabat, quibus hic recensendis abstineo, ne delectari incertis narratiunculis videar. Nec de Cardani Genio quippiam addo, de quo multa ipse habet in libro, quem de vita propria scripsit, & Vir omnem laudem supergressus J. A. Thuanus in suorum temporum Historia, ut & Thuanorum elogiorum compilator Antonius Teissierius, ad quos harum rerum curiosos ablegamus.

§. XI. At in illa Bodini Historia tam multa invenimus, quæ illustrandis iis, quæ de Socratis Dæmonio observavimus, possint inservire, ut ea conferre invicem operæ pretium omnino videatur. Pauca attingemus. Monebat amicum Bodini assidue Dæmon, si quid gravius immineret malum, verba etiam facientem ne quid temere, ne quid præcipitanter, atque imprudenter effunderet continebat, studia minus profutura impediebat. Eadem Socratis Genius munera obibat, atque de ceteris quidem res ex supra adductis exemplis manifesta: orationem Socratis eum quoque moderatum esse, ex Apologia patet, in qua diserte Socrates nil movisse Dæmo-

monem, ait, dum cum judicibus ageret, sæpe alias sermones suos interpellantem, unde nil, quod detrimentum sibi afferre queat, sermones suos habuisse colligit. At in eo utrinque intercedere discrimen videtur, quod suasor nullius rei Socratis Dæmon extiterit unquam, monuisse contentus, ut abstineret, si quid, quod e re sua non esset, patrandum suciperet. At aliter familiaris Bodini amico Genius, cui non satis fuit, ducem se præbuisse, suasor etiam extitit, ad preces & laudes Dei eum excitavit, ad alia quoque, quæ usui ipsi esse possint, agenda impulit. Nolim ejus rei rationem repetere ex iis; quæ commentatur ad Apologiam Socratis Ficinus: *Non provocabat*, inquit, *Socratis genius, quia non Martius, sed sæpe ab actionibus revocabat, quia Saturnius*. Ergone Martius fuerit ille amici Bodini spiritus? sed hoc est difficultatem, solvendo, majoribus difficultatibus implicare, eamque distinctionibus expedire, quæ sunt mera cerebri, parum sani, figmenta, ut recte judicabat Vir doctissimus A. Dacerius. Magis se ipsi probat illa ratio, quod Socrates, cum virtuti fuerit deditissimus, propensissimusque ad quævis honesta amplectenda, neque aliud quippiam quam vitam simplicem atque æquabilem debuerit sequi, nulla alia re habuerit opus, quam ut prohiberetur, si qua forsan ratio ejus vel ad judicium falsum, vel ad errorem, ipsum induceret. Quæ si Dacerio probatur ratio, non defraudandus erit laude sua Ficinus, qui eandem post obscuriorem istam, cujus antea mentio facta fuit, tradidit: ***non adhibebat calcaria***, inquit, *Viro per se ad honesta propenso, sed cohibebat freno, ubi in eligendis ad finem viis, ob conjecturarum fallaciam posse decipi videretur*. Atque eodem quoque respicere Plutarchus videtur, ubi in rebus πρὸς ἀνθρωπίνην ἀσυλλογίστοις φρόνησιν Dæmonem Socrati auxilio fuisse ait. Quid ergo? an Bodini amicus Socrate inferior fuisse firmo animi ad honesta agenda proposito, qui proinde non prohibente tantum, sed suadente quoque & impellente Dæmone opus habuerit, erit dicendus? Sed loco suo ista relinquentes, quemvis hic genio abundare suo patiemur, nos reliqua persequemur, quæ in Bodini narratione Socratis cum Dæmonio suo commercium illustrant. Illud itaque non prætereundum, quod sicuti ille, quem Bodinus describit, Dæmon signo & voce munus obire solebat, oculis vix unquam conspicuus, nec ad colloquia & mutuos sermones facilis; ita Socraticus quoque genius signis & vocibus tantum usus fuerit, nec ad familiares sermones se demiserit unquam. Et quod magis mirandum, sicuti ille Bodini Dæmon, a dextris signum edebat, si male, a sinistris, si recte quid ageretur, ita Socratis quoque Dæmon contraria ratione a sinistra signum edebat si male, a dextra si recte aliquid ageretur. Autorem ejus rei habemus Terpsionem Megaricum apud Plutarchum, qui sternutationem fuisse Genium Socratis, testatus fuit, & quidem cum ipsius tum aliorum. Et aliorum quidem sternutatio, si a dextra ad Socratis aures appelleret, illum actionem suscipien-

Margin notes: p. 797. — argum. Apol. Socr. p. 12. — de Gen. Socr. p. 580 — de Genio Socr p. 581

piendam suscepisse, vel in suscepta perseverasse. Quod ita Galaxidorus apud eundem Plutarchum explicat, ut hoc signum non forte fortuna natum, sed a Genio quodam profectum esse dicat. Verum alii Socratici atque Platonici signum & vocem, qua intercedente, monebat Dæmonium de rebus necessariis Socratem, in ipso animo ejus, quam extra illum, quærere maluerunt, non sensibilem illam, quod Terpsioni isti, imo & Apulejo, ac forsan aliis visum est, sed, ut stylo Scholarum loquar, intelligibilem fuisse statuentes. Huc pertinet prolixior Simmiæ apud Plutarchum disceptatio, summam
p. 588. ejus tantum referemus. φωνῆς itaque τινὸς αἴσθησιν, vel potius λόγου νόησιν, h. e. *vocis*, quod inprimis observandum, non auditum, sed *intelligentiam* fuisse ait, qua Socrates Genii sui monita percepit. Rem illustrat simili, petito a vocibus, quas per somnum nobis audire videmur quæ non φωναὶ sint, sed λόγων δόξαι καὶ νοήσεις, h. e. *verborum*, ut ita loquar, *adparentia*, *quæ menti obversentur*, corporis impedimentis non perturbatæ. Sic etiam, quæ Socrati obtigit vox, non sonus, sed vox Genii sine sono, quæ ipsam mentem & intellectum Socratis, purum quippe, & a perturbationibus vacuum attigerit, ipsi fuisse videtur. Nimirum habere, ait, Geniorum cogitationes lucem, qua affulgeant ejus capacibus, nil opus habentes verbis aut vocabulis, atque adeo geniorum orationes ferri per omnia, in solis tamen resonare tranquillis & vacuis perturbationum animis. Eadem est Chalcidii sententia. *Vox*,
p. 150. inquit, *quam Socrates audivit, non erat, opinor, talis, quæ aere icto sonaret, sed quæ ob egregiam castimoniam tersæ, proptereaque intelligentiori animæ præsentiam cœtumque solita divinationis revelaret. Siquidem pura puris contigua esse misceriq; fas sit. Atque, ut in somnis audire nobis videmur voces, sermonumq; expressa verba, nec tamen illa vox est, sed vocis officium imitans significatio, sic vigilantis Socratis mens præsentiam divinitatis signi perspicui notatione augurabatur*. Quæ sane ita repræsentant exacte Plutarchi mentem, ut eum, cum ista commentaretur, præ manibus habuisse Chalcidium non dubitem. Nec dissentit ab iis Proclus. *Quantum*, inquit, *ad Dæmo-* ad Alcib.
nis vocem spectat, attende. Socra- p. 45.
tes sane, primo quidem per intelligentiam scientiamque rerum separatarum inspiratione Dæmonis fruebatur, ad divinum amorem assidue revocante. Secundo vero & in vitæ negotiis dirigebat providentiam suam ad deteriores, atque secundum ipsam Dæmonis actionem non intelligentia sive cogitatione tantum, neque solis viribus opinantibus, lumen accepit inde procedens, sed ipso quoque spiritu, dum per totam ejus vitam inspiratio illa Dæmonica repente præcederet, ipsumque sensum (internum intelligi puto) *jam moveret*. Atque huc etiam, nisi fallor, spectant elegantissima Maximi verba: Diss. XXVI.
ἀλλὰ ταύτῃ γε ὁ Σωκράτης ἐπλεονέκτει p. 263.
τῷ νῷ ταῖς τῶν Θεῶν φωναῖς συγγενόμενος, ὅτι τὰ αὐτοῦ ἐν καλῷ διατιθέμενος τῇ πρὸς τὸ δαιμόνιον συνουσίᾳ τοῖς ἄλλοις ἀνεπιφθόνως τε, καὶ ὅσα ἀνάγκη, προσεφέρετο. *Hoc præ reliquis Socrates, dum mente & intellectu Deorum vocibus frueretur, consecutus est, ut primo vitam suam hone-*

honeste, tanti comes Numinis, institueret, aliis deinde liberaliter, sicuti opus erat, inserviret. Quibus omnibus ex recentioribus doctissimi Dacerii suffragium est addendum, quod cum omni ex parte Plutarcho accedat, non opus erit, verba ejus paulo prolixiora hic repetere. At sicuti vocem & signa, quibus Socrati Dæmon persuus loquebatur, ad intellectum mentemque ipsam, non ad externos sensus retulere Socratici atque Platonici; ita familiaris Bodini amico Dæmonis etiam vocem intus in animo ejus resonuisse, non externa audiendi instrumenta pulsasse, Henricus Morus existimare videtur. Juvat ipsum audire: *Consentaneum*, inquit, *profecto videri potest, bonum illum Genium se in ipsius corpus insinuasse, perinde atque malos ajunt insinuare se in corpora impiorum: cumque in cerebro ejus resideret, illudque cogitando de hoc vel illo objecto figuraret, sicuti & nos de re aliqua cogitantes, ipsum figuramus, figurationes istas, externis sensibus prorsus consopitis, communi sensui facile repræsentatas fuisse, cumque in earum memoriam rediret expergefactus, fieri non potuisse, quin aliis in somniis consimilia ipsi viderentur*, sed hæc fateor ad insomnia maxime & visiones pertinent. In sequentibus quoque de excitationibus ad pietatis officia differit. *Raptus vero isti*, inquit, *devotionales interdum a Spiritu fieri poterant, accendendo puriorem quandam amoris flammam, perinde atque corroborando & excitando imaginationem*. Attamen istæ forium pulsationes, ab aliis quoque auditæ, non a Spiritu intus habitante & operante, sed exterius corpora movente, processisse videntur. Denique & istam observare utrobique liceat circumstantiam, quod mentis puritati, in Socrate pariter ac Bodini amico, tribuatur familiarius istud cum Genio commercium. Atque hinc potissimum esse puto receptam in scholis Platonicis sententiam, quod iis, qui mentem τελείᾳ καθάρσει perpurgaverint, somnia divina, & angelorum commercia, ac νοερὰι φωναὶ obtingere soleant. Unicus nobis in illam rem sufficit Porphyrii locus, qui expresse ait, si quæ eum, quem vere Dei famulum vocat, presserit necessitas, esse bonos Genios, qui, varia ratione ei occurrentes, id quod eventurum est, & quod caveri oporteat, indicent. Eos autem non voce clamare, ait, quæ audiri possit, sed, cum ipsi sint intellectuales, per intellectum eos, qui illos colunt, mysteriis initiari. Atque inde natus superstitiosus ille Dæmonum cultus, dum variis exercitiis & religionibus ad sensibile magis commercium pellicere suos Genios studerent, de quibus Jamblichi aliorumque recentiorum Platonicorum, Procli, Plotini, Marini, & ipsius Porphyrii scripta abunde testantur. Et licet illas superstitiones, Ecclesiam quoque invadentes, acriter castigaverit gentium Apostolus, in ea, quam Colossensibus scripsit epistola, quemadmodum prolixe ostendi posset, nisi vela jam contrahenda essent paulatim, & ista commentatio peculiarem potius exigeret operam; tamen vel hodie adhuc vigent in ea doctrinæ istius semina. Plures animo premunt, nonnulli proloqui etiam audent, & ne homines fanatica vertigine aperte laborantes jam nominem, aliquoties

Lib. I. de Abst. §. 38

c. II, v. 18. seq.

nobis allegatus celeberrimus Anglus, Henricus Morus, ubi sententiam Cardani, aliorumve quorumcunque, quandam in corporibus nostris dispositionem ad commercia hujusmodi cum angelis nostris requiri existimantium, rejecisset, addit: *Veruntamen regeneratio postquam ad debitum gradum pervenit, quanquam id sine multo labore animique angore fieri nequeat, omnem naturæ impuritatem facile potest corrigere. Adeo, ut nequaquam par sit, ullum eximie bonum sincerumque hominem de angelorum familiaritate desperare. Etenim, qui tam in magna gratia est apud Principem, minime mirum est, eum ab Aulicis quoque ejus paulo crebrius ac benignius salutari.* Imo parum memor illius, *habent Mosen & Prophetas*, eorum, qui ultro talia commercia ambiunt, approbat desiderium, modo illud cum superbia, sui existimatione, peculiarisque alicujus pretii affectatione non sit conjunctum.

de Immort. an. l. l. c. 8.

§. XII. Sed hucusque nos perduxit sententia eorum, qui Socratis Dæmonium distinctam ab ipso substantiam, inter summum Deum humanamque naturam mediam esse existimarunt. Eorum nunc paucis expendenda sententia est, qui ipsam animam Socratis eiusque ἡγεμονικὸν sive partem nobiliorem Genium ejus fuisse, existimant. Recentiores imprimis frequentes in istam sententiam ire videas. Testatur se in eam propendere Motthæus Vayerus præstantis ingenii vir, ubi innocentiam Socratis adversus eos, qui magiæ eum suspectum facere cupiunt, defendit his fere verbis; *At multi, quicquid de Genio Socratis jactari solet, risu dignum esse, existimant, defendentes solam Socratis prudentiam, quam liberaliter ipsi Deus impertiverat, Dæmonem ejus fuisse. Quod si tamen aliquanto plus tribuere ei cuiquam videatur, cum Eusebio,* (qui perperam, nisi fallor, pro hac sententia citatur) *Augustino Steucho & Marsilio Ficino, bonum fuisse illum Socratis Genium statuere poterit.* Richardus Simonius quoque in Critica Veteris Testamenti historia, postquam Philosophorum, qui originem linguarum ad naturam referunt, sententiam ita explicasset, ut naturam eos rationalem intellexisse per naturam persuadeat, addit: *Eodem modo explicandum est, quod in Cratylo Plato habet, ubi Deum quendam linguarum autorem esse, Cratylus contendit. Sane enim nullum alium Deum intelligit, quam ipsam rationem, quod tanto magis est verosimile, quod Theologos sæpius, quam Philosophos se gerant Platonici. Sane enim per Dæmonem etiam, sive Deum Socratis, nil aliud, quam ejus rationem intellexerunt.* Eadem est Petri Chauvini in Diatriba de naturali religione sententia: *Omnia,* inquit, *quæ dicuntur de Socratis Genio, adscribimus illius probæ conscientiæ, quæ illum ad honesta quæque accendebat. Fateor, quamplurima dicta fuisse a Platone,* Diogene *Laertio, Æliano, Apulejo, ceterisque, tam veteribus, quam recentibus, de Dæmone, quem fabulantur, adfuisse Socrati. Verum si symbolam hic meam liceat cõferre inter tot eruditos, dicemus credulæ antiquitatis somniis prætermissis, illum Genium nil aliud fuisse præter eximiam, ac inter reliquos probatissimam conscientiam, quæ Socratem maxime excitabat, ut Græciam emendaret, atque corrigeret, inter tot li-*

T. 3. opr. p.

L. 13. c. 7.

Lib. 1. c. 14. p. 85.

libi-

libidines atque voluptates, quæ, Alcibiade Duce, Rempublicam ad suum interitum eductam vastabant, vel, ut etiam vicinis ac posteris præluceret. Quod vero Veteres pedetentim de manu in manum decepti fuerint, hæc fuit causa, quod vulgo inter eos dicti Theologi crederent, unicuique homini adesse Genium, qui illum regeret. Itaque vulgo mutarunt in angelum conscientiam hominis. Huic credulitati manum dedit Socrates, qui pari usus est artificio, quod & adhibuerunt magni, ante illum, viri. Nam, ut suis populis persuaderent, quæ vellent, illis intimabant, se ab aliquo numine afflatos fuisse --- cui augendæ credulitati accedebat jocosus Socratis sermo, tum & Delphicum oraculum quod mira de Socrate prædicabat. Hæc licet paulo prolixiora ipsius Chauvini verba propterea hic adducere placuit, ut rectius candidis lectoribus judicare liceat. Reliqua, quæ subjunxit partim a viro clarissimo αὐτοσχεδιάσει prolata, secundis curis, si otium superfuisset, emendata forsan fuissent: Quod enim existimat diversimode designasse istum Socratis Dæmonem veteres, Apuleium vero temeraria ἀποθεώσει Deum postremo ex eo fecisse, id non nimis ἀκριβῶς dictum. Neque enim Apuleius, ut supra ostensum, primus *Deum* vocavit, sed ipse apud Platonem Socrates, nec *Deus* Socratis aliquid est præstantius, quam Dæmon, cum Dæmonum nobilior species Deorum nomine venire, Platonicæ Philosophiæ gnaris non sit ignotum. Nec est, quod ex Historiolis, a Platone allatis, argumentetur vir doctus, quæ ipsi tam ob paucitatem, quam ob incertitudinem suspectæ sunt. Paucitas quidem, ut nobis videtur, non nimia est, plures quidem quam duas vel tres eum non habere, ipse existimat, sed aliter rem se habere, ex supra narratis liquet. Quantum ad incertitudinem earum, non videmus quare, si, ut a Platone referuntur, eas species, minus certæ videantur, quam quæ Livius, Tacitusque, & alius quicunque rerum gestarum conditor, de rebus sui temporis, quarum ipse spectator fuit, vel alios testes fide dignos appellare potest, consignavit. Ea itaque tanquam ad rem minus spectantia prætermittere visum fuit. At doctissimi considerationum Criticarum, Historicarum & Moralium auctoris hac de re p. 64. suffragium etiam audire juvat. *Socrates*, inquit, *adeo prudentia pollebat, ut omnes res diu ante prospiciens, familiarem Dæmonem habere crederetur. At nihil aliud erat ille Dæmon, quam mens ad præsentia attenta, præterita adcurate expendens, & in futura alte penetrans, conjecturis, quas profunda rerum mundanarum cognitio suppeditat, nixa.* Idemque autor p. 215. præclaram Diogenis sententiam adducit dicentis: *Ingenio valentes oraculis facile carent.* Quem etiam adducens autor Platonismi detecti, p. 60. *omnino*, ait, *qui ingenio pollent, vivum oraculum & Dæmonem familiarem circumferunt.* Qui fusius paulo ante suam de Socratis Genio sententiam exposuerat. *Vocem*, inquit, *cœlestem, quæ Socrati obtigit, non puto cabalam Chaldæorum, vel peculiarem quandam revelationem notare. Non multum profecerit oportet in Allegorica istorum temporum Philosophia,*

qui non videt, nil aliud voces istas sibi velle, Genii, Dæmonis, vocis cœlestis, quam Socratem proprii ingenii atque rationis, quam assidue consulebat, virtute, divinam naturæ linguam, quæ Creatorem nobis annunciat, didicisse. Ratio recte consulta, & natura bene intellecta, sunt oracula sapientum. Ratio, ut Heraclides Ponticus ait, Dæmon est, quem Deus in parte corporis nostri superiore constituit, ut inclinationes vere cœlestes nobis adspiret.

§. XIII. Et sane, non hodie demum aut nudius tertius nata est illa de Socratis Dæmone sententia, jam olim apud nonnullos vel obtinuit, vel anceps eorum reddidit judicium. Proponit inter Quæstiones Platonicas sub initium statim istam Plutarchus, an naturam suam majori judicandi & inveniendi virtute præditam Deum vocaverit Socrates? an divinam aliquam causam, Geniumque, quem dictorum factorumque suorum habuerit autorem? & allatis, pro priori sententia, Menandri atque Heracliti locis, quibus alia multa, Pythagoricorum imprimis, & Stoicorum, loca addi possent, quibus mentem Deum & Dæmonem appellant, quæstionem indefinitam relinquit. Eodem referunt Timarchi Cheronensis visa, a Simmia Socratico exposita, p. 191 apud eundem Plutarchum in libro de Genio Socratis: quæ tamen ita ab eo proponuntur, ut ipse vix fidem eis apud audientes polliceatur. Erat ille Timarchus ex æqualibus Lamproclis, filii Socratis, ad præclara omnia erectus, qui, quod pernoscere cuperet, quidnam rei esset ille Socratis Genius, in antrum Trophonium descendit. Vidisse se ibi inter alia retulit, multas stellas circa voraginem quandam agitatas, aliasque in eam se demergentes, alias sursum tendentes: cumque interrogasset eum, qui præsto sibi erat ex sacerdotibus, quid hoc esset? illum respondisse: *Ipsos Genios vides, res enim ita habet. Omnis anima mentis* (quam νοῦν Græci vocant) *est particeps, neque homo est, qui ratione destituatur. Anima tamen in quantum carni & affectibus miscetur, voluptate atque dolore deterior facta, ratione privatur. Non omnes vero eodem modo animæ carni atque affectibus miscentur: namque tota se aliæ corporibus immergunt, totaque perturbatæ per omnem vitam affectibus auferuntur. Aliæ vero ex parte immerguntur, ex parte vero sui purissima supra eminent, nec plane subsidunt, sed leviter quasi attingunt caput humanum, navis instar habentes, quæ superficiem pelagi radit: & statuæ in terram defossæ, cujus pars superior & elaboratu prominet. Et ista pars quidem pura magis in iis, qui recte ea utuntur, tantum ex anima sustinet, quantum ejus ipsi obsequitur, affectuum excusso imperio. Id itaque, quod demersum in homine fertur, dicitur anima, id autem, quod a corruptione istâ integrum mansit, plerique mentem* (νοῦν) *appellant; intra se eam esse perperam existimantes: quemadmodum & in speculis esse videntur res, quarum per radiorum repercussionem ab iis exhibentur imagines. Illi vero, qui rectius sentiunt, illam partem, utpote extra positam, Dæmonem vocant.* Huc respicere etiam videtur Cicero, Somnio Scipionis sub finem, verbis: *idque ocyus faciet, si jam tum, cum erit inclusus, in corpore eminebit foras.* Integrum autem oraculum, Timarcho redditum, prolixius

lixius

lixius licet, exhibuimus, quod male admodum ab interprete habitum, a paucissimis forte recte intelligatur. Ex eo, recte vero intellecto, facile patet, mediam hanc esse sententiam inter opinionem eorum, qui separatam a Socrate substantiam, inter humanam divinamque naturam mediam, Genium ejus fuisse dicunt, & eorum, qui ipsam animam illam esse ajunt: ad quam propius tamen accedit, ipsa magis, quam vel illa vel ista, paradoxa. Ad eam vero, quę ipsam animam Socratis Genium eius fuisse dicit, sententiam, pertinere existimant etiam, quod apud eundem Plutarchum legimus, Patri Socratis de eo puero obtigisse oraculum, ut sineret eum agere, quicquid in mentem venisset, & neque vim faceret, neque alio abduceret, sed liberam eius voluntatem ferri pateretur, vota interea pro eo faceret Jovi & Musis, cetera in Socratem non inquireret curiosius, ut, qui in se ducem vitæ habeat, sexcentis magistris ac pædagogis præstantem. Facere hoc ad corroborandam eam, quam diximus, sententiam *eorum, qui Socratis Genium ipsam animam ejus fuisse existimant.*, sibi persuadet doctissimus vitæ Socratis scriptor, Carpentarius, cui & priora duo loca Plutarchi, ante allegata, observata fuerunt. At vero non video, quo modo ex ultimis istis aliquid ad eam stabiliendam peti possit. Quod voluntati enim suæ permitti Socratem vult oraculũ, hoc non excludit Dęmonis auspicia, quin potius pręsupponit, cum ideo, quod a Dęmone admonita, atque in optimam partem determinata Socratis voluntas fuerit, oraculum hoc exigere videatur. Nec solide satis urgetur, quod Socrates ἐν αὐτῷ habere dicitur illum ἡγεμόνα, si enim per motus internos ille Socratem duxisse credatur; & vero Spiritus est, ubi operatur; non video, quid exinde confici queat. At juvat ea occasione cetera quoque, quæ ad hanc sententiam illustrandam Carpentarius attulit, audire. Noluisse, inquit, Socratem Simmiæ, de hoc Genio interroganti, respondere, indeque fieri probabile, eum affirmare quidem, quod verum non esset, noluisse: sed tamen, ut opinio, quæ majorem dictis suis conciliaret autoritatem, invalesceret optasse. Sed mera hæc est, quod ipse vir doctus non dissimulat, conjectura probabilis, cui probabilem opponere quid impedit? nimirum non videri virum tantæ integritatis atque pietatis, quantæ Socrates fuisse Carpentario videtur, piis fraudibus veritatem promovere voluisse, & fraudibus quidem, quas ipse in Pythagoricis aliarumque sectarum Philosophis improbaret. Sed addit: *Quando autem Socrates ipse dicit, non omnibus, qui cum ipso versabantur, prodesse hoc suum commercium, nisi sui Dæmonis virtute juventur: amittere item nonnullos fructum ejus, simul ac a conspectu suo paulo discesserint longius, nonne ipse satis prodit, Dæmonem nil aliud esse, quam judicium suum & vividam ingenii vim, quæ durabilem magis minusve in animis audientium fecerit impressionem, pro diverso eorum habitu atque conditione?* Mihi sane, si hic respondendum sit, nexum hujus argumentationis parum evidentem mihi esse, dicam libere. Quin potius contrarium ex illo Theagis Platonici loco deducerem. Quomodo enim Socratis animus prohibere, quominus ad com-

commercium ejus admittantur non-nulli potest, pati, ut admittantur alii, sed sine fructu, peculiari denique influxu & auxilio, ut alii egregie proficiant, & tradita ab ipso in usus suos convertant, efficere? Sane rectius illa in distinctam a Socrate rem, quam in ipsum ejus animum competunt. Quod vero Socrates de voce, qua monebatur, tam multa dixit, id de internis addicentis vel prohibentis animi motibus accipi posse, Carpentarius ait, quemadmodum & nos cor animumque nobis hoc vel illud dicere, familiari sermone præ nobis ferimus. Sed, cum Socrates ipse vocem hanc Dæmoni tribuat, verbis adeo evidentibus, ut & hostes & discipuli ejus de anima ipsius accipere ea non potuerint; cum voce ista de rebus adeo multis admonitus fuerit, non video, quomodo in hunc sensum commode, quæ de voce Dæmonii sui dixit, trahi possint. Novi, prudentiæ Socratis & longo rerum usui tribui posse, quæ ille prædixit, doctissimum virum existimare: atque ad hoc confirmandum afferri, quod Xenophonti de expeditione Cyri minoris, & an in Asiam eum sequi debeat interroganti, nil responderit certi, sed ad oracula eum ablegaverit. Et nostrum quidem inquiens, (ut eleganter verba ejus apud Xenophontem vertit Cicero) humanum est consilium, sed de rebus & obscuris & incertis ad Apollinem censeo referendum, ad quem etiam Athenienses publice de majoribus semper rebus retulerunt. Sed, ut ad ultima primo respondeam, nuspiam legi, Socrati, Dæmonem suum, omnia quæ vel ad seipsum, vel ad amicos pertinerent, manifestasse, quod ne Prophetarum quidem ulli obtigisse, Theologi statuunt; quandoque tantum id factum esse puto. Cum illorum vero plerisque, quæ Socrates prædixisse dicitur, ita video esse comparatum, ut eorum, tanquam mere contingentium præscientiam, ingenii humanæ prudentiæ atque sagacitati tribuere non possim. Illa omnia igitur vel pro fabulis erunt habenda, vel adhuc habebit fundamentum nonnullum eorum sententia, qui Dæmonem Socratis ab animo ejus distinguendum esse statuunt.

[Lib. 1.] [L. 1 de Div c. 54.]

§. XIV. Priorem sententiam amplecti videtur Antonius van Dalen: *Quid non* (inquit), *dixere veteres Ethnici de Dæmonio Socratis, quid non & Christiani? At ex quibus ullius autoritatis viris constat, talem Socrati affuisse Dæmonem assessorem, cum omnes id ex ore Socratis ipsius (aut Socraticorum, Chærephontis aliorumque, quibus Socrates id dixerat) haurire debuerint.* At & nescio, an exinde, quod a Socrate tantum & Socraticis ista habemus, argumentum peti possit, quo evertatur historiæ veritas: simili enim argumento omnem Romanam Græcamve historiam in dubium vocare liceret: Socratem vero, omnesque, qui eum secuti sunt, pro viris nullius autoritatis habere vix ausim. Ut taceam eodem, quo patrum nonnulla narrata defenduntur, ista quoque defendi posse. Vix scilicet ausuros fuisse Socraticos, tot fabulas de Socratis Genio comminisci, quas si nihil veri eis subfuisset, non deerant, qui mendacii eos redarguere possent Socratis hostes: imo & alii, qui si non odio eum prosequebantur, mente saltem, nullis partibus addicta, at-

[de Orac. p. 16.]

que

que integra, in lucem protrahere ista commenta potuissent.

§. XV. Non eo animo ista disputo, quasi Socratem sensibili alicujus Dæmonii commercio usum fuisse indubitatum mihi sit, hoc mihi volo tantum, non habere certa suæ sententiæ argumenta, qui aliter statuunt. Quæ certa in hoc negotio videntur, paucis edisseram. Certum itaque puto Socratem ipsum hujus Genii mentionem fecisse, eumque vitæ suæ arbitrum agnovisse, hoc enim, si non Platoni, Xenophonti certe crederem, aliisque Socraticis, imo & illis, qui ex Socratis schola minime prodiere. Certum etiam est, discipulorum ejus plerosque hoc ita intellexisse, ut præsidem vitæ & actionum προποδηγὸν, ex sublimioribus spiritibus aliquem ei præsto esse, existimarent. Certum porro est, ipsos quoque hostes Socratis non aliter id accepisse, provocat enim Plato audacter ad γραφὴν, hoc est, *accusationem* Meliti, in qua eum hocce Dæmonium ἐπικωμωδεῖν ait, non provocaturus ad monimentum adeo recens, si aliter res sese habuisset. Nec hoc in dubium potest vocari, vix aliter accipi Socratis de Dæmone suo dicta potuisse, cum summam in dicendo ἀφέλειαν & simplicitatem præ se tulerit semper: hoc vero certe esset τερατολογεῖν, si verbis æquivocis & magnum quid sonantibus, sibi autoritatem conciliare, audientes in admirationem rapere, atque stuporem conatus fuisset. Imo & fraudibus autoritatem sibi Socratem quærere voluisse, ab eius ingenio, prout omnis illud descripsit antiquitas, est alienissimum. Illud quoque extra omne dubium est positum, multarum Socratem rerum prædixisse eventum, in quibus exitus eum non fefellit, eas vero maximam partem mere fuisse, ut in scholis loquuntur, contingentes, nec mentis proinde solertia ea assequi illum potuisse. Atqui hoc solum argumentum doctissimum Carpentarium, ut suspendere mallet judicium, adduxit, non dubito igitur eo cum reliquis, omnibus certe maxime evidentibus, iuncto, ad summum probabilitatis gradum provehi eam, quæ Socrati vitæ magistrum adhæsisse Genium existimat, sententiam. Quæ si cadat, magnorum inter veteres virorum autoritates, Socratis virtus & integritas, ipsa denique pæne dixerim omnis historiæ fides ruinam eius subsequatur, necesse est.

CAP. VII.

De Militia Socratis.

Haut uni veterum observatum est, peregrinationibus nihil sibi opus esse, Socratem existimavisse totamque vitam domi egisse, nisi ubi militia ei forte sequenda esset. Laert. 22.

Bellum exortum fuit anno II. Olympiadis LXXXVI, omnium, quæ inter Græcos gesta fuere, gravissimum. Eo Athenienses atque Lacedæmonii dimicabant. Occasionem atque prætextum illi Atheniensium cum Corinthiis de Corcyra & Potidæa controversiæ suppeditaverant: quarum urbium utraque, cum tributa antea Atheniensibus pependissent, defecerat, & Lacedæmoniorum imploraverat auxilium, qui copias etiam miserant, præsidio Potidææ quæ essent. Thucyd. L. I. p. 39. seq.

In eo bello tribus vicibus Socrates militis munia obivit. Prima vice post Olympiadis LXXXVI, annum II. in obsidione Potidææ, ad quam oppugnandam CIↃIↃC gravis Thucyd. L. I. p. 41 D

armaturæ milites Athenienses miserant, Phormione duce, qui mari classe, terra vallo urbem oppugnabat. In his Socrates fuit atque Alcibiades. Laertius, mari eos pugnasse ait, nam pedibus minime licuisse, obsistente belli ratione. Plato Socratem æque ac Alcibiadem pedibus militasse ait, quod minime contradicit Laertio: nempe omni illius belli tempore prælium commissum fuit nullum, sed velitationes tantum, atque leviores pugnæ.

Laert. II, 23.

Conviv. p. 220.

Ibid.

In eo bello, ut Alcibiades testatur, contubernalis ejus, omnes alios laborum patientia superabat, & si quando, ut in bello contingere solet, commeatus laborarent penuria, nemo huic parem se præstabat in siti & fame superanda. Quemadmodum & contra, ubi convivandum esset, ipsolus maximam voluptatem afferre videbatur. Et quamvis, sibi relictus, parcissimus vini esset; invitatus tamen, omnes bibendo longe superabat: & quod maxime est mirandum, Socratem ebrium nemo unquam mortalium vidit.

Gelu, quod in ea regione dirissimum, mira virtute toleravit: eoque ita invalescente cum maxime, ut nemo e tentoriis egrederetur, & si qui exirent, nonnisi vestibus circummuniti, & pedes pellibus, ac constipatis pannis, circumvoluti, ipse tamen ita cum ceteris militibus egrediebatur, ut nihil ad eam vestem adjungeret, qua antea usus fuisset: nudis vero pedibus per glaciem facilius incederet, quam cum calceis alii. Quod milites quidam videntes ab eo sese contemni arbitrabantur. Ut contemplatione eo tempore extra se positus quasi fuerit, commemorari quoque meretur. In cogitationem inciderat mane, atque eodem in vestigio a matutino tempore stetit cogitabundus. Circa meridiem milites id sentire cœperunt, mirantesque alter alteri narrabant, Socratem ab auroræ inde illucescentis tempore stetisse cogitabundum. Sub vesperam Jonici quidam milites circa eum strata posuerunt, & sub dio jacuerunt, attente illum observantes, an tota quoque nocte sit perseveraturus. Stetitque ille, donec illuxit aurora, & ortus est sol, quo salutato postremum abiit. Frequentes ei ejusmodi raptus fuisse, Gellius testis est. Non omittendum autem, ut in pugna se gesserit. Amicum igitur suum Alcibiadem in medio hostium videns, & graviter vulneratum, nunquam deserere voluit, sed præcedens eum, ipsum & arma ejus fortiter conservavit. Nec minor ipsius amore atque fortitudine, modestia extitit: cum enim, pugna finita, præmia Ducum illis tribuerentur, qui in pugna primas tulissent, Socrati ea deberi judices decrevere, qui tamen id deprecatus, ut Alcibiadi darentur precibus suis obtinuit.

Noct. Attic. II, 1.

Plat. l. c.

Plat. & Laert. II, c. Plut. in Alcib.

Secunda vice fortiter bello rem Socrates ad Delium gessit, Boeotiæ oppidum, Olympiadis XXCIX, anno I, quo illud oppidum Athenienses oppugnavere. Boeoti, ut autor est Thucydides, Duce Pagonda, insecuti Athenienses signa infesta iis inferre cœperunt. Et sinistrum quidem cornu Boeotorum, vel ad mediam usque aciem, ab Atheniensibus victum est, victis ad eam partem, quæ adhuc pugnabat, fuga inclinantibus. A dextro vero cornu Athenienses superabantur, quos paulatim repulsos Boeoti primum insequebantur. Pagon-

L. IV. c. 119. &c.

gondas dum sinistrum Bœotorum cornu laboraret, duas equitum turmas, clam ut collem circumirent, miserat: quæ cum repente apparuissent, Atheniensium cornu, quod vicerat hucusque, existimans alium contra se venire exercitum, graviter perculsum est: copiisque adeo Atheniensium utrinque pressis, tum il'o nempe terrore, tum a Thebanis, ab altera parte insecutis, & ordines eorum perrumpentibus: universus exercitus in fugam se conjecit: aliis quidem Delium & ad mare cursu contendentibus, aliis ad Oropum, aliis ad Parnethem montem, aliis vero alio, ut quibusque salutis spes ostendebatur. Quos Bœoti quidem insequentes cædebant, præcipue vero ipsorum equites, & Locri, qui, illis in fugam versis, auxilio Bœotis venerant. In eo discrimine Socrates, & fortitudine utebatur insolita, adeo, ut Laches fateri non dubitaverit, non inferiores extituros eo prælio Athenienses fuisse, si omnes ejus exemplo pugnavissent: & cura pro amicis consueta. Xenophontem enim in fuga, equo amisso, humi stratum videns, ipse pedibus pugnans, nam & ipsi equus perierat, humeris susceptum, per aliquot stadia deportavit, eumque defendit, donec insequi hostes desiissent. Cumque, ita infeliciter pugnato prælio, una cum aliis fugeret, in quibus & Laches erat, Archon, & Alcibiades; ipse non aliter incedens, ac si in urbe deambularet, animi robur præ se tulit, quo longissime Lachetem superaret, oculis omnia circumlustrans, ut quem incruento Marte nemini aggredi licitum sit futurum: quod ipsum etiam, ut salvus evaderet, effecit. Eos enim, qui ita sunt animati, in prælio vix quisquam audet adoriri, cum illi contra, qui præcipiti fuga se proripiunt, facile insequentium manus incurrere soleant.

Plato Symp. p. 221. A.

Laert. II. 23. Strab. L. IX. p. 403. B.

Plato l. c.

Cum ad bivium delati essent fugientes, Socrates quidem substitit aliquantum, comitesque, ne pergerent ea, quam ingressi fuerant, via, ad montem Parnethem, sed altera potius, per Retistam, admonuit. Nempe Dæmonis, inquiebat, audio vocem. Major pars iram vix continebant, tempore minime opportuno jocatum eum existimantes. Paucis, ut se sequerentur, persuasit, in quibus Laches & Alcibiades erant, qui salvi patriæ redditi fuerunt. Reliquis equites hostium occurrerunt, qui a persequendis ceteris redibant, eosque aggrediebantur. Hi armis certare initio, ubi majore tamen hostium numero includerentur, retrocedere: postremo oppressi omnes interempti fuere, unico excepto, qui scuti sui ope salvus Athenas evasit, cladis illius nuntius: altero item, Pyrilampe, filio Antiphontis, qui hasta vulneratus & captus fuit. Qui cum ab Atheniensium legatis, pacis causa Thebas missis, Socratem cum ceteris sociis suis salvum Athenas rediisse, audivisset; Thebanis omnibus fassus est, identidem se una cum reliquis commilitonibus suis revocatum a Socrate fuisse, qui, Genio ejus obsecuti minus cæsi misere fuerint.

Plut. de Gen. Socrat. p. 580. C. Socr. Ep. I.

Postremo militiam secutus fuit eodem anno ad Amphipolin, quæ capta eo tempore a Brasida fuit, Lacedæmoniorum Imperatore. (Quamvis autem ea, quæ de militia Socratis habent Autores allegati, mendacii arguere nitatur Athenæus,

Plat. Apol. p. 28. E. Laert. II. 22. Thucyd. L. IV. p. 320. D. Athen. L. V. p. 215. sq.

næus, ita tamen manifeste iniquum adversus eum prodit animum, solideque adeo ejus ratiunculis, a nupero vitæ Socratis scriptore Gallo, Carpentario, satisfactum est, ut ulterius examen illæ mereri haud videantur.)

CAP. VIII.

Qualem se in democratico & oligarchico Reipubl. statu gesserit.

NUllo in Republica munere fungi Socrates voluit, nisi quod Senatorem, provecta jam ætate egerit, sive quod Atheniensium Rempublicam, licet popularis regiminis speciem præ se ferret, ad tyrannidem tamen & monarchiam propius accedere sentiret, quæ Æliani sententia est: sive quod Genii monitu a publicis negotiis arceretur, ut ipse est fassus. Quod quidem consilium saluum eum præstitit, ut quem consentire in ea, quæ perperam & contra jura in Republica fierent, sua virtus non pateretur: quibus tamen sese opponere neminem sine maximo posse periculo, exigui illius temporis experientia eum docuerat.

Var. III. 17. ap Platon. Apol. p. 31. E.

In Senatum lectus est, nomine Antiochidis tribus, ad quam, ut observatum supra*, Alopece, pagus, qui Socrati natales præbuit, spectabat. Eam vero ob caussam sacramentum quoque senatorium præstitit, a Solone institutum, quo comprehendebatur, ut secundum leges sententiam diceret, neque amore, neque odio, vel alio prætextu quocunque præpeditus. Porro Olympiadis XCIII. anno tertio, cum Prytania ad Antiochidem tribum devolueretur, Prytanisque fieret Socrates, occasio ipsi constantiæ exercendæ data fuit. Navali prælio apud Arginusas Athenienses & Lacedæmonii concurrerant. Duces Atheniensium X. fuerant, Lacedæmoniorum classi solus præerat Callicratidas. Inferiores ea pugna Lacedæmonii discessere, navi prætoria submersa. Athenienses Arginusas rediere, navibus amissis XXV. una cum vectoribus, paucis exceptis, qui ad littus evaserant. Duces decem Therameni & Thrasybulo, triremium præfectis, in mandatis dederant, ut naves, quæ naufragium fecissent, investigarent: quod ut efficerent, cum vela fecissent, subito orta tempestas eos impedivit. Ducum horum sex, Athenas reversos, simul ac advenissent, re omni de prælio exposita, in carcerem Senatus coniecit. Eos Theramenes accusaverat, qui eos examinandos esse urgebat, cur naufragis non subvenissent. Respondebant Duces, quod poterant iure, se, ut subveniretur, in mandatis dedisse, reosque esse, magis quam alium quemvis, debere Theramenem & Thrasybulum, quibus id datum fuisset muneris: nolle tamen se in accusatores criminationem retorquere, satis enim tempestatem esse omnibus excusandis. Ea tum quidem responsione contentus senatus fuit. Paulo post tamen, circa Apaturia, (quod festum Atheniensium est) quidam ex Theramenis amicis, eius instinctu, tonso capite atque pullati incessere, eoque habitu, eorum, qui naufragio perierunt, agnatos se esse aientes, senatum adivere, atque X. ducum caussam denuo tractandam esse urgentes, adeo populum accendere, ut senatum minis ad ferendam reclamantibus licet legibus adversus

Plat. Apol. p. 32. B.
* cap. I.
Xenoph. mem. I. 1 p. 711.
Plato l. c.
Xenoph. Hist. Gr. L. I. p. 446.

X. Du-

X. Duces sententiam cogerent. Socrati, ut decretum adversus eos perscriberet, mandatum fuit: quod ille se facturum negavit, imperitiam scribendi & formæ decreti ignorantiam caussatus. Id vero risum omnibus in Senatu movit, indeque forte nata Porphyrii calumnia fuit, qui scribere ægre Socratem potuisse, affirmavit. Hoc tamen Socrates faciens, εἰρωνεύων id fecit: genuinam vero rationem Athenæus agnovit, invictam eius fortitudinem fuisse, in non offendendo in Reipublicæ leges, quas iuramento sese promiserat observaturum: id quod magis est reveritus, quam vim, quæ ipsi quidem minabatur. Sane enim, cum ad sententiam ferendam pergeret Senatus, solus suffragium suum ei opposuit. Quo facto cum oratorum haut pauci eum accusare pararent, populusque voce tumultuante, ut ea de re quæstio institueretur, postularet; ipse tamen in legum & iuris gratiam periculum subire maluit, quam carceris mortisve metu in iniustam consentire sententiam: qualem fuisse eam, qua capitis supplicio addicti viri illi fuere, ipsi Athenienses postea agnovere, pœnas eius rei subeunte Theramene, non dissimiles eis, quarum causa extiterat: qua tamen rursus occasione Socrates animi invicti experimenta edidit.

Athen. L. V. p. 257. F. Xenoph. mem. L. I p. 711. B.

Xen. l. II. 24. ἀλλὰ καί με ... ἐψηφίσθαι. forte leg. μόνον ἀντιψ.

Post diuturnum cum Lacedæmoniis bellum, quod per annos XXVII. fuit continuatum, ipsis postremo Athenis a Lysandro, Lacedæmoniorum Duce, expugnatis (quod factum est Olympiadis XCIV. anno I.) de mutanda Republica ex Democratica in Oligarchicam contentiones sunt ortæ. Theramenes popularem Reipublicæ formam tuebatur, Lysandri tamen autoritate & minis victus, in triginta constituendos rectores consensit, qui totidem reapse tyranni fuere. In eis ipse erat Theramenes, cui id officii datum est, quod magna esset æquitatis eius & continentiæ fama, ut aliorum rapinas atque avaritiam coerceret: Critiæ inquam, Socrati antea amici, iam vero infensissimi, quod Eurydami ipsi improperasset amores. Chariclis item, & reliquorum, quorum a Xenophonte nomina, iuxta cum cædibus, & iniustis proscriptionibus memorantur. Hi, a malis puniendis facto initio, ad opulentissimos quosvis inde perrexerunt, in optimis civibus desinentes. Non posse inveniri urbem magis miseram, quam eo rerum statu Athenæ extitere Seneca affirmat. „Mille trecentos viros, vel ut Æschines habet, mille „quingentos, & optimum quem- „que (indicta causa) occiderant. „Nec finem ideo faciebat, sed irri- „tabat seipsam sævitia. In qua civi- „tate erat Ariopagos, religiosissi- „mum iudicium, in qua senatus „populusque senatui similis, coi- „bat quotidie carnificum triste col- „legium, & infelix curia, tyran- „nis angusta. Ne spes quidem ulla „recipiendæ libertatis animis po- „terat offerri, nec ulli remedio o- „pus erat contra tantam vim malo- „rum. „Diffugere omnes, Socrates „tamen in medio erat, qui *pedem* „*porta non extulit*, is lugentes pa- „tres consolabatur, & desperantes „de Rep. exhortabatur, & divitibus, „opes suas metuentibus, exprobra- „bat seram periculosæ avaritiæ pœ- „nitentiam; & imitari volentibus „magnum circumferebat exemplar,

Diod. Sic. l. XIV. p. 364.

Sen. de Tranq. anim. p. 153.

Æschin. or. C. Ctesiph. p. 309. C.

Cicer. ad Attic. XVI. Ep. XV. Senec. l. c.

cum

„ cum inter triginta Dominos liber „ incederet.

Diodor. Sic. l. c. p. 417. Xenoph. l. II. hist. Græc. p. 464.

Quam quidem sævitiam & injustitiam non ferenti Therameni Critias diem dixit, tanquam Reipublicæ proditori, quam tamen ille ex sententia senatus gesserat. Ast Critias, & qui ejus partibus studebant, Oligarchiæ a Theramene metuentes, manum armatorum ei immisere, qui captiuum eum ducerent. Ille contra ad aras confugit, a quibus vi distractus, dignum se ostendit Socrate magistro discipulum, ut Diodoro Siculo est relatum. Miserabatur eum populus, nemo suppetias tamen ferre audebat, quod militibus undique stipatus incederet. Accurrebat solus cum duobus amicis Socrates, qui militum manibus eum eripere conati sunt, quorum tamen impetum repressit Theramenes, se laudare inquiens atque amplecti virtutem eorum & amorem, majus tamen sibi obtingere non posse malum, quam si morte ipsis sui amor sit luendus. Unde Socrates, cum sociis, neminem alium in partes suscepti operis venire, multumque se a parte adversa superari videns, cessit. Theramenes vero in carcerem conjectus, ex judicum sententia cicutam bibere jussus est.

Ælian. Var. II. 11.

Eas vero XXX. tyrannorum injurias severe reprehendere non cessabat Socrates. Quum videret enim multos summæ existimationis viros interfici, & locupletissimos quosvis gravissimis insidiis circumveniri, ad Antisthenem dixit: *Nunquid te pœnitet, quod in vita nihil magnum, neque spectabile consecuti simus? quemadmodum videmus in tragœdia describi Reges Atreos, Thyestasque & Agamemnonas, atque Ægisthos, nam illi obtruncati in tragœdiis & mala fercula comedisse ubique leguntur. Nemo vero Tragicorum eo progressus audacia est, ut porcum mactatum in scenam introducat.*

Laert. II. 34. Xenoph. Memor. L. I. p. 716. D.

Indignanti quod despiceretur, postquam XXX. tyranni summam rerum occupassent, *Ergone*, inquiebat, *pœnitet? Mirum item videri*, si bubulcus, *qui & numerum vaccarum imminuat, & deteriores eas reddat, non malum se bubulcum esse fateatur: Sed hoc magis mirum, si, in civitate quis factus princeps, & cives pauciores deterioresque reddens, non erubescat, neque malum se civitatis rectorem esse fateatur.* Quod quum ad eos renunciatum esset, arcessito Socrati, Critias & Charicles ne dicendi artem apud adolescentes exerceret, interdixere. At eos Socrates interrogavit, *ecquid in interdictis, quod non intelligeretur, quærere liceret?* cumque ei rei annuerent; *Ego igitur*, dixit, *legibus quidem parere sum paratus, sed tamen ne per ignorantiam committam aliquid, informari a vobis velim, utrum, quum dicitis, ab arte esse abstinendum dicendi, hanc ipsam artem eo mandato comprehendi censeatis, qua recta dicuntur, an qua recta minus? Nam si eo comprehendatur ars, qua recta dicuntur, a recte dicendo mihi abstinendum erit; si ea, qua dicuntur minus recta, operam mihi dandam esse patet, ut recta dicam.* Tum excandescens Charicles, *quando*, inquit, *ignoras hoc, Socrates, quod facilius intelligas dicimus, prorsus uti iuvenibus non colloquaris.* Tum Socrates, *ne vero in hoc quoque mandatum impingam, definite juvenum ætatem.* Tum Charicles,

cles, *ea sunt, quicunque senatorum nondum habent ætatem, prudentiam consummatam nondum consecuti. Adeoque cum iis, qui annum XXX. nondum adtigerunt ne colloquitor.* *An vero*, inquiebat ille, *ne emere quidem mihi quicquam licebit ab eo, qui illam ætatem non attigerit, nec, quanti vendat interrogare? Id vero licebit*, respondebat Charicles, *verum si soles tu interrogare de rebus, quas præclare cognitas habes & perspectas, de iis quærere caveto. Annon vero respondebo*, inquiebat ille, *ubinam habitet Charicles, vel ubi sit Critias, interrogatus. Imo ejusmodi quæstionibus*, respondebat Charicles, *licet*. Critias autem, *ab his tibi abstinendum, o Socrates*, aiebat, *quæ sutoribus, & fabris, & arariis artificibus abs te proponuntur. Etenim arbitror abs te jam illorum aures pertusas loquacitate tua esse. Ergo*, subiecit Socrates, *abstinendum a justitia, pietate, ceterisque rebus, quæ justa sunt. Profecto*, aiebat Charicles, *etiam a bubulcis, quod nisi feceris, cave, ne & ipse vaccas pauciores reddas.*

Ibid.

Istud vero odium atque indignatio eorum adversus Socratem incrementa ex eo ceperat, quod amici quidam ejus urbe clam excessissent, quod ipsius factum interpretabantur instinctu, ut Thebanis, quæ Athenis gerebantur, proderentur. Neque ea fundamento carebat suspicio, ut ex epistolarum ejus ultima est colligere. Eam igitur ob rem ad causam dicendam citatus est, ubi, postquam de variis rebus respondisset, ut occasionem nanciscerentur uberiorem ipsum opprimendi, una cum quatuor aliis ad Piræum * abire, ducendi ad carcerem Leonis causa, quem morti destinaverant, opibus eius inhiantes, iussere. Id vero Socrates, se quidem facturum, negavit, nunquam se iniustæ rei manus commodaturum inquiens. Cui cum respondisset Charicles, *itane putas, o Socrates, te libere loquentem, nihil propterea laturum mali? Imo mala infinita*, respondit ille, *æque tamen grave nullum, quam si iniusti perpetravero quippiam.* Tum vero Charicles pariter ac ceteri eius collegæ conticuere. Iveruntque reliqui quatuor ad accersendum Leonem, Socrates vero recta domum perrexit. Ab eo vero tempore adeo conceptum adversus ipsum odium incaluit, ut, nisi eorum sublata autoritas fuisset, capitis ipsi fuerit subeundum discrimen.

* Ita in Ep. Socratis cit. Sed Plato in Apologia p. 32. habet, in Tholum, ut Leonem Salaminium Salamine adducerent.

Plato Apol. I c.

CAP. IX.

Ejus cum Sophistis & Anyto controversia.

Sophistæ, ea ætate magistri dicendi, quales Leontinus Gorgias, Thrasymachus, Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceius, Hippias Eleus, aliique multi temporibus eisdem, docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior, ita enim loquebantur, dicendo superior evadere posset: concinnitate utentes sententiarum, argutoque & certo ac circumscripto verborum ambitu, ad voluptatem aurium magis, quam ad certamen iudiciorum composito.

Cic. Bruto c. 8.

Cic Orat. c. 12.

Eorumque tanta erat existimatio, ut quocumq; loco iuvenibus persuaderent, ut omni cum aliis commercio valedicentes, ipsos unice se-que-

Liban. Apol. T. I. p. 642. C. Cic. Brut. c. 8.

quererentur. Iis opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat verbis: Quæstionibus pro more suo eos vexans, multumque parta existimatione inferiores esse ostendens: nec ipsos intelligere ea, in quibus aliis institutionem pollicerentur. Juvenes vero ab inanibus eorum colloquiis revocabat. Atque eos, qui ingenio & eloquentia pro divinis hucusque fuerant habiti, vanos esse verborum captatores, ignorantes eorum, quæ profiterentur, atque opus habentes potius, ut, minerval solventes, instituerentur ipsi, quam ut alios instituerent, eo accepto, demonstrabat. Quas Socrates reprehensiones probantes Athenienses, Sophistis derisis, ad solidam colendam virtutem iuvenes suos excitabant.

Liban. l. c. p. 642. A.

Sed & alia Socrati diu agitata controversia fuerat, quæ mortis quoque ipsius extitit occasio, quamvis haut paucis ante annis initium cepisset. Anytus nempe, professione Rhetor, sed quem privatim aleret coriaria mercatura, atque ditaret, filios duos in Socratis disciplinam tradiderat. Offensus vero, quod ei operam navantes, eo usque haut profecissent, ut alimenta sibi ex causis dicendis possent comparare, a Socrate abductos operę addixit, cuius ipsum quidem publice tractandæ puderet. Id quod ægreferens salutis iuvenum studio, Socrates, (quibus impendentem ruinam præsagiebat, eventu minime fallente, ut quos sua paulo post perdiderit intemperantia,) Anytum ideo reprehendere non cessabat, identidem discipulis suis occinens. „ Infanda esse, quæ ad coriariam „ pertineant, neque iuvenibus ferenda: Nempe res, quas quisque tractet, cordi ei esse debere, „ ut Medicina Damoni, Conno Musica cordi sit. Ipsum Anytum, „ quandiu in Schola sua filii ejus „ fuissent, eorum, quæ ipsi discerent minime puduisse, quamvis „ id satis non esset, ut causis „ dicendis victum sibi quærere possent. Sed ipsi sibi gratulabatur, „ Plutonis galea & Gygis annulo, „ quod tectus incederet, dissimulabat enim apud cives coria sibi victum præbere, parum honeste operæ, cujus puderet, lucri nullo captus pudore, quo vel carere debebat, vel operam non dissimulare. †

Liban. l. c. Xenoph. Apol. p. 707. A. Ep. Socratis. XIX.

Anytus, teste Aeliano, nihil non intermittebat, quo illud ulcisceretur opprobrium, verum Athenienses timebat, dubitans ecquo animo accusationem essent laturi, nam magnum erat tum Socratis nomen, cum propter alia, tum quod Sophistas arguebat, qui nihil honesti vel scirent, vel dicerent. Cum Melito igitur consilia conferebat, iuvene, Rethore, Socrati plane ignoto, quem Plato describit, hirtis capillis quod fuerit, non nimis promissa barba, ac naso præadunco; qui drachma ad quamcunque rem posset impelli. Eius consilio igitur periculum facere in re minoris momenti, quam in partem accepturi essent accusationem Socratis Athenienses, voluit. Nam aperte statim eum in crimen vocare non arbitrabantur esse consultum, partim ob

Aelian. Var. II. 13.

Schol. Aristoph. ad Nub. p. 273. Euthyphrone. T. I. p. 2. B. Liban. Apol. T. I. p. 644. B. Aelian. l. c.

† Corruptissima hic Græca sunt in epistola Xenophontis, ex qua ista Stanlejus refert. Sensum item, quem ex iis exculpendum esse putavit ille, mutare nolui.

ob paulo ante dicta, partim ne Socratis amici & asseclæ exasperatos contra accusatorem judicum animos in suas partes pertraherent, ut qui falso detulisset hominem, non solum nullius mali in civitate autorem, verum etiam ex diverso civitatis Atheniensium ornamentum. Aristophanem ergo Poetam Comicum excitant, scurram & nugatorem, ut in scenam Socratem produceret, & ab iis, quæ plerique de eo conficta norant, malis taxaret atque incesseret: esse nempe eum nugatorem, & dicendo efficere, ut malæ causæ bonæ videantur: introducere novos Dæmones, quum ipse neq; agnosceret interea, neque coleret Deos ullos: atque hæc ipsa quoque in eos, qui ejus opera uterentur, transfundere, eosque in falsam opinionem deducere. †† Aristophanes arrepto argumento, strenue risum interposuit, optimum Græcorum sibi argumentum faciens, non Cleonem, non Lacedæmonios, aut Thebanos, aut ipsum Periclem: Sed virum Diis omnibus, præsertim Apollini, charum. Rei itaque insolentia, & inusitato Socratis in scena spectaculo, primum omnes Athenienses, nihil minus qui expectassent, obstupuere. Deinde, ut qui natura ad invidiam essent proclives, & ad optimis quibusque obtrectandum propensi, non solum illis, qui in administratione Reipubblicæ, & magistratibus excellerent, verum aliis etiam, qui vel doctrina litterarum, vel vitæ gravitate præfulgerent, *Nubes* illas (id nomen dramati erat) libentissime audivere, & actorem, qui Socratis personam gerebat, plausu tanto sunt prosecuti, quanto antea nunquam: imo acclamando victoriam ei decrevere: mandaruntque judicibus, ut Aristophanis nomen, non alterius, supremum scriberent. Socrates vero, rare ad scenam adibat, nisi quando Euripides cum novis Tragicis certaret, sive eo in loco, sive in Piræeo; tum enim ventitabat. Nempe sapientiam virtutemque & excellentiam carminum ejus adamabat. Equidem Alcibiades nonnunquam, & Critias, ut comœdias in theatro audiret, eum invitabant, & tantum non cogebant. Verum ille adeo magni Comicos haut faciebat, ut potius mendacia eorum, mordacitatem, & futiles nugas contemneret, id quod imprimis male eos habebat. Atque id ipsum quoque in causis fuit, quæ Aristophanis comœdiam peperere: neque enim iis solis, quæ Anytus & Melitus suggesserant, ea debetur. Neque etiam vero dissimile est, Aristophanem magna pecunia ex hac re locupletatum fuisse: Nam & cupiebant omnino hostes Socratis, & festinabant Socratem calumniis proscindere, & convitiis: eo vero, quod pauper esset & malignus Aristophanes, admittendis eorum corruptelis facillimum se præbebat. Ut paucis rem absolvamus, summo ab omnibus plausu drama exceptum fuit, etenim illud Cratini tum quidem obtinebat:

Sce-

†† Stanleius hæc ita interpretatus fuerat, ac si Ælianus ex quo hæc desumta, dixisset, Melitum & Anytum Aristophanem impulisse, ut ista, quæ præcessere, commenta Socrati amicissimis quoque persuaderet. Verum prætulimus sensum, quem ipsa Græca Æliani luculenter fundere videbantur.

Scenam occupat totâ impetigo strenue.

Quoniam autem Bacchanaliorum festum tum celebrabatur, magna Græcorum multitudo spectandi animo eo confluxerat. Quumque in scena Socratis persona compareret, atque ille crebro nominaretur (quem non mirum exacte repræsentasse histrionum personas, cum vel figulos ejus formam feliciter esse imitatos constet) peregrini, quis in scena traduceretur, nescientes, susurro & murmure excitato, quisnam esset ille Socrates? interrogabant.

Quod quum animadvertisset ille, (etenim non forte fortuna aderat, sed antea monitus se traducendum in comœdia esse, eoque maxime conspicuum theatri locum occupaverat,) ad tollendum ex animis peregrinorum hæsitationem surrexit, & per totum drama, congredientibus histrionibus, stans cernendum se præbuit, atque ridens. Cumque a præsentium nonnemine esset interrogatus: istane moleste fers, Socrates? Nequaquam vero, dixit, nam in hoc theatro velut in magno convivio oblectandis pluribus; qui iocos in me coniiciunt, inservio. Primum hæc Comædia Isarcho Archonte acta fuit, cum Cratinus victoriam reportasset, anno I. Olympiadis LXXXIX. Eandem Aristophanes, cum reprehensionem quorundam ob eam incurrisset, ulciscendi animo rursum insequenti anno exhibuit, Archonte Amynta, apparatu & ordine haut paulo deteriore.

Æilan. Var. V, 8. Plutarch. π. παιδ. ἀγ p. 10. C.

Schol. ad Arist. Nub. init.

Amipsias quoque, alius Comicus, Socratem derisit in dramate, cui Tribonis titulum * fecit, hisce inter alia verbis:

Laert. II, 28.

* Non putem εἰ τρί βω.ι

O Socrates, multis stultior, paucissimis
Melior, jam ne ipsus ades, obdurans & perferens.
Hanc penulam tibi quæso quis induit?
Fraus hoc incommodi coriarii dedit.

apud Laert. titulum dramatis notare, sed habituum, quo Socrates in scena sistebatur. Hinc *penulæ etiam* mentio in versibus Amipsiæ.

CAP. X.

Judicium Socratis.

AB eo tempore, quo primum controversia inter Socratem & Anytum mota fuit, complures præteriere anni, quibus sibi invicem publice obtrectabant: clandestinis quoque insidiis utebatur Anytus, donec, postremo opportunitatem nactus, efficeret, ut accusationem adversus eum apud Senatum institueret Melitus, erat autem libelli ejus ille, qui sequitur, sensus Melitus, Meliti filius, Pit„thensis, Socratem, Sophronisci „filium, Alopeciensem, defert. „Socrates, præter jus & æquum, „Deos, quos civitas esse censet, ipse „non censet, novaque Deorum numina introducit: præter jus et æquum item, juventutem corrumpit: „pœna illi, mors.

ex Laert. II, 40.

Hoc libello, iuramento intercedente, oblato (ἀντωμοσίαν Plato appellat) Crito vas eius sistendi factus est. Paulo post clanculum ad eum misit Anytus, precatus, ne deinceps mentionem facere vellet coriariæ a se exercitæ, quod si promitteret, vicissim actioni se renunciaturum pollicebatur. At Socrates, veritatem dum viveret, se dissimulaturum haut esse respondit, nec unquam aliter, quam fecisset huc vsque, de eo locuturum. Neque actionem ab eo institutam id impetraturam, ut ab iis dicendis revocari se patiatur, ad quæ

Plat. Apol. p. 1193. v. Suid. de hac voce. Liban. Apol. p. 644.

ad quæ proferenda sese officio teneri existimet.

Xenoph. Apol. p. 701 D. & Mem. L. IV. p. 816. D.

Tempus omne, quod ab accusatione inde ad iudicium usque effluxit, philosophiæ, pro more, impendit, nihil de defensione solicitus: quod cum Hermogeni observatum esset, eumque ille ea de re interrogaret; *Nonne vero*, respondit, *existimas omnem ea meditatione vitam me exegisse?* * Illo vero querente, *quo pacto*? dixisse Socratem, *quoniam nunquam iniusti quidquam admisi, qua sane optima sit defensio. At observamus*, Hermogenes aiebat, *oratorum arte quandoque iudices eo adduci, ut sententiam adversus iustos ferant, absolvant iniustos. At profecto*, aiebat Socrates *his defensionem ad iudices meditari volenti numen adversatum est mihi.* Tum Hermogenes; *mira sane refers. Mirumne vero sit*, Socrates repondebat, *Deo videri potius esse, ut hoc tempore vivendi faciam finem? Ad hoc usque tempus nemo me vel melius vixit, vel iucundius, idque, ut nunc mihi maximo est solatio, ita summa, & amicis meis, & mihi extitit voluptati. Quod si diutius vivam, necesse erit senectæ subire incommoda, auditu male & visu affici, minus intelligendi facultate valere, minus ad discendum fieri idoneum: magis vero obliviosum; qui fieri itaque possit, ut diutius vivere, & deterius, cupiam? Verosimile est, Deum mei amantem voluisse, ut ætate, qua maxime deceret, modo optimo morerer. Nam si indicum moriar sententia, mortis genere occumbam, quod lenissimum est omnium, minimumque negotii exhibiturum amicis, quo nihil committatur indecori in præsentium conspectu, corpore atque animo sanus discedere possim. Hoc annon optabile sit imprimis? Optime profecto Deus meditandæ defensioni adversatur: nempe eam si pertexere datum esset, extraheret id meam in hac vita commorationem, ut morbis excruciatus, & senectæ imbecillitate, demum vitam finirem. Equidem illa, mi Hermogenes, ego profecto non expeto. Sed si vita mea expositis rationibus, utq; adversus Deum & homines me gesserim, iudicib. visum fuerit, ut capitis supplicio afficiar: mortem eligã potius, quam ut vitam longiorem emendicem, morte deteriorem.* Similiter alii ejus familiares ad defensionem parandam eum exhortabatur, de victoria securum esse iubentes. Disertissimus orator Lysias, quum ei scriptam orationem attulisset, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit, & commode scriptam esse dixit, non sibi tamen eam commodam esse. Lysia vero, quo pacto sibi minus commodam diceret? interrogante, *annon vero*, aiebat, *calcei aut vestes concinna esse possunt, & elegantes, nec tamen mihi convenire? Si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles, & apti ad pedẽ, quia non essent viriles*: sic illam orationem disertam sibi & oratoriam videri, fortem & virilem non videri. Quamvis enim acerbe adversus iudices dictis refertissima esset, erat tamen illa iudiciali instituto vicinior, quam ut Philosopho conveniret.

* Stanleius vertebat: *Affatim defensionis circumspicio, omnem vitam, quam tenui constanter, rationem expendens, & persequens.* quæ tamen à Græcorum sensu recedunt, maxime si conferas locum ex Memor. allegatum.

Cic. de Or. I. 54. Laert. II. 41.

Plut. X. Rhetorib. Lys. Laert. II. 40. Xenoph. Apol. l. c. Laert. II. 39. Liban. Apol. l. c.

Cum iudicii adesset dies, Anytus, Lyco, & Melitus, accusationem contra eum instruere parabant, primus plebis, secundus oratorum, tertius poetarum causam acturus. Primus Melitus cathedram conscendebat ei negotio destinatam atque orationem, tenuem satis atque ieiunam, infeliciter adeo recitabat & pueriliter, ut nonnunquam

 præ-

præ metu penitus exciderit, atque histrionis instar inflexo capite, speciem ejus præ se tulerit, qui subveniri memoriæ suæ peteret: ut risum continere non possent vel ii, ad quos maxime causa tanti momenti pertinebat. Eius orationis pars extitisse videntur sequentia, sparsim a Xenophonte tradita, quorum nonnulla a Libanio etiam allegantur,

Memor. l. p. 712. B. *Persuadere Socratem auditoribus suis, ut leges receptas contemnant, stultorum esse*, aientem, *ut fabis gubernentur*; id, quod ad suffragia spectat Senatorum, quæ ferebant *fabis* in urnam coniectis.

Memor. l. p. 713. A. *Esse Socratem ex Critia atque Alcibiadis necessariis*, quorum illius summa se in Oligarchia prodiderat avaritia atque violentia, alter tyrannidem affectabat.

Mem. l. p. 719. B. *Suos item eum, ut parentum detrectarent obsequium, impulisse, discipulis pollicitum, facturum se, ut parentibus sapientiores evaderent: atque docentem optimo jure fieri posse, ut stolidum parentem vinculis filius coerceat. Nempe idem jus esse in eos, qui minus sapientes ligassent, iis, qui ipsis quoque sapientiores existerent.*

Ibid. D. *Ut ceteris etiam cognatis omnibus parum honoris exhiberent eundem effecisse, nihil eos emolumenti vel ægrotis, vel accusatis afferre* inquientem. *Nempe illis medico magis, his causa patrono opus esse. Bonam voluntatem item amicorum, qui nihil præstare queant, nauci esse existimandam. Sapientissimum quemque honore dignissimum esse. Atque eo hoc intendisse ipsum, ut præcipuum honorem sibi soli omnem arrogaret.*

l. c. p. 720. E. *Ex Poetis eum loca excerpsisse, quæ offensa maximè esse possint; alia, in quibus nihil esset improbi, in pessimum sensum vertisse, ut familiares suos ad improba facta excitaret*, v. g. Hesiodeum illud.

Nullum opus esse putes probro, sunt otia probro.

ita exposuisse: *quasi Poeta suaderet omnia lucri causa fieri jure posse.*

Frequenter item Homerica illa in ore eum habuisse, detorta in pessimum sensum, quasi Poeta nempe pauperem verberari permitteret.

Si Regem nactus, magna aut virtute virum quem
Conspiceret, verbis hunc demulcebat amicis:
O felix, tibi non ignavi more timendum est,
Verum ipsus sedeas, aliosque sedere jubeto.
At, si quem media clamantem e plebe videret.
Hunc sceptro ferit, castigans, talia fatur.
Infelix; ne te moveas, melioribus aures
Præbe tuas, animi nullo qui robore præstans
Non es consiliis ullis nec idoneus armis.

Finita oratione descendit Meli- Liban. Apol. T. I. p 635. C.
tus, ei succedebat Anytus, oratione prolixa & invidiosa; postremus Lyco, arte omni adhibita, quæ a Rhetorica est facultate, accusationi coronidem imposuit. Nolebat autem Socrates, ut moris erat, causæ patronum sibi advocare: ipseque, dum adversarii dicebant, aliis omnibus mentem occupare videbatur. Illi ubi dicendo finem fecissent, ipse Cicer. de Divin. l. I. c. 54.
subito suggestum conscendit, quod faciens, signum a Dæmone, quo prohiberetur, ne faceret, nullum accepit, atque in risum solutus subamarum (*a*) sermonem, qui se- a Socratic. Ep. 1.
qui-

quitur, recitavit, nihil præmeditatus, (b) ut non supplex aut reus, sed magister aut Dominus videretur esse judicum, liberrima contumacia, quæ non a superbia quidem, sed animi procederet magnitudine. „Ego vero, judices, primum hoc „miror, unde unquam Melitus hoc „animadverterit, quod ait, me, „quos Deos existimet civitas, pro „Diis non habere. Nam sacrificantem me communibus festis, & in aris „publicis tum alii, qui coram adsunt, videre, tum Melitus ipse, „si quidem voluit. Novos vero Deos „quo pacto ego introducam, eo, „quod voce Dei me dirigi profitear? „Nam qui alitum signis, & hominum utuntur affatis, ex vocibus „scilicet conjecturas sumunt. De „tonitruis quis dubitet, vocem ea „edere, & inter præcipua esse omina? Sacerdos item e tripode Pythia, nonne & ipsa voce, quæ habet a Deo, enunciat? Enimuero „Deum futuri præscium esse, ac significare futura cui velut, omnes „haut aliter atque ego & dicunt, & „existimant. Sed alii auguria, & „omina, & conjectores, & vates adpellant eos, qui futura significant. „Ego vero Dæmonium hoc appello, „meque arbitror, dum sic voco, magis vere ac pie loqui, quam ii, qui „avibus divinam facultatem adtribuunt. Neque me imposturam hac „quidem parte committere, multi „sunt testes, quibus consulta numinis, minime falsus, enunciaverim. Hæc audientes, cum tumultuarentur judices, quia partim dictis fidem non haberent, partim inviderent ei, quod majora a Diis quam ipsi esset consecutus, tum „perrexisse Socratem. Age vero, „alia quoque audite, ut magis etiam „ex vobis illi, qui volent, divinitus „honorem mihi tributum non credant. Quum Chærephon aliquando Delphis oraculum de me sciscitaretur, in multorum præsentia, „respondit Apollo: neminem hominum me vel liberalioris esse indolis, vel iustum magis, vel magis prudentem. „Cumque, his etiam auditis, iudices magis tumultuarentur, rursus dixisse Socratem: „At „qui maiora, iudices, Deus ille de „Lycurgo, qui Lacedæmoniis autor „legum fuit, quam de me, oraculis „prodidit. Fertur enim Lycurgum, „ingredientem fanum, sic allocutus „esse, ut diceret: Dubito equidem „num te Deum appellem, an hominem. Me vero Deo quidem ille non „comparavit, sed inter homines „plurimum præstare censuit. Nihilominus vos ne in his quidem „Deo temere fidem habueritis, sed „meipsum considerate. Quem enim „minus me cupiditatibus corporis „servire nostis? quem liberaliorem qui a nemine neque munera, neque mercedem accipio. „Quem vero justiorem merito existimetis eo, qui sic ad præsentia semet accommodat, ut alienæ „rei nullius egeat? & sapientem illum virum quis merito non dixerit? qui, ex quo tempore intelligere, quæ dicebantur, cœpi „nunquam intermisi tum inquirere „tum discere, quicquid boni poteram. At minime frustra me laborasse, annon & illa vobis argumento esse videntur, quod multi „cives ex iis, qui virtuti dediti „sunt, multi etiam exteri mea consuetudine præ omnibus uti maluerint? Quid esse dicemus in causa,

b Plato Apol. init. c Cic. de orat. I, 54.

Xenoph. Apol. p. 703. sq.

„ quod cum omnes norint, minime „ mihi facultates esse ad remunerandum, nihilominus multi cupiant „ aliquid mihi donare? Quod ego „ item a nemine beneficium reposcam, cum complures, se mihi „ gratias debere, fateantur? Quid „ quod aliis in obsidione suam deplorantibus sortem, ego vitam degerem, nihilo magis difficultatibus „ impeditam, quam cum maxime „ beata civitas esset. Quid? quod „ alii delicias e foro ingenti pretio „ mercantur, ego sine sumtu suaviores illis delicias ex animo meo „ comparo. Quod si nemo in iis, quæcunque de meipso dixi, redarguere mendacii me potest, cur non merito tum a Diis, tum ab hominibus lauder? Et nihilominus tu, „ Melite, dicis, me, his utentem institutis, corrumpere juvenes. Atqui novimus certe, quid sit, juvenes „ corrumpere. Tu dicito, an quem „ per me scias vel ex religioso impiũ „ vel ex modesto petulantem, vel ex „ frugali prodigum, vel ex sobrio „ vinosum, vel ex laborum tolerante mollem, vel alias deteriorem factum? „ At ego profecto, ait Melitus, novi eos, qui abs te persuasi sunt, ut tibi magis obtemperarent, quam parentibus. „ Equidem hoc, „ inquit Socrates, quantum ad institutionem, verum fateor. Sciunt „ enim hanc meam fuisse curam. Ita „ de valetudine medicis potius homines, quam parentibus obtemperant: & in concionibus omnino „ Athenienses universi potius iis, „ qui prudentissime dicunt, quam „ necessariis suis parent. Annon in „ delectu prætorum & parentibus „ vestris, & fratribus, & vero vobis ipsis antefertis eos, quos existimatis rerum bellicarum peritissimos esse? Nimirum, o Socrates, inquit Melitus, & expedit ita, & usu receptum est. „ Annon igitur, „ subjecit Socrates, æquum hoc tibi „ videtur esse, quod cum in actionibus ceteris præstantissimi quique non solum pares aliis sint, sed „ etiam eximio quodam honore ornentur; ego, quia maximo in hominum bono, quod institutio præstat, quorundam opinione ceteris „ præstare judicer, capitis abs te „ anquirar?

Plura ejuscemodi prolata tum ab ipso, tum ab amicis ejus, fuisse, qui ejus causæ patrocinabantur, Xenophon *narrat: Sed* adeo displicebat *judicibus* insolitus, quem sequebatur, causam dicendi mos, ut, Platone suggestum conscendente, atque Apologiam pro Socrate *his verbis* exordiente; *Minimus natu cum sim, Athenienses, omnium, qui tribunal conscenderunt*, interpellato omnes inclamarint, *imo eorum, qui descenderunt:* quod facere proinde coactus fuit. Ipsi vero suffragia ferentes CCXXCI. judicum sententiis eum damnarunt. Moris autem apud Athenienses, Cicerone observante, fuit, ut, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio fieret. Ex sententia, cum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi æstimationem commeruisse se maxime confiteretur: quod cum interrogatus Socrates esset, XXV. drachmas, vel, ut Eubulides dicit, centum soluturum se dixit. Neque amicos enim quidquam conferre patiebatur, (a) Platonem nempe, Critonem, Critobulum, & Appollodorum, qui XXX. minarũ pretium eum offerre iubebant, seque

Laert. II. 41.

De Orat. I. 54.

a Xenoph. l. c.

dabant

b Plat. A-pol. p. 38C dabant fidejussores: (b) dicebat enim multæ solutionem ejus esse, qui injuste se fecisse fateretur, (c) atque judicibus aiebat, sese meruisse, ut amplissimis honoribus & premiis decoraretur, &, ut ei victus quotidianus in prytaneo publice præberetur, qui honor apud Græcos maximus habebatur. Cuius responso judices sic exarserunt, ut capitis eum condemnarent, adiectis aliis XXC. suffragiis.

c Xenoph. l. c. d Cic. l. c.

Laert. II. 42. Xenoph. l. c. Sententia lata, a risu se haut continebat, atque, ad amicos conversus, necesse est, inquiebat, eos, amici, qui testes docuerunt, ut peierando falsum, adversus me testimonium „dicerent, una cum illis, qui paruerunt, magnæ sibi tum impietatis „tum iniustitiæ conscios esse. Me „vero cur animo abiecto magis nunc „esse conveniat quam ante condemnationem, quum non sim convictus „quidquam eorum fecisse, ob quæ „illi me accusarunt? Neque enim „me pro Jove, Junone, Diisque præter hos ceteris, novos quosdam „Deos sacrificiis placasse, nec iurando invocasse, nec denique nominasse compertum est. Juvenes autem, quo pacto corrumperem, ad „tolerantiam & frugalitatem eos „qui adsuefeci? A facinoribus, mortis supplicio dignis, sacrilegiis, „parietum perfossione, plagio, patriæ proditione, ipsi me absolvunt „adversarii. Quo fit, ut mirum mihi videatur, quamobrem mortis „adversus me sententia sit dicta. „Neque ideo, quod iniuste occidor, „animum me abiicere par est. Id „enim non mihi, sed iis, qui sententiam tulere, dedecori est. Palamedis me solatur exemplum, qui non „absimili mortis genere periit: is enim, etiam nunc, longe magis celebratur quam Ulysses, cuius iniquitate interemtus fuit. Non modo „futura, verum preterita etiam tempora testimonium mihi præbitura „novi, neminem me unquam læsisse, „aut peiorem reddidisse: sed omnibus, qui mecum versati fuerunt, „profuisse, quantum in me positum „fuit, quicquid mihi fuit bonorum, „gratis cum eis communicando. Quibus dictis ita discedebat, ut nihil esset quod dictis ab ipso non responderet: atque tum oculis, tum gestu, tum incessu hilaritatem præ se ferebat.

CAP. XI.

De Carcere ejus.

Socrates (ut Seneca ait) (a) eodem illo vultu, quo aliquando solus XXX. tyrannos in ordinem redegerat, carcerem intravit, ignominiam vel ipsi loco detracturus. Neque enim poterat carcer videri, ubi Socrates erat. (b) Hic ab Undecimviris vinctus, XXX. diebus post latam sententiam fuit, (c) eiusque rei illa occasio extitit. Navem illam, qua olim Theseus quatuordecim illos iuvenes in Cretam deduxit, illosque & seipsum servavit, Apollini ille se dedicaturum, si salvo sibi redire liceret, ut paulo post contigit, votum fecit, missurumque promisit quotannis Delum cum muneribus. Eam vero inde religiose observare consuetudinem perrexerunt Athenienses. Quæ antequam obirentur solennia, urbem lustrabant, nec quisquam publico decreto capite mulctabatur, priusquam navis & Delum ivisset, & inde rediisset: quibus rebus nonnunquam, vento inprimis adverso, longum tempus ducebatur.

a Consol. ad Helviam c. XIV.
b Max. Tyr Dissert. XXXIX. p. 389.
c Xen. memor. IV. p. 816. B.
d Pla. Phædon. p. 58. A

Auspicia solennibus Apollinis dabat sacerdos, puppim navigii coronando; id quod pridie, quam iudicium subiret Socrates, contigit, eaque de causa tam longum inter iudicium & mortem eius tempus intercessit.

Plat. l. c. & rel. Eo intervallo plurimi ipsi aderant amicorum, cum quibus, pro more solito, disputando tempus terebat. Ab iis identidem, ut elabi conaretur, solicitabatur, nonnullis etiam vi eum sese abducturos pollicentibus. Quod non modo non admittebat, verum ridebat etiam, an locum extra Atticam nossent, interrogans, quo mors penetrare haut posset. Eo animo Crito quoque ad eum accessit, biduo ante eius obitum mane summo, qui frequentiore accessu suo, donisque repetitis in suas partes aliquantum pertraxerat eum qui custodiæ præerat. Cumque dormire Socratem cerneret, dormienti assedit, somnique observans suavitatem, animi eius æqualitatem miratus est. Simulatque expergefactus ille esset, nova parum auspicata se aiebat afferre, quæ, si ipsi vel maxime talia non videantur, videri tamen omnibus Socratis amicis: navem nempe sequente luce fore in portu; affirmare enim nonnullos, Sunio recens profectos, ibi eam se reliquisse, esseque verosimile, ea ipsa illam venturam die, Socratem vero proxima moriturum. *Quod felix faustumque sit*, Socrates aiebat, *non tamen hodie illam arbitror venturam. Nempe postridie, quam venerit, me ajunt moriturum illi, quorum est harum rerum arbitrium. Crastina tamen luce me moriturum haut esse ex somnio colligo quod ista mihi obtigit nocte. Videbatur enim mihi mulier, specie egregia, albis induta vestibus, meo nomine me appellare, & dicere:*

Plat. Critone p. 43.

Tertia lux pinguis Phthia te sistet in ora, Il. 3I.

Idemque Æschini quoque ab eo relatum esse, Laertius refert. Eam igitur Crito occasionem arripuit, qua ei persuaderet, ut fuga sibi consuleret; id quod variis efficere argumentis conabatur. Nempe avaritiæ criminis suspectos fore ipsius familiares, qui, ut opibus parcerent, eum redimere noluissent. Posse autem id exigua fieri impensa, & sine molestia eorum, qui illis valent facultatibus. Se ipsum quidem illi impensæ faciendæ imparem haut esse, vel, si par non sit, Simmiam, Cebetem atque alios suum etiam collaturos. Non esse ipsi voluntarium subeundum exitium, & quod evitare facile possit: liberos eum relicturum in ancipiti atque exigua fortuna: neque constantiam eam homines esse interpretaturos, sed animi imbecillitatem. Hæc, Crito inquiebat, ut consideres argumenta, peto, vel potius ut admittas: moram enim deliberando ducere hoc non patitur tempus, quod factum velis, hac nocte oportet facias, posthac enim serum nimis omne consilium fuerit. Cui Socrates: „ magni profecto æstimandam esse illam animi eius alacritatem, voluntatemque paratam, si cum recta ratione coniuncta sit; sin minus, quanto maior sit ea, tanto gravius esse ferendam. Non hominum hic spectandas opiniones esse atque iudicia, sed ius atque æquum; malum malo non esse depellendum: fidem Reipublicæ magis quam privatis deberi. Legibus patriæ obnoxium se sua voluntate factum esse, in ea Republica vitam agendo, easque iam demum violare summe iniustum fore. Carcere effra-

„effracto, non amicos tantum suos „multa subituros discrimina, sed „ipsum etiam sese, exitu alio nullo, „quam ut exul deinceps & vivat & „moriatur. Ea vero conditione si „fit, meliorem liberorum suorum „conditionem haut evasuram, quin „potius maiorem eorum curam ami- „cis fore, si honestam ipse mortem „obierit. Quicquid denique incom- „modi expectandum sit, iustitiæ ni- „hil esse anteponendum. Sibi, si ma- „lis artibus ex carcere dilabatur, „neque quod superest vitæ iucun- „dum fore, neque post mortem me- „liorem fore suam in secutura vita „conditionem. *Atque ista*, inquit, *perinde ac Corybantum tibia aures meas circumsonant: horumque verborum strepitus ita aures meas occupat, ut alia admittere nulla queant. Quicquid igitur, ut ab hoc me avertas instituto dixeris, frustra dictum putes. Si alia vero de re me ducas monendum, mone.* Respondente Critone, præter hoc nihil se quod moneat habere: *de illa itaque re*, aiebat, *loqui amplius noli, nosque adeo ita pergamus, quandoquidem hoc modo prait, iterque commonstrat, Deus.*

CAP. XII.

Mortis tempus & Genus.

Apol. in

TEmpus mortis eius paulo ante attigimus. Marmor Arundelianum, Lachete Archonte, diem eum obiisse dicit, ætatis LXX. anno, quem absolvisse eum ex Platone colligitur, qui πλέω ἑβδομήκοντα ei tribuit. Demetrius Phalereus mortem ipsius ad XCV. Olympiadis annum primum refert, postquam LXX. exegisset annos. (a) Diodorus Siculus *Lachetem* ejus anni, quo obiit, Archontem facit.

ap. Laert. II. 45.

a Diod. Sicul. L. XIV p. 264. 266.

Quamvis autem vix quicquam in historia Græcorum melioribus nitatur testimoniis, quam tempus excessus Socratis, Leo Allatius tamen, audacter magis, quam prudenter, vitæ ejus mortisque tempus in controversiam vocat, cujus rei istam habuit causam. Epistolarum Socraticarum, quas edidit, XIVta Polycratis oratio quædam allegatur, quam in judicio, quo damnatus est Socrates, habuerit. In ea vero oratione moenia Atheniensium, sexennio post Socratis excessum (si huc usque tradita sequamur) restaurata, a Conone memorantur, id quod suspectam reddit illius epistolæ fidem. Res vero ita se habere videtur; Post Socratis mortem frequens erat in Rhetorum scholis, quæ frequentissimæ ea ætate extiterunt Athenis, pro Socrate & contra eum dicere. Polycrates Sophista, ingenii ostentandi causa invectivam adversus Socratem scripserat, Lysias vero, celeberrimus orator, qui Olympiade C vitam finivit, Apologeticam, ut supra jam indicatum, elaboraverat. Similiter Plato quoque, & Xenophon, & longo post tempore Libanius, Socratem orationibus defenderunt. Polycratem autem licet Isocrates de haut paucis admonuisset erroribus, in invectiva sua commissis, Anachronismi tamen in ea relinquebantur plures, cum nondum ea ætate exculta satis studia chronologica fuerint. Inde est, quod ipse Plato vice plus simplici censuram subeat Athenæi, Aristidis, Macrobii & reliquorum. Socraticæ autem illius epistolæ autor Polycratem agnoscit Patronum litis, Socrati intentatæ, orationemque

Diat. de Script. Socr. p. 213. sq

eo loco, eoque tempore recitatam existimat: in qua & Hermippus opinione est, eam in rem a Diogene Laertio allegatus. At Phavorinus, subsecutæ ætatis Criticus, qua majora incrementa Chronologica studia ceperant, errorem istum, temporibus supputatis, detexit. At Phavorini censuram repudiatam cupiens Allatius, temporum rationes incertas esse persuadere conatur, ut Socratem vitam post restaurata Athenarum moenia extraxisse ostendat. Præcipuum arietem, quo subvertere, quicquid ab antiquioribus adstructum fuerat, conatus est, Suidæ ipsi testimonium præbet, qui, nescio cujus autoritate, XXC. annos Socratem ait vixisse. Reliquæ Allatii machinæ minoris virtutis sunt. Emendatio nempe Meursii parum solida, & Scaligeri error, de quibus supra egimus: absurdissimus item Chronici Alexandrini Metachronismus, quo Socratis mors ad Olympiad. CIV. refertur, cum annos vixisset XC. ἀνιστορησία item Anonymi vitæ Aristotelis scriptoris, qui Aristotelem XVII. annorum juvenem triennio Socratem audivisse ait: &, quod imprimis moveat risum, proscripti apud omnes Platonis Anachronismi, veritati impugnandæ ab Allatio temere admoventur. Atque ea quidem ipsi argumenta sunt, quibus incautum lectorem turbare nititur, Sophistica præterea ad hoc institutum Dialogi forma abusus.

In Phæd. ab init. Mortis modum en tibi a Platone traditum, Phædonis nomine, qui morienti ad finem usque adsedit. Quotidie ego & alii solebamus ad Socratem ventitare: ad ipsum forum, ubi acta est Socratis causa, mane convenientes, carceri enim proximum erat. Quotidie igitur expectabamus, donec carcer aperiretur, mutuis interea & deambulationibus, & colloquiis, tempus terentes. Ubi apertus erat, ad Socratem adibamus, & sæpius totum cum illo diem traducebamus. Eo autem die maturius solito ad illum conveneramus. Nam pridie, quum ad vesperam e carcere egressi essemus, audieramus, navigium illud sacrum Delo advenisse. Una autem statuimus præter morem citius ad Socratem venire: atque etiam venimus. At janitor ad nos egressus, qui antehac nobis solebat parere, edixit, ut expectaremus, nec prius ingrederemur, quam ipse juberet. Solvunt enim, ait, Undecimuiri Socratem, & jubent, ut hodie moriatur. Ita non multum tempus moratus, redit, & jubet nos ingredi. Ingressi igitur, offendimus Socratem jam solutum, & Xantippen (illam enim nosti) infantem in manibus gestantem, Socratique assidentem.

Postquam nos vidit, & salutavit, & hujusmodi quædam dixit, quæ mulieres solent: Socrates, extremum, ait, te nunc alloquentur amici, & tu illos. Conversis vero ad Critonem oculis Socrates, hanc, ait, Crito, velim mulierem aliquis alio abducat. Illam igitur Critonis famuli aliqui abduxerunt, clamantem & ejulantem. At Socrates, lectulo assidens, crus plicatum manu confricavit: & fricans, quam, inquit, mira res est, quam homines jucundum vocant: quam modo plane admirabili cum *dolore* conjungitur, qui contrarius tamen *jucundo* creditur, quod in eodem tempore in

eodem

eodem esse non possint. Quod si quis tamen istorum alterum capiat, cogetur fere & alterum capere, quasi uno capite ambo apta contineantur. Et mihi quidem videtur Æsopus, si hæc animadvertisset, fabulam fuisse compositurus: Deum nimirum, cum hæc duo bellum inter se gerentia conciliare vellet, nec posset, ipsorum vertices in idem colligasse: & ideo ubi alterum adfuerit, ad extremum & alterum quoque subsecuturum. Quemadmodum modo ipse expertus sum. Quandoquidem e vinculo dolor nunc aderat cruri: ubi ablato vinculo abiit dolor, voluptas continuo illum consequi videtur. Et commodum quidem per Jovem (excepit Cebes) hæc mihi in memoriam revocasti, Socrates. Nam de iis poematibus, quæ nuper fecisti, Æsopicis nimirum fabulis, quas versu reddidisti, & Apollonis hymno, quum multi me jamdiu interrogant, tum & nuper Evenus: ecqua scilicet causa, postquam huc venisti, hos versus condideris, cum nullam antea operam huic rei impenderes? Si igitur vis, me aliquid habere, quod Eveno respondeam, quando ille me rursum interrogabit, dic mihi, (quæso) quid illi respondendum sit. Dic vero, inquit, illi verum, Cebes: me non eo consilio hæc fecisse, ut ejus & scriptorum ipsius æmulus essem. Sed ut insomnio identidem mihi oblato parerem, quo mihi edicebatur, Musicam fac & operare, Socrates. Primum ergo carmen in Deum illum feci, cuius hoc erat sacrum. Secundum illam curam de Deo quum cogitarem poetam decere, si quidem eo nomine censeri debeat, fabulas non orationes condere; ipse vero fabularum non essem peritus: hac de causa, quas ad manum habebam, & noram, fabulas Æsopicas, ex illis, quæ primum mihi obviæ essent, experimentum feci. Hæc igitur, Cebes, Eveno refer: & valere jube, &, si sapiat, me sequi. Discedo enim, ut opinor, hodie: nam jubent Athenienses. Et Simmias, quale, inquit, est, quod Eveno suades, Socrates? equidem sæpius cum illo jampridem versor: at, quantum quidem præsentio, haudquaquam volens hac in re tibi morem geret. Quid vero? inquit ille, non est philosophus Evenus? Mihi quidem videtur, ait Simmias. Voluerit igitur & illud Evenus, & quicunque, ut par est, philosophiæ studium amplectitur. Non tamen utique violentas sibi manus afferet. Hoc enim minime fas esse aiunt. Et simul hæc dicens, crura e lecto in terram demisit: & eo modo sedens, reliquum sermonem persecutus est. Cebes vero illum interrogavit, quì hoc ais, Socrates? nefas esse, sibi ipsi manus violentas afferre: velle autem philosophum sequi eum, qui moriatur. Cui Socrates, nos homines Deorum sumus possessio: atqui, inquit, si quod tuorum mancipiorum se interficeret, tuo iniussu, num ipsi succenseres, & si vindictæ potestas esset, vindicares? Itaque & hoc non minori ratione videtur niti, non prius mortem sibi consciscere oportere, quam necessitatem aliquam Deus immiserit, qualem nobis modo imposuit. Et consentaneum, ait Cebes, hoc quoque videtur. At illud profecto, quod modo dicebas, philosophos facile mori velle, ab istis dissentaneum est, si ea

quæ

quæ nunc diximus, recte dicantur: nimirum Deum nostri curam gerere, & nos ad illum, ut rem mancupii, certamque possessionem, pertinere. Statuere enim, hominum sapientissimos minime tunc indignari, cum ex hac procuratione, hocque munere discedunt, ad quod optimi rerum domini & custodes, Dii eos præfecerint atque collocarint, rationi consentaneum minime videtur. Non enim profecto vir sapiens arbitrabitur, si liber extiterit, se melius sibi ipsi, quam Deum providere. His auditis, Socrates, subtili illa Cebetis disquisitione lætari mihi videbatur: & conversis ad nos oculis, rationes, inquit, semper aliquas investigat Cebes: nec continuo vult fidem adhibere iis rebus, quæ a quovis dicantur. Verum & mihi quidem, ait Simmias, idem, quod Cebeti, videtur. Quid enim aliud vellent viri sapientes, quum hæc agerent, quam ut Dominos se meliores fugiant, & illis facile se subducant? Et mihi quidem videtur Cebes sermonem adversus te collimare, qui tam facile committis, ut & nos relinquas, & optimos Dominos, ut ipse fateris, Deos. Jure id quidem vos dicitis, inquit Socrates. Existimo enim vos a me postulare, ut defensionem apud vos instituam, tanquam in foro. Maxime, inquit Simmias. Age vero, inquit, conabor me apud vos accommodatius probabiliusque defendere, quam apud judices. Ego enim, inquit, Simmia & Cebes, si me non existimarem venturum, primum quidem ad Deos alios, sapientes & bonos, tum ad homines, jam mortuos, iis, qui hic sunt, meliores; perperam profecto agerem, qui propter mortem non indigner. Quare hac de causa minime indignor, at præclara spe me sustento, mortuis aliquid post mortem extare: & quemadmodum iam olim etiam aiunt, longe melius esse bonis, quam malis. Tum Crito jamdiu is, qui venenum tibi daturus est, ait, ut tibi significemus, parcissime esse loquendum: loquentes enim, ait, magis calere. Nihil autem hujusmodi offerendum veneno. Nam inde evenire, ut bis & ter etiam repetendus sit veneni haustus. At illum jube valere, ait Socrates. Curet tantum, quod suum est, tanquam etiam bis daturus, &, si oporteat, etiam ter.

His dictis longam exorsus est disputationem, qua demonstravit præcipuum Philosophi officium esse, mortem ut meditetur, quamobrem metuere eam accedentem non debeat. Cum vero mors solutio animæ a corpore sit, Philosophi esse ajebat, animam a corporeis affectibus liberare. Quo magis vero meliora intelligentia complectimur, eo magis a sensibus animum revocari. Tum vero perfectissime nos intellecturos, ubi penitus per mortem animus a corpore fuerit sejunctus: eamque intellectus perfectionem solam esse veræ philosophie metam. Ibid.

Quam partem disputationis ubi absolvisset, renovandæ ei occasionem Cebes dedit, immortalem esse animum, ut doceret, Socratem orans. Id igitur probare aggressus Socrates, *primum* argumentum ex mutua successione generationis & corruptionis, tanquam contrariorum, plane necessaria, duxit: quo fundamento Pythagoræ nititur μετεμψύχωσις. *Secundum*, ex modo, quo animus ratiocinatur: qui cum reminiscentia absolvatur, eum, ante- Ibid.

quam

quam hoc corpus subiret, arguat extitisse: quo tempore perfectam magis habuerit *idearum* cognitionem, quas occasione eorum, quæ sensibus obvia sunt, recuperet: animum vero, ante hoc corpus existentem, post illud etiam extiturum. Multa alia Socratis nomine protulit Plato, quæ maximam partem ipsius Platonis sunt, nec fieri potest, ut Socratis quæ sint, a reliquis discernamus. Disputationis illius finem compendio ita Cicero repræsentavit: „Duas, aje-

Tusc. Qu. I, 30. „bat, esse vias, duplicesque cursus „animorum e corpore excedentium, „nam qui se humanis vitiis contaminavissent, & se totos libidinibus „dedissent, quibus cœcati velut do„mesticis vitiis atque flagitiis se in„quinavissent, vel republica vio„landa fraudes inexpiabiles conce„pissent, iis devium quoddam iter „esse, seclusum a concilio Deorum. „Qui autem se integros castosque „conservavissent, quibusque fuisset „minima cum corporibus contagio, „seseque ab his semper sevocassent, „essentque in corporibus humanis „vitam imitati Deorum, his ad il„los, a quibus essent profecti, redi„tum facile patere. Itaque ut cygni, „qui non sine causa Apollini dicati „sint, sed, quod ab eo divinationem „habere videantur, qua providen„tes, quid in morte boni sit, cum can„tu & voluptate moriantur; Sic o„mnibus & bonis & doctis esse fa-

Plato Phædon. p. 115. A. „ciendum. Unusquisque igitur se „paret atque accingat, tanquam „iter expedite suscepturus, quando „fatum vocaverit. Vos Simmia, & „Cebes aliique, qui hic adestis, sta„to quidem ac certo tempore profi„ciscemini. *Nunc me vocat*, ut Tra„gicus quidam dixit, *fatum*. At for„tasse tempus jam est eundi ad bal„neum, nam mihi quidem consultius „videtur, prius me lavari, quam bi„bam venenum, nec mulieribus, ut „mortuū lavent, negotium facessere.

Hæc locutum Crito interrogabat: Ibid. Ecquid vero his aut mihi, Socrates, mandas, aut de liberis, aut de qualibet alia re, in qua possimus tibi maxime gratificari? Nihil certe, inquit, Crito, novi mando, præter illa, quæ semper vobis dixi: nimirum, si vos de vobis ipsis curam geratis, & mihi, & meis, vobisque adeo ipsis officium præstiteritis, quicquid feceritis, licet modo nihil diserte paciscamini: quod si vestri curam abjeceritis, & virtutis, etiamsi magna & vehementi asseveratione modo multa polliceamini, nihil certe amplius agetis. Et hæc, ait, magno & alacri animo conabimur pręstare. Ecquo vero modo te sepeliemus? Quo modo, inquit, volueritis: modo me certe teneatis, vestrisque ego manibus non elabar. Hisque dictis cum suaviter arrisisset, nosque esset intuitus, non persuadeo, inquit, viri, Critoni, me esse illum Socratem, qui nunc disputabam, & res singulas ordine persequebar: sed arbitratur, me illum esse, quem postmodum mortuum conspicietis: & rogat me, quomodo velim sepeliri. Neque vero meminit, me jampridem longum sermonem hac de re instituisse, nimirum, postquam bibero pharmacum, me non amplius vobiscum remansurum, sed abiturum ad beatorum felicitatem. Hæc a me quidem ne quicquam videntur dicta. Vos ergo mihi erga Critonem fideiubete contraria quadam fideiussione ei, qua ille mea causa apud iudices cavebat. Ille enim fideiussit, me re-

mansurum: vos vero fideiubete, me non hic remansurum, ubi mortuus fuero, sed discessurum: ut Crito facilius ferat, etiamsi viderit corpus meum neque cremari, neque sepeliri, * neque meam vicem indignetur, quasi acerba quędam passus fuerim: neque in ipso funere dicat, Socratem aut exhiberi, aut efferri, aut humo mandari. Verum ita habeto, mi Crito, his de rebus non satis circumspecte loqui, non tantum flagitium esse, sed & animis detrimentum adferre. At potius decet. bono esse animo: ac corpus meum sepeliri dicere, & quidem ita sepeliri, uti tibi gratum erit, legibusque maxime consentaneum arbitrabere. Ubi hæc dixisset, surrexit, ut cubiculum adiret, sese lavandi causa: Crito illum secutus est, nos vero iussit expectare. Frequens interea inter nos sermo erat de ea calamitate, quę illius morte nobis impendere videbatur: futurum plane ratos, ut tanquam filii, patre orbati, ita nos omnino reliquam vitam essemus traducturi. Postquam vero ille lotus esset, & liberi ad ipsum adducti, (duo enim ei filii erant parvuli, unus grandior) ipsiusque uxores advenissent, illas coram Critone allocutus est, & quæ voluit, mandavit: ita & uxores, & pueros iussit abire. Tum ad nos venit. Dies vero ad occasum solis pene inclinarat. Nam satis longum tempus in eo cubiculo erat commoratus. Tunc venit undecimvirorum famulus, &, ad ipsum accedens, Non arbitror, ait, Socrates; me illud in te reprehensurum, quod in aliis soleo reprehendere: quod mihi indignantur, & me diris devovent, quando magistratuum imperio ad id me cogente, ipsis denuncio, venenum esse bibendum. Te vero, ego, & hoc quidem maxime tempore, novi, & generosissimum & mansuetissimum, omniumque, qui huc unquam venerunt, optimum: ut quidem pro certo habeam, te mihi haudquaquam indignaturum, (nosti enim autores) sed illis potius. Nunc ergo, (nosti enim, quid nunciaturus huc venerim) salve, & conare quam facillime res necessarias pati. Ita ille in lacrymas effusus, discessit. Et Socrates, conversis ad illum oculis: Et tu quidem, inquit, salve. Nos omnia præstabimus. Et ad nos, quam urbanus, ait, ille est: & ad me toto hoc tempore lubenter accedebat, & colloquebatur aliquando, & erat omnium istorum optimus: nunc vero quam me generose deflet. Verum enim vero, Crito, pareamus illi: & adferat aliquis venenum, si contritum est. Tum Crito: at existimo, ait, solem adhuc esse in montibus, necdum occubuisse. Vidi & ego alios serius bibisse: etiam postquam ipsis significatum esset, & cœnare, & bene bibere solitos, & cum quibus voluerint colloqui. Sed nihil festina: satis adhuc est temporis. Et Socrates, merito, ait, Crito, illi, de quibus loqueris hęc faciunt. Existimant enim, dum hæc

* Plane horum sententiam apud Platonem Serranus non fuerat assecutus, nempe verba Platonis eum sensum fundunt: non esse ægre ferendum Critoni, licet Socratis corpus solitis funeram honoribus non afficiatur, neque adeo cremetur sepeliaturve, in qua re magnum ad felicitatem momentum positum, vulgo ex superstitione sua censebant Gentiles: Serranus plane diverso sensu vertit: *Ut Crito facilius ferat, & videns corpus meum aut comburi, aut humo mandari, meam vocem minime indignetur.*

hæc agunt, lucro id sibi cedere. At ego merito hęc non fecerim. Nihil enim me lucraturum arbitror, si paulo tardius venenum bibero, præterquam, quod ridendum me propinem quod nimia vitæ tenear cupiditate, & parcam ei, quod meum amplius haut est. Verum age, pare, nec quid aliud agas. Qua re audita, Crito puero, proxime adstanti, annuit: & egressus puer, adduxit illum, qui pharmacum ei exhibiturus erat, quod in poculo tritum afferebat. Quem conspicatus Socrates: esto, inquit, o optime, (tu enim rerum istarum es peritus) quid faciendum est? Nihil aliud, inquit ille, quam ubi biberis, deambulare, donec gravitas in tua crura incubuerit: tum sedere. Et simul porrexit calicem Socrati. Quo accepto ille, & valde quidem pacatus, nihil tremens, nec colore, nec vultu commutato, sed taurino, ut solebat oculo, conspicatus hominem, Quid ais, inquit: licetne alicui de hoc populo libare, annon? Tantum, inquit, contrivimus, Socrates, quantum satis esse arbitramur. Intelligo, inquit: sed precari Deos & licet, & oportet, ut nostra hinc illo transmigratio felix faustaque sit: quod ego precor, & ita fiat. Et hæc simul locutus, silens, facile & expedite ebibit. Tunc nostrum quamplurimi, qui quantum eniti poteramus, lacrymas continere hucusque conati fueramus, ubi & bibentem, & hausto veneno, illum conspeximus, tum vero haut quisquam amplius sibi poterat a lacrymis temperare. Tum ille, quid, inquit, agitis amici? Equidem non alia de uxorem & liberos causa amandaram, quam ut ne hac in re peccarent: Ego enim audivi, cum bono omine & gratulatione esse moriendum. Verum quiescite, & forti animo estote. Nos, his auditis, pudore suffundebamur, & comprimebamus lacrymas. At postquam ambulasset, & sibi gravari crura, dixisset, supinus accubuit. Ita enim ille, qui venenum propinarat, ei mandaverat: qui ad ipsum aliquo post tempore venit, ipsiusque pede vehementius compresso, rogat, an id sentiret; cum & ille negasset, iterum suras comprimit, & ad nos conversus, nobis indicabat, Socratem frigore obrigere; ipsumque attingens, eum moriturum aiebat, ubi primum venenum ad cor pervenisset. Iam enim ei obriguerant præcordia. Tum Socrates, retecta illa, qua obtegebatur veste, Æsculapio, inquit, debemus gallum. At persolvite: ne id negligatis. Fuit hoc quidem ultimum ejus verbum. Sic fiet, ait Crito. Sed vide, an aliquid aliud mandes? Cui nihil ille respondit: at postmodum sese motitavit. Tum famulus illum detegit: & illi arrecti stabant oculi. Quod Crito conspicatus, os & oculos illi composuit. Hic fuit exitus viri, ut quidem Plato ait, omnium, quos usu & experientia cognovimus, profecto & sapientissimi & justissimi. Atque ista est historia, cui se illacrymari solere, Cicero aiebat. De Nat. Deor. L. III. c. [illegible]

Magum ex Syria adventantem Athenas, non modo ob varia reprehendisse Socratem, verum etiam mortis genus ei prædixisse, autor est Aristoteles. Vitam ejus Epigrammate finivit Laertius, cujus iste est sensus. [illegible] Laert. II. 45.

Nunc bibe apud superos, bone Socrates, ipse enim Apollo

Te sapere haut leviter, dixit, at is sapiens.
Civibus ingratis tibi erat porrecta cicuta,
Ast ipsi hauserunt protinus ore tuo.

CAP. XIII.

De iis, quæ post obitum ejus contigere.

JUsta ipsi cum lacrymis persolverunt amici, non sine funebri apparatu (*a*) quamvis id sibi displicere eis fuisset testatus, in illis luctum pullata veste, Isocratem, immodico dolore Platonem declarasse, observat Plutarchus. (*b*) Eo officio defuncti, Tyrannorum metuentes sævitiam, ex urbe clanculum dilapsi, maximam partem Megaras (*c*) ad Euclidem se contulere, a quo humaniter excepti sunt: reliqui in alias partes abiere. (*d*)

a Epist. Socrat. XIV. *b* Plut. vit X. Rhet. I. Isocr. id. de virt. mor. p. 446. D. *c* Liban. Apol. T. I. p. 676. *d* Epist. Socratic. XIV. Epist. Socratic. XVII.

Paulo post mortem Socratis Lacedæmonius juvenis, cui nonnisi fama ille innotuerat, Athenas profectus est, ut in eius se traderet disciplinam. Illi, portas urbis tantum non ingresso, & quod iam teneret propemodum, quod exoptaverat, exultanti, Socratem, cuius videndi causa venerat, obiisse nűciatur. Ille igitur, ne quidem portam ingressus, sepulchrű, in quo compositus erat, adivit, atque ibi flebilibus mortuum affatus verbis, lacrymis etiam additis, sub nocte sepulchro indormivit. Insequente vero mane, pulverem magno affectu deosculatus, omnique loco consultato Megaram repetiit.

v. Σωκρ. Rem non absimilem Suidas narrat, (eius generis enim multa contigisse Libanius innuit.) Apol. Socr. p. 685. C. Cyrsam nempe Chium, Socratis audiendi causa Athenas venientem, ad sepulchrum eius accessisse, ibique obdormivisse, cum quo Socrates, per somnum ei oblatus, ubi aliquammulta disseruisset, ea ille re lætus domum statim reversus est.

Hisce rebus moniti Athenienses, Epist. Socratic. XVII. quam iniuste fecissent sentire cœperunt, atque quantis Lacedæmoniorum obnoxii essent futuri opprobriis, qui perdant sapientes, Athenis qui essent, quos illorum filii ita depereant, ut longinqua suscipiant itinera, ea sola causa, ut Socratem videant: quem ipsi, penes se cum esset, servare noluerint. Qua re furore perciti, delatores Socratis iniquis dentibus tantum non discerpsere: eos universa civitas incusabat: decretum iudicum revocabatur: mortisque illi afficiebantur supplicio. Eorum furorem augebat Antisthenes: Laert. VI, 10. Nempe in Ponticos iuvenes, qui Socratis gloria permoti accesserant, cum incidisset, eos ad Anytum abduxit, dicens, illum magis, quam Socratem in morum doctrina sapere: quare indignati qui aderant, civitate Anytum eiecerunt. Heracleam igitur is abiit, ibi simili ratione expulsus, vel ut alii volunt, lapidibus necatus (*a*) Melitus ab Atheniensibus damnatus, capitisque affectus supplicio fuit. Sunt alii, qui idem omnibus, causa indicta, evenisse aiunt. (*c*)

a Themist. or. 2. *b* Laert. II, 43. *c* Diod. Sic. L. XIV. p. 266. Ep. Socratic. XVII *d* Plut. de invid. & ob. p. 538. Laert. II, 43. 44.

Plutarchus, (*d*) eos tanquam extreme malos ita Atheniensibus odio fuisse, ait, ut neque ignem eis accenderent, neque interrogantibus responderet, neque in balneo aqua uterentur eadem, sed qua illi lavissent, eam tanquam pollutam a ministris iuberent effundi, donec impatientia odii seipsos *suspendissent*. * Iidem

* Sic vertit Stanleius: secutus Xylandri interpretationem: in Græcis verbum

Iidē, ut pęnitentiā uberius declararent, in patriam revocarũt amicos eius exules, iisque conventus agendi permittebant libertatem; publica spectacula & agones ad tempus suspenderunt; statuam ipsi ex aere in Pompeo posuerunt, quam Lysippus finxit. Pestem vero, paulo post insecutam, omnes iniuriæ, Socrati illatæ, pęnam interpretabantur: eoque decretum promulgarunt, ne quis Socratis publice aut in theatro mentionem faceret, ut ita facti oblivio induceretur. Euripides igitur, quo minus diserte id posset facere eo impeditus decreto, tecte id eis exprobravit in *Palamade*, in quo ad Socratem dramate illis imprimis versibus alludebat: (e)

e ex vers. Grot. p. 396. Fragm. vet trag.

Neci dedistis, ah neci doctissimam
Danai, innocentem, musicam lusciniam. (f)

f τὰν ἴδ᾽ ἀηδόνα μουσᾶν. postrema vox redundare videtur, addita ad explicandum quid sit ἀηδὼν. sic Callimach. ἀηδόνες pro ποιήμασι. (zoom uncertain)

Quibus verbis pronunciatis, ad Socratem ea pertinere intelligentes spectatores, omnes in lacrymas fuere soluti.

Solius huius viri exitus, iudice Eunapio, (g) totam civitatem calamitate involvit, idque facile sequētia eum tempora cum prioribus comparanti constabit. Ab eo enim tempore nihil præclari gestum ab Athenienfibus fuit, sed languere magis magisque inde flos civitatis, atque una universæ Græciæ observatus fuit.

g in Aedesio.

CAP. XIV.

De Corporis ipsius atque Animi indole.

a Plut. Theaet T. II. p. 1437. adde Theaet, &

Quantum ad corporis formam ea erat minus elegante, (a) ob temperiem corporis atrabiliarem, calvus, simus, oculis prominentibus: obtutus ei severus & cernuus, oratio difficilis & concisa, elocutio aspera & sine cura, sed magis, quam omnis, vel Themistoclis, vel Periclis eloquentia efficax, vel alterius cujusvis: Callidaque ea adeo erat, ut quamcunque vellet quæstionis partem, affirmantem negantemve, posset defendere: Aristophani (b) propterea notatus, quasi duplici dicendi facultate polleret, quarum altera causa inferior superior evaderet. Tantus ejus in disputando fervor erat, (c) ut verbera sibi passim ipsi impingeret, barbamque velleret, risumque moveret præsentibus, quem lubenter ferre solebat, (d) monitoribus facilis. Quandoque verba faciens tegebat faciem, ne rebus, oculis sese offerentibus, distraheretur. Corpore utebatur perpessitio, (e) quod etiam tuebatur, diligenter valetudinem curans, (f) facile frigus ferens, & famem, (g) &, si ita occasio ferret, vinum largius haustum absq; molestia. (h) Eadem æstate & hyeme veste utebatur, (i) unica per annum contentus, calceos non gestans, (k) frugalem victum sectatus. Verbo adeo, si faciem aspiceres, exigui pretii esse videbatur, ut Zopyrus (l) physiognomon, qui se profitebatur hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere, stupidum esse Socratem dixerit, & bardum: quod jugula concava non haberet, obstructas eas partes & obduratas esse dicebat; addidit etiam esse mulierosum; in quo etiam Alcibiadis & aliorum ex familiaribus ejus, qui præsentes tum erant,

Protag. it. Schol. Aristoph. p. 136.

b in Nub. A. 1. 32.

c Laert. II. 21.

d Laert. II. 26.

e Sen. Ep. CIV.

f Laert. II. 32. Xen Mamor p. 815. D.

g Xenop. c. p. 730.

h Plato Sympos. p. 220. A.

i Xenop. p. 730. Epist. Socrat. VI.

k Plato Phaedro p. 229. A.

l Cic. de fato c. 5.

ἀπήγξατο invenitur, quod notare etiam potest suffocationem ex vehementiore affectu, ut nuper viris doctis ostensum.

erant, cachinum dicitur sustinuisse. Sed ejus tamen arti Socrates subvenit, eam fassus sibi naturam esse, a se sic edomitam & compressam doctrina. Ob ista omnia Silenis specie similem eum ajebat Alcibiades, (m) (quos referebat vultus forma, calvitie, nasi simitate) capsulis insculpi solitis, sedentibus ac tibiis canentibus: ut enim intus Deorum imagines condunt capsulæ ejus generis, ita Socratem quoque integritate, castitate, ceterisque virtutibus omnibus esse ornatum, ad virtutem divino instinctu, ut Plutarchus (n) ait, incitatum, quo spectantia in omni genere exempla affatim Xenophon, Laertius, atque alii memoriæ prodiderunt.

m Plato Sympos. T. III. p. 216. D. Schol. Aristoph. p. 146.
n Adv. Colot. p. 1117. A.
o Xenoph. L. IV. Memor. p. 818. A.

Tanta eius prudentia erat, (o) ut nunquam eum iudicium in præferendis eis, quæ essent meliora, fefellerit, neque alterius ad hoc opera habuerit opus. Quamvis assidue hoc solum se nosse fateretur, quod nihil sciret. Quæ causa fuit, cur mortalium sapientissimum Apollo Delphicus eum pronunciaret, (p) multis præsentibus, sequenti dato Chærephontis qui eum interrogaverat, oraculo:

Sapit Sophocles & magis Euripides
Sapit: Sed omnes antecellit Socrates.

p Plato Apol. p. 21. Liban. Apol. p. 661. B. Schol. ad Aristoph. Nub. p. 131.

Existimante, ut est apud Ciceronem, (q) Apolline, quod hæc esset una omnis sapientia, non arbitrari te scire, quod nescias. Eo vero oraculo, (r) licet nihil sibi exinde tribueret amplius, multum tamen hominum auctam invidiam sensit. Adeo erat religiosus, ut sine Deorum consilio nil ageret, (s) neque Socratem impii quidquam ac nefandi vel patrare quisquam vidit unquam, vel dicere audivit. (t) Reverentia Deos prosequebatur (u) non humana, sed quæ omnem aliam superaret. Atque huc referunt nonnulli, (x) quod per Gallum, * canem, vel platanum, sub qua cum suis considebat, iurare soleret, quod impietatem alii sunt interpretati.

q Cic. Acad. Qu. l. 4.
r Laert. II. 37.
s Xen. Memor. L. IV. p. 816.
t Idem L. I. p. 710.
u Plato Philebo.
x Suid. Zonar. Schol. Aristoph.

Constantis animi erat, (y) invictæque sententiæ, & *publici boni* inprimis studiosus: quod cum ex aliis constat, tum ex eo maxime, quod solus decem absolvere duces ausus fuerit: quod item XXX tyrannis, Leontem Salaminium ad se adduci jubentibus, parere noluerit: ex carcere etiam effugere recusaverit, & plorantes severe increpaverit. Xanthippe dixit, se in mille mutationibus, quibus status Reipublicæ tum convulsus fuit, semper videre Socrati vultum eundem, sive domo exeat, sive redeat, neque aut hilarem magis, aut magis turbatum. Nempe ad omnia animum æquum præ se ferebat, longeque a dolore remotum, atque omni metu superiorem. Ætate provectior cum in morbum incidisset, eumque nonnemo eorum, qui visitabant ægrotum, interrogasset, ut ageret? *Bene*, respondit, *utcunque eveniat*: Si *vivam enim æmulos plures*, *si moriar plures laudatores habebo*.

y Laert. II. 24. δημοκρατίας h. e. status popularis.
Aelian. V. H. IX. 7. Cic. Offic. I. 26 Tusc. Qu. III. 15. Senec. Ep. 104. Plin. H. N. VII. c. 18.

Ea ipsius temperantia erat, (a) ut nunquam id, quod magis iucundum esset, præferret ei, quod sanitati magis conduceret. Nec plus ede-

a Xen. Memor. IV. p. 818.

* Per Gallum jurasse Socratem apud Schol. Aristoph. quem citat Stanlejus, legi haut memini. Juramentum per *anserem* inter Socratica refert ille Grammaticus ad Aristoph. aves p. 566. Ex quo etiam id habet Suidas v. [illegible]. Quemadmodum & per hircum, quercum, lapidem, eum jurasse apud eundem, Tertullianum item, Lactantium & Augustinum legimus.

edebat, quam fames, quæ condimenti loco ei esse solebat, suaderet. Potus quicumque esset, iucundus ipsi videbatur, nunquam enim, nisi siti id exigente, bibebat, idque ea faciebat cura, (b) ut nunquam biberet ante, quam primam urnam haustam effudisset. Ad convivium invitatus, (c) quod difficillimum aliis, facile, ne plus ederet, cavebat, quam conducere nosset sanitati corporis. Ejus enim diligenter curam gerebat, (d) quod animi ab ea pendere actiones judicaret. Quamobrem & ante cœnam deambulationi vacabat: quod cum observatum esset nonnemini, illeque, quid ageret? interrogasset, *condimentum* se, ajebat, *in cœnam comparare*. Illi vero eius continentiæ tribuitur, ut quamvis sæpissime peste affligerentur ea ætate Athenæ, solus tamen eam evaserit.

b Plut. de garrul. p. 512. F.

c Xen. Memor. I. p. 723. B.

d Xen. Memor. I. p. 722. A.

Aelian. V. H. XIII. 27. Laert. II.

Tanta frugalitate fuit, ut quantulumcumque etiam possideret, contentus tamen viveret semper. Mediisque vitæ cum splendore transigendæ destitutus, anxie non de maioribus opibus acquirendis quidem, sed de moribus facultatum modulo accommodandis cogitabat: quo ita vivebat contentus, ut, proximum se esse Diis, putaret, quod paucissimis egeret. Eorumque, quæ publice vendebantur, multitudinem observans, quam multis, aiebat, non indigeo. Versiculos item istos identidem in ore habebat:

Xen. l. c. p. 711. Liban. Apol. T. I. p. 640. D.

Laert. II. 26. ib. § 25.

Auri quid apparatus? aut quid purpura?
Scena ista non vita parata existimem:

Alcibiades, ambitiose munificus, complura, eaque maxima munera illi mittebat. Xanthippe igitur donorum magnitudinem mirante, eumque ut acciperet impellente, Socrates *quin & nos*, dixit, *certemus liberalitate cum Alcibiade, neque ea, quæ misit, accipiamus, ipsi quoque nostro modo munificentiam exercentes*. Cumque idem grandem quandam aream ad construendam domum ei largiretur, dixit Socrates, *an vero, si calceamentis mihi esset opus, corium dares, ut calceos mihi ipsi conficerem? Sane ridiculus essem ego, si acciperem*. Archelaum præterea, Macedonem, & Scopam Crannonium, Eurylochumque Larissæum aspernatus est magno animo, cum neque ab eis missas pecunias accepit neque proficisci ad eos ipse voluit. Et Archelaus quidem cum mitteret ad eum, ad se ut veniret, dixisse Socrates traditur, *nolle se ad eum venire, a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non possit*. Perdiccæ accersenti excusabat se Socrates, *ne pessimo*, inquiens, *exitio peream, ubi gratiam collatam referre non potuero*.

Aelian. V. H. IX. 29.

Laert. II. 24

Laert. II. 25. male Stanslejus *filium Larissæi*. Senec. de benef. V. 6.

Anton. ἐν ἑαυτ. L. XI § 25.

Nocte provecta cum ex cœna aliquando rediret domum, adolescentes quidam, iuvenili petulantia acti, eum rediturum cum explorassent, clam expectarunt in insidiis, cum accensis facibus & furiarum larvis, quibus & ceteros ludificabantur ea prætereuntes. Socrates vero, ubi eos conspexisset, nihil perturbatus, constitit, eosque eodem modo interrogavit, ac si in Lyceo vel Academia cum iis versaretur.

Aelian. IX. 29.

Magno animo eos, a quibus contemnebatur, despiciebat. Cumque ei dixisset nonnemo, alterum male de ipso loqui absente: *vel verberet*, inquit, *absentem*. Alii nuntianti alterum maledictis eum incessere, *bene*.

Laert. II. 26. Anton. & Max. Serm. LIII. Laert. II. 36.

ne, respondit, *loqui* non didicit.

Plut. de Lib. educ. p. 10. B. Laert. II. 20. Calce impetitus ab adolescentulo admodum feroce & impuro, quum suos indigne id ferre ac fremere videret, ita ut in ius quoque illum extrahere cogitarent; *Quid ergo*, inquit, *an, si me asinus calce feriisset, iussuri eratis, ut contra ei calcem impingerem?* Nec tamen impune id homo tulit, omnes enim eam ipsi proterviam exprobravere, *calcitronem* appellantes: quam ille non ferens ignominiam laqueo vitam finivit.

Senec. L. III. de ira c. 11. Colapho percussus, nihil aliud dixit, *quam permolestum esse, nos homines ignorare, ubi galeatis in publicum sit prodeundum*.

Basil. quomodo leg. Graec. libri p. 94. ed. Grot. Alio magna vi in eum irruente, nihil perturbatus sustinuit, tamdiu irati verbera tolerans, donec tota facie contusus intumuisset. (At, cum ille verberare desiisset, nihil quidem aliud fecisse aiunt Socratem sed ut statuae autor inscribi solet, ita ipsum fronti suae inscripsisse *ille fecit*, & hac vindicta fuisse contentum.) Plut de ira cohib. p. 454. A.

Quoties se vehementius commotum adversus amicorum aliquem sentiret antequam fluctus insurgerent, maritimum quasi aliquod subiens promontorium, vocem remittere solebat, vultu renidere, & mansuetius obtueri, vergendo in diversam partem, & contrarios illi affectui motus ciendo, invictum erectumque se servans.

a Xenop. memor. I. L. I. p. 712. B. Avari ut essent, (*a*) minime eos, cum quibus versabatur, docebat, neque enim pecuniam a discipulis exigebat ipse, qua in re liberalitatem se exercere iudicabat.

b Laert. II. 26. Tametsi esuriens (*b*) assentari tamen nunquam sustinuit, venustus tamen erat, & facetus inter familiares. Cumque in convivio aliquando coram omnibus increpasset amicorum nonneminem, eique dixisset Plato, annon privatim haec ei exprobrasse praestabat? ille respondit, *nonne vero ea de re a te quoque privatim moneri praestabat*. Quam patriam haberet? interrogatus, (*c*) *nec Athenas, nec Graeciam, sed mundum patriam sibi esse*, respondit. Venustiore quandoque habitu amiciebatur, (*d*) quali incedentem eum Plato describit. Imo & cum vacaret, fidibus canere didicit, *minime pudendum*, dicens, *quod quisque nesciat discere*. (*e*) Quotidie etiam saltabat, (*f*) eam exercitationem plurimum ad tuendam valetudinem conducere existimans. Neque etiam cum pueris ludere erubescebat. (*g*)

c Plut. de Exil. p. 600 F. d Laert. II. eadde Plat. ton. sym. pos. init. e Laert. III 32. Aelian. IV. 11. f ad Plutarch. de sanit. tuend p 124. E. g Senec. de Tranq. animi. c. XV. Plutarch. Agesil. c. 9. Aelian. V. H. XII. 15. Val. Maxim. VIII. 8.

Iustitia adeo erat conspicua, (*h*) ut ne minima quidem re laederet quempiam; quin potius benefaceret omnibus, quotquot cum eo versarentur, quantum posset.

h Xen. memor. IV. p. 818. i Quintil. VIII, 4. k Xen. memor. III. p. 783. B. Lucian. Declam. XXV. Aelian. V. H. XIII, 32. l Xen. memor. I, p. 731.

Invicta eius continentia fuit, (*i*) Alcibiadis formam contemsit, Theodotam vero & Callistonem meretrices, feminas formosissimas, derisit. (*k*)

Bonorum virorum multum delectabatur conversatione, (*l*) cumque iis nihil non communicabat eorum, quae noverat: cum iis in scripta inquirebat veterum sapientum, ex quibus optima quaeque decerpebat. Atque inde licet confirmes ea, quae de morum doctrina a septem sapientibus inchoata in vita Solonis diximus. Hanc vero cum eiusmodi viris contractam amicitiam omnibus opibus anteponebat. Atque inde ita ab iis expetebatur conversatio eius, ut eos ipse expetebat atque desiderabat. Xenoph. mem. II. 752. F.

CAP.

CAP. XVI.

De uxoribus Socratis liberisque.

Laert. II. 26. DUas uxores duxit, priorem Xanthippen, civis Atheniensis, ut Theodorito affirmatum, filiam, qui addit, pudicitiæ parum integrę eam, antequam Socrati nuberet, fuisse, quam non ipsi tantum, sed & aliis prostituisset. Relatum & Athenæo eam, sibi iam nuptam, amico commodasse Socratem, Alcibiadem quoque eius commercio esse usum. Verum, & Aristoxeni, & Porphyrii, a quibus istæ originem calumniæ ducunt, notior apud omnes malignitas est, quam ut ullam ab iis relata autoritatem mereantur.

Theodorit. Therap. XII p. 174. fin.

Athen. L. V. p. 219. B.

Gell. I. 17. Eadem iuxta Gellii delineationem morosa admodum extitit, & iurgiosa, irarumque & molestiarum muliebrium per diem perque noctem satagebat.

Laert. II. 37. Xenoph. Sympos. p. 876. C. Ea vero ipsa causa fuit, cur illam duceret Socrates, ut Antistheni est fassus. *Quod eos etiam videret, qui equestris rei peritissimi fieri volunt, non illos sibi equos comparare, qui lubentissime pareant, sed valde animosos, existimantes, sese, si tales coercere possint, facile reliquos etiam tractaturos. Se itaque etiam cum multum hominum consuetudine cuperet uti, hanc sibi quaesivisse, quod sciret futurum, ut, si eam tolerare posset, facile cum reliquis hominibus versari queat.* Laert. l. c. Alcibiadi, dicenti, non esse tolerabilem Xanthippen, adeo morosam, respondit, *atqui ego ita hisce iampridem assuetus sum, ac si iugiter sonum trochlearum audiam. An vero tu non toleras strepera anserum voces*? Illoque dicente, at mihi ova & pullos pariunt, *&* *mihi*, regessit, *Xanthippe filios*,

Laert. l. c. Morositatis eius, & patientiæ Socratis complura specimina prostant. Amicis quibusdam Socratis pręsentibus aliquando, pro more suo affectui indulgere occipiebat nihil regerente Socrate, sed cum amicis domo exeunte. Vix limina egresso ex conclavi superiore aquis eum sordidis perfudit, quo facto ad amicos conversus, *nonne*, inquit, *dicebam Xanthippen tonantem mox pluituram*.

Id. s. 37. Cum aliquando pallium ipsi in foro deripuisset, suaderentque amici, ut iniuriam verberibus ulcisceretur, *Praclaro*, inquit, *ut nobis rixantibus quisque vestrum acclamet, Eia Socrates, Eia Xanthippe.*

F... il. 26. Ad similem fabulam alludere videtur Imperator Antoninus his verbis: „Qualis fuerit Socrates, cum „pellem præcingeret, cum Xan„thippe veste sumta processit: ac „quę dixerit sociis Socrates pudore „affectis, ac recedentibus, cum vi„derent eum in isto ornatu?

Plut. de ira cohib. p. 414. Cum Euthydemum ex palestra secum adduxisset ad cœnam, Xanthippe ira concepta mensam evertit. Quare motus Euthydemus consurrexit, & abire paravit. Tum Socrates: *nonne idem gallina nuper domi tua, me præsente, faciebat, nec tamen ea re me quidquam commotum vidisti.*

Aelian. XI. 12. Placentam magnam pulcherrimeque elaboratam, quam ab Alcibiade acceperat, indigne se, pro more, graviterque gerens Xanthippe, de canistro eiectam pedibus conculcavit. Cui arridens Socrates, *nunquid* dixit, *non tu simul ea carebis*?

Id. VII. 10. Anton. ... Cumque alio tempore eadem vestitu parum decente ad publicum prodire pararet spectaculum, *vide*,

 dixit,

Xenoph. Mem. I, p. 713. B.

peraverunt. Ambo tamen, quamdiu Socrati adhærerent, nihil tale præ se tulerunt, sive quod ætas nondum idonea esset vitio illi explicando: sive quod astute, quæ Xenophontis est conjectura, ad Socratis ingenium sese componerent, ejus doctrina in iis artibus se profecturos sperantes, quibus instructi, animo jam tum proposita felicius exsequerentur; quæ simul atque moliri occœpissent, nuntium Socratis amicitiæ miserunt. *Critias* ab eo alienus amorem in odium vertit, quod ejus in *Euthydemum* amores improbasset. *Alcibiades*, suo ingenio effrænatæ libidinis homo, a Socrate identidem ad bonam frugem revocabatur, bonusque erat, quamdiu in ejus esset familiaritate. Is forma adeo conspicuus erat, ut obtrectatoribus ea occasionem dederit, pessime ejus cum Socrate commercia interpretandi, eamque in rem *Aristoxenum* Diogenes atque Athenæus allegaverunt, quorum iste Aspasiæ quoque versus nonnullos, eo spectantes, adduxit. Vindiciæ tamen Socratis apud Platonem & Xenophontem habentur. *

Aristippus est apud. Diog. II, 23. Athen. V. p. 219 it. L. XIII. p. 566.

* adde & Max. Tyr. Diss. VII. sqq. Cic. Tusc. III, 32.

Institutionis, qua *Alcibiadem* Socrates emendare est conatus, sequentia habemus exempla: Persuadebat ei, *nihil eum hominis esse, nec quidquam inter Alcibiadem, summo loco natum, & quemvis bajulum interesse*. Quamobrem se Alcibiades afflictavit, lacrymansque Socrati supplicavit, ut sibi virtutem traderet, turpitudinemque depelleret.

Aelian. III 28.

Quum videret Alcibiadem ob divitias, agrorumque multitudinem, elato animo esse, eum ad locum adduxit, in quo tabula quædam, descriptionem terræ complectens, suspensa erat, rogavitque, ut Atticam quæreret. Quam quum invenisset, suos fundos eum requirere jussit, eoque respondente, nuspiam ibi pictos eos apparere, *Horum ergo*, Soctates respondit, *possessione te effers, qua partem terræ (quæ quidem sit alicujus existimationis) nullam constituunt.*

Idem. II. 1.

Idem adolescens cum valde in populi concionem prodire metueret, Socrates eum excitare cupiens, *An non*, dixit, *sutorem illum, nomen autem addebat, nihili facis?* Annuente Alcibiade, Socrates perrexit, *an non etiam illum in circulis præconem, illumque tentoriorum sartorem?* Idque fatente Alcibiade, *nonne*, dixit, *hi sunt, ex quibus conflatus est populus Atheniensis? Quare, si singulos contemnis, in concione congregati, metuendi haut erunt.*

Addendi istis omnibus quatuor *Critonis*, Philosophi, *filii*: quorum natu maximum *Critobulum*, famosæ pulchritudinis, opumque amplissimarum, adolescentem, Socrates ad comparationem, formæ opumque provocavit, & licet suas facultates quinque minis æstimaret, se ipso tamen pauperiorem esse demonstravit.

Laert. II. 121. Macrob. Saturn. VII. 3 Xenoph. Memor. L. V. p. 822. B.

Secundus *Hermogenes* fuit, quo inopia laborante, amico suo *Diodoro* ut eum aleret Socrates persuasit.

Xenoph. Memor. L. II. p. 760. A. Xenoph. Memor. IV. p. 786.

Tertius *Epigenes*, Juvenis, sed parum integra valetudine, quam ut curaret, Socrates ei suasit, ut qua mentis quoque integritas, atque intelligendi vis, nitatur.

Mini-

Minimus natu inter eos *Ctesippus*. Poetas discipulos habuit *Euripidem*, ut anonymo vitæ eius autori proditum, atque *Evenum*.

Ex oratoribus *Lysias* Scholas eius frequentavit, ea arte maximus, * perspicuus, vix imitabilis, qui Athenas anno II. Olymp. LXXXII. delatus est. Itemque *Lysis*, quem obsequentem ex refractario fecit, & *Isocrates*, de quo, iuvene adhuc, magna Socrates fuit auguratus. Fuere etiam in numero discipulorum eius, auditorumve, *Adimantus*, & *Glauco*, Aristonis filii, fratres Platonis, ut & *Charmides* Glauconis filius. *Glauco* vicesimo ætatis anno nondum superato oratorem agere cœperat, atque ad maxima Reipublicæ munia adspirabat, neque illa ipsi somnia, quibus risum omnibus movebat, excuti poterant, donec amicis quibusdam conciliantibus, in Socratis perveniret familiaritatem, qui eum errore explicitum dedit, utque agnosceret, viribus se imparem esse suscepto muneri, effecit. Vicissim autem filium *Glauconis*, excellentis ingenii iuvenem, omnibusque Reipublicæ muniis idoneum, meticulose tamen publicis sese negotiis subducentem, idem Socrates, ut magistratum susciperet, fuit hortatus.

Fuit & *Nicostratus*, *Theodotidis* filius, eiusque frater *Theodotus*, *Æantodorus* item cum fratre *Apollodoro*, & *Lysanias*, *Æschinis* parens. *Charecrates*, *Charephontis* frater, cum quo maximæ ei intercessere inimicitiæ, quas tamen Socrates composuit.

Paralus porro, *Demodici* filius, cui frater *Theages*, & *Antipho* Cephissiensis, *Epigenis* pater, cum quo quod mercedem a discipulis non acciperet, de αὐταρκεία itemque de veracitate apud Xenophontem disputat. *Phliasius* denique *Eumares*, & *Xenomedes Atheniensis*.

Præter hos vero alii fuere, cum quibus identidem Socrates disputabat, eosque instruebat.

Aristodemus, cognomine parvus, qui a sacrificiis, precibus, & divinatione abstinebat, omnesque, qui illis se impenderent, ridebat, a Socrate erroris convictus.

Aristarchus cognatos sibi oneri esse ægre ferens, quem ad ingenuam adversus eos liberalitatem Socrates adduxit.

Eutherus, qui, ex itinere redux, agros suos sibi sensit ademptos, patriamque hæreditatem invenit nullam, quamobrem, cum operis faciendis victum quærere, quam amicos rogare mallet, ab eo illum Socrates instituto revocavit.

Diodorus, cui Socrates, ut Hermogenis curam gereret, persuasit.

Euthydemus, qui varias Poetarum Sophistarumque collegerat sententias: eoque omnes se æquales excellere existimabat, paulo post etiam superiores sese confidens superaturum, a Socrate ad agnoscendum errorem atque ignorantiam adductus, cum magna perturbatione abivit.

Hippias Eleus (*a*), cum quo de iustitia disputavit.

Nicomachides (*b*), *Pericles* (*c*) & Iphicrates (*d*), ad quos de Imperatoris officiis disseruit. Horum postremo magnos animos addidit, Midæ gallis, adversus gallos Calliæ tumentibus, caudasque pandentibus (*e*), ei monstratis.

* Dionys. Halic. de Orat. Antiq. Lys. ως αναγεγραμμενον μὲν ζῆ λόγον, σχολὴν (Leg. εὔκολον, quo sensu & Plutarchus loquitur) πολλῆς ἐθελοντὰς δε τὰς ὑπεκταθεὶ μαθήμασι.

Stanlejus Laert. II. 29.

Plato Apol. Xenoph. Memor. L. III. p. 772. 774. Laert. II. 24.

Plato Apol.

Xenoph. Memor. II. p. 743.

Plato Apol.

Xenoph. Memor. I. p. 729. 731. 732.

Xenoph. Memor. I. p. 725.

Xenoph. Memor. II. p. 755. A.

Xenoph. I. II Memor. p. 757. sq.

Ibid. p. 760.

Id. L. IV. p. 791.

a Id. p. 804. B.

b Id. L. III. p. 765. D.

c Id. L. III. p. 767. D.

d Laert. II. 30.

e τῆσου ἀνατεθεῖ est quod Gallinas Indicas facere, aliquando videmus tumentes & caudam pandentes.

f Plato Theæt. Laert. II. 29. *Theætetus*,(f) quem, ubi de scientia cum eo disputasset, divina quasi sapientia inspiratum dimisit.

g Plato Euthyphr. Laert. II. 29. *Euthyphron*,(g) quem patri litem intentare paranti, revocavit.

h Xen. Mem. III. p. 780. E. i ibid. p. 781. D. k ibid. p. 782. A. Disputavit etiam cum *Parrhasio* (h) pictore, *Clitone* statuario, (i) & *Pistia* armorum fabro (k) de arte ipsorum, apud Xenophontem.

CAP. XVIII,

Scripta Socratis.

ap. Allat. Diss. de Script. Socrat. QVi nihil Socratem scripsisse contendunt, Cicero, Plutarchus, Dio Chrysostomus, Aristides, Origenes, & reliqui, ad philosophica scripta respiciunt, in quo genere nunquam ipse scripto tradidit quidquam; dicta enim eius a discipulis, Xenophonte, Platone, atque aliis in litteras relata fuerunt. Hinc est, quod scripta Platonica, & Phædo inprimis, Socratis nomen tulerint, eoque ab Aristotele fuerint allegata. Quædam tamen alia a Socrate prescripta esse, ex iis ad oculum patet, qui *Euripidem* ab eo in scribendis *Tragœdiis* adiutum aiunt. Laert. II. 28 Quo spectat Mnesilochi istud:

Phryges Poetæ Euripidis opus novum
Cui Socrates sarmenta subiecit sua.

Et rursus: *Euripides Socratis Calliaque usus gubernaculis*. *

Superba tu multumq; temet efferens.
Sic fas mihi: causa est, si quaris, Socrates.

Tusc. IV. 29. Huc Ciceronis illud pertinet, inquientis: „cum Orestem fabulam „doceret Euripides, primos tres „versus revocasse dicitur Socrates. *Æsopi* etiam *fabulas* quasdam in metrum redegit, elegantia non summa, quarum mentio apud Platonem, Plutarchum, Laertium, initium vero est istud:

Civibus Æsopus dixit, queis culta Corinthus,
Ne in ius virtutem iudice plebe vocent.

Laert. l. c. *Paanem* item, sive hymnum in Apollinis & Dianæ honorem. Fuitque eius nomine circumlatus tali initio.

Salve Phœbe, & Luna soror, par nobile fratrum.

Quem Dionysidorus ei abiudicat. Meminit & Plato eiusdem. Illis autem ab aliis additur:

Laert. L. II. c. 55. *Grylli*, Xenophontis filii, *encomium*, qui in pugna Mantinæa occuberat, quem tamen verum Socratis fœtum fuisse ut credamus, temporum haut patitur ratio. Maiorem fidem habet, quod dicitur.

Laert. II. 61.62 apud quem tamen res paulo aliter refertur. Harum fidem doctis argumentis destruxit cl. Bentlejus in judicio de Epistolis Phalaridis. *Dialogos* eum composuisse, quos *Æschini* dederit, ut quæstum faceret illis, cum eum paupertate laborare animadverteret. His omnibus.

Epistolæ addendæ, quarum nonnullas Leo Allatius edidit. Pluraque alia eum scripsisse Arrianus & Athenæus innuunt.

EPISTOLÆ SOCRATIS.

EPIST. I.

Propositum meum, & institutum, ut mihi videtur, minime assequeris. Neque enim alias iteratis litteris, & uberioribus donis oblatis, me solicitares. Verum tu, ubi

---

* Stanleius coniunxit non coniungenda: Nam apud Laertium legitur Εὐριπίδης Σωκρατογόμφους, καὶ Καλλίας πεδήταις, ὕδη σὺ σεμνὴ. Vbi utcumque legas & explices vocem Σωκρατογόμφους, qua de re plura docti interpretes, clarum est sequentibus Calliæ drama πεδῆται allegari, ex quo sequentes duo versus, hic quoque latine redditi desumuntur. Totus igitur hic locus ita refingendus. Et: *Euripides Socratis clavis compacta* dedit (quod ex Mnesilocho nempe allegatur) *Callias vero* in captivis &c.

ubi Sophistas reliquos, ita & Socratem venalem doctrinarum mercaturam facere ducis, ideoque ea, quæ prius scripseram, serio non scripsisse; sed ut maiora a te munera elicerem. * Nunc igitur montes auri polliceris, & congestorum donorum copia tantum te perficere putas, ut ad te, commerciis, quæ mihi cum Atheniensibus sunt, neglectis, advolem. Sane sermones, rationesque Philosophicas venales exponere omnino indecorum est, & a mea consuetudine mirum quantum recedit. Ex quo namque me in Philosophiam, id siquidem mandatum a Deo habebam, insinuavi, ac dedi, quippiam ab aliquo accepisse nusquam redarguar, qui in publicum congredior, ut *quicunque voluerit, audiat*. † Neque enim clam aliis, ac foribus obseratis, quod de Pythagora tradunt, Philosophiæ operam do: neque in publicum egressus, ab iis, qui ad audiendum se conferunt, pecuniam extorqueo: quod nonnulli superiori ævo factitarunt, & hac tempestate plerique faciunt. Nam ad usus vitæ necessaria, mihi ego ex me suggero, nec fallor: dapsilem rerum copiam, ubi nactus fuero, non habeo, apud quem deponam. Iis siquidem, qui daturi sunt, neminem mihi fore fideliorem puto. Quorum si fidem suspectam habeo, etiam depositum confidens iis, neque cautus, neque prudens iudicabor. Si probis moribus fuerint homines, licet nihil illis concrediderim, accipere tamen ab eis nihilominus fas erit. Neque enim pecuniæ concreditæ custodes fidi, gratiæ suæ infidi custodes erunt. Neque iis me priva re unquam in animum inducent, quæ dare cupiebant; verum, ut qui gratis a me accepere, quod pecunia vendunt alii, mei, ubi opus fuerit, rationem habebunt. ** Sed enim, ut verbo expediam, si amici fuerint, multa, *perinde ac vos*, †† ex propriis etiam in nos profundent: si non fuerint, multa etiam ex nostris hianti desiderio surrepta sibi conquirere conabuntur.

* Hæc aliter accepit Allatius.

† τῷ ἐθέλοντι καὶ μὴ quæ verba illo, quem expressimus sensu, ferri possunt: sed ferri nequit Allatii interpretatio *æque omnibus audiendi etiam si nolint potestate facta*. Suspicor tamen Socratem scripsisse τῷ ἐρῶντι καὶ μὴ Stanleius.

** Aliter hic Allatius.

†† ὡς ὑμῖν leg. ὡς ὑμεῖς Stanleius

Mihi præterea ad conservandas opes tempus non suppetit. Admirationeque eorum ducor, qui sui causa opes se comparare (*a*) fatentur, atque ob eas seipsos magni faciunt: cum disciplinam negligant, aucupandis opibus operam dant. Itaque rerum supellectile admirationi, inscitia derid iculo sunt: & aliis omnibus rebus, præterquam semetipsis, felices ac beati judicantur. * At quomodo non durum erit, cum ad amicos recurrere turpe adeo esse ducamus, neque *ab aliis pendere* † velimus, pane eorum pasti, a pecunia tamen pendere ut nos haut displiceat? An non novimus hosce tantum propter opes in pretio haberi, & fortuna illa pereunte, dedecoris ac ignominiæ maculis omnibus notari? adeo ut in honoribus ipsis gaudia mœrore, (neque enim sui gratia honorantur) contaminent, & in ignominia magis impense indoleant cum ipsi hoc sint, ob quod dedecore afficiuntur.

(*a*) Hanc interpretationem particula καὶ ante αὐτοὺς firmare videtur.

* Aliter Allatius.

† Leg. in Græcis χρέεσθαι.

Primum ergo minus bene existimas, si animum induxisti tuum, ut opinareris *Socratem*, quod ipsi gratis agere indecorum visum est, id pecuniarum causa facturum, non animadvertens, me hic multa, sed potissimum patriæ utilitates, necessitatesque detinere. Neque mireris, si patriæ utilitates me præbere, quamvis neque rebus militaribus

bus

bus obeundis, neque oratoris partibus agendis exerceor, asseveravi. Nam primum, ut opinor, pro suo quisque modulo, quæ in rem sint, ea facere debet. *At majora viribus aliis relinquet*, ** & quibus par fuerit ea efficiet. Deinceps in simili civitate non consiliariis tantum, aut navarchis, & copiarum ducibus, sed iis etiam opus est, qui ceteros tuendi officii admoneant. Etenim *haut mirum* †† est, ex illis nonnullos pondere, ac magnitudine rerum oppressos, veluti somno obtorpescere, quibus excitandis stimulis opus est. His me Deus præfecit, Hincque, non sine causa odiosus, iisdem iniquioribus utor. Verum ille, ut hinc abeam, non permittit, cui obediendum potissimum duco. Ille enim, quid mihi conveniat, optime cognoscit. Is, cum primo me ad iter compararem, prohibuit, &, cum secundo scriberes, interdixit: cui libens morigeror, dictisque obtempero. Et Pindarum sane in hoc sapientia pectus munisse mihi autumo, qui dicit, *Deo monstrante ad opus quodlibet principium, recta erit semita ad aucupandam virtutem, & fines illustriores:* Fere enim in hunc modum Hyporchema illi effusum est. Alia ejusmodi Poetæ ceteri de Diis dixere*: nempe ea, quæ eorum consilio fiunt, feliciori exitu terminari: quæ præter Dei nutum, inutilia operantibus evenisse*. Græcarum urbium illæ, quæ ceteras prudentia antecellunt, Deum apud Delphos consulunt, &, quæ dicto audientes rem peregerint, tempestivos fructus ex eo cepere, quæ non obtemperarunt, ut plurimum maximis noxis confectæ sunt. Neutiquam tamen mihi admirationi erit, si de Dæmonio dicenti non credes. Jam enim & alios, eosque non paucos, erga me comperi ita animo affectos. Simili modo plerique in Deliensi conflictu non credidere. Aderam siquidem tunc in exercitu, & cum universo populo, urbe egresso, cum hostibus congressus sum. Fuga plerique dilapsi sumus, utque ad trajectum quendam pervenimus, consuetum mihi signum obtigit. Substiti itaque, dixique: *hac via eundum non est, viri, sed alia, ut mihi videtur; Dæmonis quippe vox oborta est*. Eorum itaque potior pars, quasi præter tempus in non ludicris luderem, ira succensi, recta pergebant. Pauci, obsecuti, una mecum adverso itinere incolumes patriæ redditi fuere. Reliquos unus ex illis, cum advenisset, omnes, dixit, interiisse. Nam in hostis equitatum, a persequendo redeuntem, eos incidisse, contra quem primum quidem armis decertare instituerint, deinceps ab illis, quorum major copia erat, circumclusos, pedem referre, oppressosque tandem ad internecionem cæsos fuisse. Horum nuncius etiam ipse vulnus acceperat, cum scuto solo sospes elapsus. Multa item aliquibus privatim, præceptore Deo, de futuris eventibus prædixi. Tu vero, & regni partem offers, exorasque, ut iter capessam, non tanquam imperium novum, ac dominatum subiturus, sed ex adverso aliis & tibi imperaturus. Ast ego aliis imperare non didici, & fateor; idque cum nesciam, nunquam in alios imperium exercere susciperem, non magis, quam talorum lusum, quem nunquam didicerim. Et sane minora, aut nulla, essent vitæ humanæ incommoda, si & reliqui homines una

** ἀλλὰ τῶν μὲν ἑτέρων ἔχειν τὴν αἰτίαν, τοῦ δὲ καθάπαξ αὐτόν. Alii Codices habent τοῦ μὲν ἑτέρων, unde suspicio veræ lectionis: ἀλλὰ τοῦ μὲν ἕτερος ἂν ἔχοι τὴν αἰτίαν. Stanl.

†† F. leg. οὐδὲν γὰρ θαυμαστὸν pro οὐδὲ γὰρ θ. Stanl.

una mecum sentirent. Nunc imprudentium audacia, ea, quæ ipsi ignorant, aggressa, in maximas turbas res ipsas impellit. Hinc etiam fortunam majorem, quam sit ipsa, faciunt, suaque stoliditate illius imperium augent. Præterea neque illud ignoro, Regem privato magis honorandum esse. Quemadmodum vero equo insidere nollem, equestris scientiæ ignarus, sed utilius mihi foret, equite licet multo inferiorem, peditem esse; ita & de Rege, & de privato judicium fero: neque maiora possidendi cupiditate adinflatus, illustriores etiam, ac magis notas calamitates exposcerem. Videntur autem, qui res Bellerophontis in fabulas primi retulere, simile quid innuisse. Neque enim, quod editiorem locum concupierit, sed quod res grandiores, & supra vires difficiles, appetierit, incommodis, ac infortuniis posthac divexatum fuisse aiunt. Nam a spe, quam sibi finxerat, turpiter, fœdissimeque deiectus, reliquorum omnium naufragium fecit: propter exprobrantes; relictis urbibus, in solitudinem digressus, rectisque tramitibus deperditis, non quos ita vocare consuevimus, sed libera agendi ratione, e magnitudine animi profecta; qua uniuscuiusque vita perfecte dirigitur. Sed hæc modo, qui Poetis placet, percipiantur. Quod ad me attinet, jam altera vice habeto: Nunquam hisce nostris, *quæ tuis potiora duco*, * renuntiabo. Non placet item Deo, cui ad hunc diem veluti consiliario, & procuratori, me meamque operam devovi.

* ἀμείνω δοκῶ, alii ἀμείνω δοκῶ, f. legas ἄμεινον εἶναι δοκῶν vel ἀμείνω δοκῶν.

EPIST. II.

Satis scis, quibus studiis Chærephontem prosequar. Urbis decreto ad Peloponnesios legationem obiens forte & ad vos perveniet. Hospitalitatis munera, ac commoda, viro philosopho facile parantur: itinera vero, & potissimum ob tumultus, quibus locis illis miscentur omnia, nimis periculosa sunt. His si provideris, virum amicum incolumem reddes, nobisque gratissimum feceris.

EPIST. III.

Aneso, Amphipolites Potideæ mihi commendatus, nunc Athenas venit, per populum ex familia sua eiectus. Res enim, ibi turbatæ, adhuc in obscuro latent: puto nihilominus post tempus non multum in apertum venturas. Illi si opem tuleris, in haut indignum beneficium conferes, & de ambabus urbibus bene mereberis; Amphipolitanæ, ne rebellans in discrimen lethale veniat; nostræ, ne pro ea molestiam suscipiat, veluti nunc pro Potidæa conflictatur, adeo ut tantum non desponderit animum.

EPIST. IV.

Critobulum, mihi obvium, ad Philosophiæ studia adduxi, at ille videtur a meis consiliis discrepare, & ad res civiles potius anhelare. Doctrinam itaque rebus illis peropportunam ipse seliget, & ductorem ad illam, omnium qui optimus sit, sibi comparabit. Nunc enim delectissimi quique Athenas conveniunt: quorum plerique nobis necessitudine, ac benevolentia coninguntur: Et hæc de Critobulo. De me, rebusque meis quid? Xanthippe, & pueruli valent. Ipse, quemadmodum cum præsens esses, ago.

EPIST. V.

Thebas te pervenisse, nobis nunciatum

ciatum est ; Proxenum in Asiam * ad Cyrum iter direxisse . Res vestræ an vobis sint successuræ, Deus scit, cum jam apud nonnullos ex nostris hæc facta varias reprehensiones incurrant: indignum quippe iudicatur, ad opem, auxiliumque Cyri Athenienses concurrere, cuius ope ipsi a Lacedæmoniis imperio spoliati sunt, ipsosque pro eo, per quem debellati sunt, bellum suscipere . Non igitur mirum erit, si rerum statu immutato, quidam te, quod tempori subservias, accusent. Certe, quo splendidius res tibi succedent, eo magis erit adversus te calumniæ locus . Nonnullorum enim ingenia fat nota habeo. Nos vero, qui provinciam hanc suscepimus, munus nostrum, ut viros probos decet, & quæ præsertim de virtute differere, multa illa quidem, consueveramus, memoria recolentes, nec non id rectissime a Poeta decantatum, *paternum genus infamandum non esse*, pro certo credentes, fungamur. Sed scias velim, duo hæc potissima inter alia militiæ esse, tolerantiam, & pecuniarum contemtum; hoc namque familiaribus cari, illa hostibus terribiles sumus Utrorumque exempla tibi domestica in promtu sunt.

* Lege πρόξενον δὲ καταλαβεῖν τὴν Ἀσίαν. vel διαβαλεῖν εἰς τὴν Ἀσίαν. Stanl.

EPIST. VI.

Quæ mihi de amicis commendaveras , summa cura, ac diligentia, peracta sunt ; & ex amicis nostris *unum*, qui apud populum eorum causam defenderet, non fortuito conquisivi. Ipse rem ardentius excepturum se, quod & tibi gratum facere vellet, promiserat. De quæstu & lucro, & de his, quæ ludens scripseras, multos esse sollicitos , absurdum forte, atque ineptum non

Lysiam fonte Stanleii.

est. Primum quidem, quod dum alii ad opes, & divitias, anhelant , ipse inopem , ac pauperem vitam volens ducam: deinde, quoniam multa a multis, vel viventibus oblata, vel morientibus legata, libere repudio. Virum autem ita affectum, mente captum esse judicari ab aliis nil mirum . Verum non hoc solum , sed & reliquum vitæ nostræ institutum examinandum est : & dum usu divitiarum ab aliis differimus, non mirum , si de *iis* acquirendis etiam discordamus. Mihi itaque cibus frugalissimus est, eodem vestitu æstivis hybernisque temporibus amicior : calceis nequaquam utor ; gloriam , quæ rebus publicis agendis comparatur , abhorreo ; illa, quæ ex temperantia, & justitia est, incendor . Qui vero lautissime vivendo nihil sibi temperant , varioque indumentorum genere , non intra eundem annum , sed eundem quoque diem ornari gestiunt , infandis voluptatibus indulgent : & perinde ac ii, qui naturalem colorem amiserunt, accitis sese exornant. Sic illi vera ex virtute gloria, quæ unumquemque addecet , deperdita, ad ea, quæ ex indulgentia aliorum pendent, confugiunt, distributionibusque ; ac publicis conviviis plausum popularem captant . Hinc esse , quod multis illis opus sit, non incongrue coniector . Nam neque ipsi paucis vivere possunt, neque , qui illis abblandiuntur, eos admittere volunt, ni prius plausus, clamorisque perhonorifici mercedem accipiant.

Lege χρημάτων pro συνάκτων Stanl.

Mihi vero vivendi ratio ad ambo hæc optime se habet. Me enim quidem errare in quibusdam posse, non negabo. At ista a viris melioribus , ut po-

ut potiora, probari, illa a pluribus, sat novi. Sæpe numero etiam de Deo penes meipsum edisserens, quanam ille ratione felix, ac beatus esset, non aliam habui, nisi quod nullius rei indigus nos præcellat. Naturæ siquidem excellentissimæ proprium id erat, non ulla re indigere, & ad manum habere, quibus fruatur. Eum autem ceteros sapientia antecellere puto, qui ad sapientissimum, ac beatissimum * esse, qui ad beatum quamproxime accedat. Hoc si divitiæ parere possent, divitiæ utique appetendæ essent. Sed cum id virtus tantum videatur apportare, rude, ineptumque esset, vero bono repudiato, commentitium aucupari. Res meas igitur non esse melius constitutas, hoc modo non facile mihi persuadebitur.

Ad filios quod attinet, & quod, ut dixeras, me oportet eorum curam gerere: quam sim in gratiam illorum solicitus, omnibus liquidissimo constare posse existimo. Unum beate vivendi principium ego existimo, bene sapere. Stolidus vero, auro, argentoque confisus, primum quidem bonum, quod sibi videtur possidere, non habet. Deinceps tanto aliis miserior, quanto qui pauperie premitur, licet nunc desipiat, aliquando post ad saniorem mētem redire potest: ille falsa opinione deceptus, ac se beatum ducens, vera utilitate neglecta, & contra affluentia rerum corruptus, præterquam, quod veris hominum bonis jam privatus, (a) spem etiam de illis in posterum recuperandis amittit. Nec fieri potest ut tales, hominum in familiaribus colloquiis astutissimorum, callidissimorumque, adulatione mancipati, & voluptatum illecebris, quæ per omnes sensus in animum illabuntur, indeque, quicquid bonum ac prudens est, judicii exterminant, irretiti, ad virtutem incolumes perveniant. Quid igitur, nonne necesse est, ut filiis stultitiæ magis, quam doctrinæ occasiones relinquat, qui ipse non verbis tantum, (b) sed operibus etiam suas in rebus illis spes collocasse demonstret? qui si pravi fuerint, quod vitæ suppetat, non habebunt, & fame pereuntes misere vitam finient, condignis inertiæ pœnis persolutis. Legibus sancitum est, filium a parentibus ad pubertatem ali. Vos autem, (dicet sortasse, nescio quis civilis homo, filiis suis qui hereditati inhiant, fronte contracta, indignanteque) neque a demortuo manus abstinebitis, sed alimenta vivi a defuncto deposcetis; nec, vitam, morte ipsa segniorem, ac inutiliorem traducentes, verebimini? Vos res meas etiam post mortem aliis relinqui vultis, vestræ ne vobis quidem ad vitam sustinendam sufficient. Hæc ille severius proferet ad filios audaci dicendi libertate, parenti, ac viro civili peropportuna, usus. Res porro mea ab aliis angusta censetur, reipsa opulentissimorum conditione nihil inferior. Quare ego filiis meis aurum neutiquam relinquam, sed auro amplius, ac pretiosius patrimonium, amicos moderatos, quos si coluerint, nullis rebus necessariis destituētur: quod si erga amicos male se gesserint vel hinc manifestum est, eos multo peius pecuniam ad cōmodum suum conversuros. Verum enim vero, si tibi, amicorum negligentiam experto, consilia isthæc mea incōsulta visa fue-

* Leg. μακαριώτατον pro μακαριώτατῳ Stanl.

a πρὸς διέκειτο χεῖρα· ἢ διά γε τῶν ὄντως ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν προσεκτο

στερηθεί- ρίαις vel πρὸς ἐπιτύχοι ἤδη κοινῶν. ὄντως ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν, προσεκτονέναι τὴν ἐπὶ τῶν μελλ. &c. Certe enim probare nequit Allatius πρὸς ἐις poni pro παρὰ vel διὰ ν.

b Alii habent ἐὰν ἐλλόγοις μένον. quod ego præferrem paulo post pro διανοσιντες legens διαλύσαντι, Stanl.

fuerint, dicam, non omnes homines erga amicos æque affectos esse. Sunt enim, qui eorum, etiam postquam de vita decesserint, curam habét. Deinde nostros amicos ex istorũ numero esse, qui nostra minime moleste consuetudine usi sunt, & qui tum quoque haut minus utilitate, quam ex nobis cepere, fruentur. Brevis itaque beneficii brevia item esse pręmia decet: at diuturna æquale utilitati beneficium benefacientibus præparant. Res autem meæ, ut animus præsagit, tempore ipso amicis videbuntur illustriores. Quare nec mercedem illis constituo, nec exigo. Nullum enim præter amicitiam Philosophiæ par pretium puto. Neque veluti ceteri Sophistæ de rebus meis male timeo, quæ vetustate ipsa virescunt, &, senecta gravia, repullulare(a) amant. Quare ipsa tunc potissimum a discipulis adamantur, & fœcundus parens eorum concupiscitur. Vivens (b) itaque solidam, & veram laudem habet, & vita defunctus posteritatis memoria vivit. Et, si quenquam ex necessariis reliquerit, veluti filium, vel fratres, hi ipsius, omnibus illum benevolentiæ officiis complectentes, & alio quopiam necessitudinis modo, quam quem natura sequimur, illi adhærentes, curam gerunt. Neque possunt, etiamsi vellent, in mala conjectum negligere, sicuti eos, qui genere nobis coniunguntur, parvipendere nequimus. Cognatio animi enim, quasi ex eodem esset patre ortus, ad demortui filio opem ferendam compellit, dum patris memoriam refricat, & illius despectum propriam infamiam ducit.

a ἀνηθο-μεῖσθαι lego pro ἀνηθε-ωρεῖσθαι & sic Allat. legisse videtur Stanlei.
b Lego περιὼν pro περὶ ὤν. Stanlei.

Perpende itaque, an tibi posthac vel res meas misere tractare, vel filios negligere, ut me defuncto, omnibus necessariis affluant, videar, qui non pecunias ipsis, sed eos, qui & pecuniarum, & eorum curam gerent, relinquo. Præterea ad hunc diem a pecuniis neminem saniorem factum historiæ produnt. At probatus amicus, etiam probato auro magis eligendus est, quod non omnibus appetentibus, sed probioribus amicis, nec vitæ usus tantum necessarios subministrat, sed & possessoris ipsius animum curat: & virtutis nomine, sine qua nihil in humanis utilitatem affert, plurimum conducit. Sed horum accuratam considerationem, cum una erimus, instituemus. Ad quæ vero scripseras, satis sit per hæc modice respondisse.

EPIST. VII.

Nil miror, quod scribis: nempe quod ejusdem sententiæ erga nos esse, te jam absente, suspiceris, cujus, cum adesses, erant triginta. Ego vero statim, atque te civitate movisti, in suspicionem apud eos veni, & nescio quis rumor inter eos increbuit, nusquam scilicet illa sine Socratis consilio patrata fuisse. Quare non multos post dies, advocatum me, duxere ad tholum, ubi multis de me querebantur. Ubi me excusassem, ut in Piræeum irem, Leonemque comprehenderem, mandabant. Induxerant autem animum, ut, eo jugulato, ipsi pecunias corraderent, me vero nefario, iniustoque parricidio, veluti sceleris comitem, obstringerent. Cum recusarem, & tale quid in eos proferrem, nunquam me volentem operi injusto subscripturum: præsens Charicles animo perturbato, & præ ægritudine afflicto, anne, o Socrates, ait, malum tibi parari posse existimas, qui petulanter

ter adeo loquaris? At ego infinita, inquam, mihi parari per Jovem possunt, o Charicles, at nullum tam atrox, atque infortunatum, quam si injustus fuero. Obmutuere posthac omnes, & ex eo tempore erga me animis peius affecti esse videntur. Res autem vestræ, ut quidam heic præsentes nunciabant, ex sententia procedunt. Afferebant quippe, Thebanos vos, profugos ad illos, excepisse humanissime, vobisque, ut domum redeatis, opem ferre, & velle, & posse. Hisce allatis nonnulli ex civibus misere conturbati, eoque potissimum, quod multo incertiora Lacedæmoniorum auxilia futura dicebantur. Nam, qui cum legatis eo redierant, affirmabant, Lacedæmonios magnis inopinatisque bellorum tumultibus fatigari, Ephorosque post internuncium de turbis civitatis acceptum, ægre ferre, tanquam qui non ad excidium urbem, uti ipsi afferebant, illis commiserint: Sibi ipsis enim cum expugnassent, si voluissent, perdere licuisse, * Corinthiis maxime, Thebanisque id urgentibus: sed ut concinne, apteque sub paucorum imperio respublicæ administrarentur, meliusque, quam sub plebis ductu temperarentur. Itaque, si vera hæc sunt quæ referuntur, & res vestræ ita se habent, ut tradunt, sane expectandum est: si una cum Thebanis accesseritis, neque illis in hac re Lacedæmonii adjutores adfuerint, facili negotio omnia in meliorem statum collocanda. Adhæc ex civibus plurimi, qui nunc præ timore placide conquiescunt, si vel vestigium rerum vestrarum, quod certum sit, conspexerint, lubentes ista deserent. Nihil enim rerum publicarum sanum, ac tutum reliquum est, sed omnia crebris, continuisque facinoribus in cassum abiere. Hinc potissima urbis pars æque atque vos ab illis scissa est, atque vel minima aliunde occasione oblata, vobis similia subibit. Ita, ut si nusquam alias, nunc manifestum sit, rem omnium pessimam urbibus advenire, Principum pravitatem. Hi ergo adeo commodo proprio, ut videntur, obcœcantur, ut, cum videant res publicas jam consumtas, ipsi tamen nullum scelerum finem faciant, sed quibus primum perturbatæ sunt, iisdem regere, ac sustinere putant, exiliis, proscriptionibus bonorum, & cædibus contra jus, fasque patratis. Nec animadvertunt pravum ægritudinum medicum esse, qui idem cum morbo grassante remedium usurpat. Sed horum res depravatissimæ sunt. Tu rebus tuis incumbens optime egeris. His enim, qui hic degunt, una spes reliqua est, si res ex sententia processerit, se gravi, atrocique imperio, ac duro dominatu liberandos. *

* Leg. τοῦτο μὲν γὰρ ἐξεῖναι σφίσι γ' οὖν, πεπονημένοις ἐβούλοντο Stanl.

GOT-

* *Nubes* posthæc *Aristophanis* integras inseruit Stanlejus, sed cum adeo necessarium illud drama ad Socratis historiam pertexendam haut esse videretur, & obviæ omnibus sint Aristophanis comœdiæ, noluimus eam heic adtexere: ejus loco Schediasma *de Scriptis Socratis* contra Leonem Allatium hic adiicere placuit; quod licet juvenile sit opus, quippe A. *1696* editum, non tamen indignum est visum, cui hic locus concederetur.

GOTTFRIDI OLEARII
DE
SCRIPTIS SOCRATIS
CONTRA
LEON. ALLATIUM
Schediasma.

VIR CL. LEO ALLATIUS, ut Epistolis Socratis & Socraticorum, A. cIↄIↄc XXXVII. a se editis, fidem adstrueret, Dissertationem, Sophistica Dialogi forma conscriptam ei præmisit, qua receptam in hanc diem sententiam, nihil unquam Socraticorum scriptorum extitisse, impugnavit. In ea ex veterum testimoniis, eo pertinentibus, examinandis initium ducit, ex quibus primum Plutarchum producit, qui *in Oratione de fortuna Alexandri* manifeste communi sententiæ favet, καὶ τοίγε, inquiens, οὐδὲ Πυθαγόρας ἔγραψεν οὐδὲν, οὐδὲ Σωκράτης, οὐδὲ Ἀρκεσίλαος, οὐδὲ Καρνεάδης, οἱ δοκιμώτατοι τῶν φιλοσόφων, & paucis interpositis: ἀλλὰ καὶ σχολάζοντες τὸ γράφειν παρίεσαν τοῖς
p. 81. σοφισταῖς. Quid ad hæc ALLATIUS? *Non magis verum est*, inquit, *Socratem nihil scripsisse, quam reliquos Socrati a Plutarcho in illo loco junctos*. Existimat scilicet, si Pythagoram, Carneadem, & Arcesilaum aliquid litteris posteritati consignasse, contra Plutarchi autoritatem fuerit evictum, de Socrate quoque ejus suffragium non multum fore curandum. Ostendere igitur conatur, de Pythagora temere id prodidisse Plutarchum, ut cui aperte contradicat Laertius, cuius quidem autoritatem, in seipsa spectatam, Plutarcho opponere non audet: ast cum Heraclidæ & Heracliti, (sed quorum uterque, pariter ac Laertius, Plutarchi polymathiæ & in historia literaria peritiæ, haud invitus me judice cedit,) ea hic nitatur testimoniis, pondus tamen aliquod obtinere existimat. Quasi vero Heracliti testimonium inprimis ignoraverit Plutarchus, quem dubio procul vel decipi cum sui similibus, vel Pythagoræ tribuere, quæ Pythagorici e Pythagoræ traditionibus hausta, ejus forte nomine literis ad posteritatem transmiserant, putavit. Quis enim vel hodie vel olim Epicteti nomine non citavit ἐγχειρίδιον ejus, quod tamen non ab ipso, sed ex ore eius ab Arriano scriptum fuisse, omnibus constat? Sed longe petita forte hæc videbuntur, propius igitur Allatius est urgendus. Annon igitur Heraclidæ autoritati Epigenem apud Clementem Alexandrinum licebit opponere? qui Κέρκωπος εἶναι τοῦ Πυθαγορείου λέγει τὸν ἱερὸν λόγον, quem inter alia scripta Pythagoræ Heraclides refert. Quod etiam Suidas repetit loco inferius adducendo; Annon opponere licebit quorundam τοῦ διδασκαλείου ἐλλογίμων καὶ ἀξιοπίστων, ap. Jamblichum, qui Telaugi istud scriptum tribuerunt? Exscribamus integrum Jamblichi locum ex libro ejus, de vita Pythagoræ, paulo licet prolixiorem, ut scilicet ei pessime, ut reliqua fere omnia illius libri, corrupto, medicam manum simul admoveamus: οὐκ ἔτι δὴ οὖν, inquit, ἀμφίβολον γέγονε, τὸ τὰς ἀφορμὰς παρὰ Ὀρφέως λαβόντα Πυθαγόραν συντάξαι τὸν περὶ θεῶν λόγον ὃν καὶ ἱερὸν διὰ τοῦτο ἐπεγράψαμεν, ὡς ἂν ἐκ τοῦ μυστικωτάτου ἀπευθισμένον περὶ (lege ἀπευθυσμένον παρὰ) Ὀρφέως τόπου (forte τύπου) εἴτε ὄντως τοῦ ἀνδρὸς, ὡς οἱ πλεῖστοι λέγουσι, σύγγραμμά ἐστι, εἴτε Τηλαύγους, ὡς ἔνιοι τοῦ διδασκαλείου ἐλλόγιμοι καὶ ἀξιό-

Strom. I, p. 333: (margin, beside "Clementem Alexandrinum licebit")

de vita Pythag. p. 34. (margin, beside "opponere licebit quorundam")

ἀξιόπιστοι διαβεβαιοῦνται, ἐκ τῶν ὑπομνημάτων τῶν Δαμοῖ τῇ θυγατρὶ ἀπολειφθέντων ὑπ᾽ αὐτοῦ Πυθαγόρου. Ἀδελφὴ δὲ (leg. Πυθαγόρου, ἀδελφῇ δὲ) Τηλαύγους ἅπερ μετὰ θάνατον ἱστοροῦσι δοθῆναι Βιτάλῃ τῇ Δαμοῦς θυγατρὶ, καὶ Τηλαύγει ἡλικίᾳ (lege ξυνηλικίᾳ) γενομένῳ, υἱῷ μὲν Πυθαγόρου ἀνδρὶ δὲ τῆς Βιτάλης. κομιδῆ γὰρ νέος, ὑπὸ τὸν Πυθαγόραν (leg. Πυθαγόρᾳ) θάνατον ἀπολελειμμένος ἦν περὶ Θέανοι τῇ μητρί. Quæ postrema verba, ut reliqua ejus in hujus loci interpretatione taceamus παρορώματα, hic quoque suam prodens, ne quid gravius dicam, incogitantiam, ita vertit Arcerius: *Admodum enim Adolescens sub Pythagora, mortem in spectaculo Cereris matris Deum effugerat*, legendum esse suspicatus περὶ θέαν τῆς Δήμητρος. At, quam male conveniens sit loco isti hæc emendatio, nemo non videbit, cui nostram examinare visum fuerit: ita nempe audacter legendum & distinguendum esse suademus: κομιδῆ γὰρ νέος ὑπὸ τὸν Πυθαγόρα θάνατον, ἀπολελειμμένος ἦν παρὰ Θεανοῖ τῇ μητρί. h. e. *Juvenis enim admodum, sub excessum Pythagora, apud matrem suam Theano relictus fuerat*. Sed ut ad ἱερὸν λόγον, de quo sermonem instituere cœpimus, redeamus, fuere alii, qui Arignotæ, quam filiam nonnulli, alii μαθήτριαν Pythagoræ faciunt, eum tribuerent, ut ex Suida discimus, ut adeo nulla constans de autore hujus operis extet traditio. Sane nullo autoris nomine a veteribus id allegatum fuisse, tum ex Jamblichi & Clementis Alexandrini, tum Procli quoque ad Euclidem loco, & aliis, mihi colligere posse videor; quem cum Pythagoricæ disciplinæ mysteriis, ipsius Pythagoræ nomine evulgatis, refertissimum posterioris ævi homines viderent, autorem, vel ipsum Pythagoram esse crediderunt, vel aliquem ex Pythagoricis, prout nimirum cujusque ingenium ferret. Mirum autem, doctiss. Menagium Diodori Siculi quoque suffragio ἱερὸν λόγον Pythagoræ vindicare: audiamus ipsum, ut eo certius de mente eius iudicium feramus. φασὶ δὲ, inquit, Πυθαγόραν τὰ κατὰ τὸν ἱερὸν λόγον, καὶ τὰ κατὰ γεωμετρίαν θεωρήματα, καὶ τὰ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, ἔτι δὲ τὴν εἰς πᾶν ζῶον ψυχῆς μεταβολὴν μαθεῖν παρ᾽ Αἰγυπτίων. Quid hæc, quæso, aliud sibi volunt, quam Pythagoram eam doctrinam, quam ἱερὸν λόγον vocabant Pythagorici (namque ἱερὸν λόγον eundem esse, quem τὸν περὶ θεῶν λόγον ex Jamblicho discimus,) vel quam, si mavis, aliquis eorum libro huius tituli complexus fuerat, (ipsum enim Pythagoram id fecisse, ne fidiculis quidem ex Diodoro extorqueas,) ab Ægyptiis didicisse, pariter ac Geometricas doctrinas, & illas, quæ ad numeros & animarum transmigrationem pertinent? Et num quæso pari jure ex illo loco colligi non posset, Geometrica theoremata, aliaque ad numeros spectantia eum scripsisse? quod tamen factum esse, nemo ex illo Diodori loco probare hactenus ausus fuit. Desinerem de ἱερῷ λόγῳ verba facere, nisi nova quędam causa exoriretur, quę dubiam apud me reddit traditionis, de Pythagora autore illius operis, fidem. Si recte enim inter se Laertium & Iamblichum contendo, geminum opus sub hoc nomine prostitisse, ut existimem fere adducor. Metro namque adstrictum fuisse ἱερὸν λόγον, quem Laertius allegat, ex initio eius, quod nobis ipse Laertius conservavit, abunde patescit;

Margin notes: ad Laert. p. 350. sub fin. L. I. — in Ἀριγνώτη. — ll. ca

ſcit; at alia fuit illius ratio, qui Jamblicho memoratur, ut ex fragmento inde allegato liquidum evadit. Liceat illud quoque hic adducere, ut ſimul obiter hunc etiam locum emendemus. Περὶ θεῶν Πυθαγόρας (ſic lego pro πυθαγόρα) τῶ Μνησάρχω τᾶ το ἐξέμαθον ὀργιασθεὶς (Arceriana editio habet ὀργιωθεὶς) ἐν Λιβήθροις τοῖς Θρακίοις, Αγλαοφάμω τελέτας (ſic pro τελέυτατα, quod editum eſt, legendum putarem) μεταδόντος, ὡς ἄρα Ὀρφεὺς ὁ Καλλιόπας κατὰ τὸ Πάγγαιον ὄρος ὑπὸ τῆς ματρὸς πινυθεὶς, ἔφα τὰν ἀριθμῶ ἐσίαν ἀίδιον εἶναι &c. reliqua adducere ſuperſedemus, nec emendationum rationem reddimus, tū quod eas ſatis probaturas ſeſe rerum intelligentibus exiſtimemus, maxime, ſi his ſimilia tradentem Proclum contulerint ad Platonis Timæum p. 291. & in Theol. Platon. L. I. c. V. tum quod id præcipue hoc loco non agatur. Satis interea eſt inde eviciſse, nihil metri habere ἱερὸν λόγον a Jamblicho allegatum, quem ab eo quoque alium eſse, qui Clementi Alexandr. & Suidæ locis, inferius prolixius allegandis, memoratur, inde patet, quod eius fragmentum, e Jamblicho modo adductum, ſatis oſtendat, Orphei nomen eum preferre non potuiſse. Uterque tamen ἱερὸς λόγος Pythagoræ tribuitur: quid magis itaque veroſimile, quam ambos a diverſis Pythagoræis conſignatos, poſteris vero ac ſi ab ipſo Pythagora profecti eſsent, impoſitum fuiſse? Indeque forte coniiciat aliquis, non plane ſibi contradicere ſupra allegatos ſcriptores, in prodendo ἱερῦ λόγυ parente. Cum enim diverſi fuerint huius nominis libri, uni tamen Pythagoræ omnes adſcripti, diverſos etiam eorum autores ſtatuere neceſsum fuit. Jam quod ad opus περὶ τῶ ὅλυ, ut Heraclides illud vocavit, idem id eſſe cum eo opere, quod φυσικὸν appellatum, ex Heraclito nobis obtrudit Laertius, videtur. Hoc autem ipſe Laertius non eius eſse, ſed Lyſidis Tarentini ait, ſi recte tamen eum accepit Suidas. Sed licet etiam alicui circa illum Laertii locum contra Suidam cavillari placeat, cui tamen ægre mens poterit affingi, quæ non id ſaltem nobis relinquat, circumlata nonnulla Pythagoræ nomine fuiſse, quæ Lyſidi debeantur; dubium tamen φυσικῶν parentem reddemus Clementis iterum Alexandrini autoritate, vel potius Epigenis apud eum, qui Brontino (maritus an pater Theanus ille fuerit, noſtrum nunc non eſt inquirere) iſta adſcripſit. Deſcribamus totum Clementis locum, eumque, ab interprete non ſatis perceptum, paucis illuſtremus: Ἴων δὲ ὁ Χῖος, ait, ἐν τριγράμμοις (τριαγμοῖς iam olim ante Menagiū e Laertio repoſuit ὁ πάνυ Reineſius, quam lectionem etiam confirmat Harpocration, unde ea reſtituenda quoque Suidæ videtur, apud quem loco mox citando τριασμοῖς hodie legimus, (καὶ Πυθαγόραν εἰς Ὀρφέα ἀνενεγκεῖν τινα ἱστορεῖ. Ἐπιγένης δὲ ἐν ταῖς περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως Κέρκωπος εἶναι λέγει, τῶ Πυθαγορείω, τὴν εἰς ᾅδε κατάβασιν, καὶ τὸν ἱερὸν λόγον, τὸν δὲ πέπλον, καὶ τὰ φυσικὰ Βροντίνυ. Senſus, niſi fallor, hic eſt: relatum quidem eſse ab Jone Chio, ſuppoſuiſse nonnulla Pythagoram Orpheo Poetæ, inter illa vero ἔνια ſive nonnulla, ut loquitur Laertius, ἱερὸν etiam λόγον, & φυσικὰ fuiſse, ut adeo illa Pythagoræ ſint, ſi Jonis ſtandum ſit teſtimonio. Verum eius autoritati Epigenem Clemens opponit, qui non

Margin notes: II, 7. — r. Suy. — l. c.

non Pythagoræ, sed Pythagoricis quibusdam autoribus ista adscripsit. Sensuros nobiscum circa hunc locum arbitramus eos, qui toto sermonis filo, apud Clementem, accurate pensitato, conferre cum eo Diogenem Laertium voluerint. Ne tamen ullus dubitationi locus relinquatur, Suidæ, nisi fallor, loco efficiemus; ait ille, de Orphei scriptis agens: ἔγραψε τριασμοὺς (lege τριαγμοὺς) λέγονται δὲ εἶναι Ἴωνος τοῦ τραγικοῦ, ἐν δὲ τούτοις τὰ Ἱεροσολυμὰ καλούμενα, κλίσεις κοσμικαινας (an κοσμικὰς, an κόσμου καινάς?) νεοτευτικά, ἱεροὺς λόγους ἐν ῥαψῳδίαις κδʹ, λέγονται δὲ εἶναι Θεογνήτου τοῦ Θεσσαλοῦ, οἱ δὲ Κέρκωπος τοῦ πυθαγορείου, χρησμοὺς οἱ ἀναφέρονται εἰς Ὀνομάκριτον, τελετὰς. ὁμοίως δέ φασι καὶ ταύτας Ὀνομακρίτου, & paucis interjectis, omnia enim exscribere prolixum, εἰς ᾅδου κατάβασιν. ταῦτα δὲ φασὶν εἶναι Ἡροδίκου τοῦ Περινθίου, πέπλον καὶ δίκτυον, καὶ ταῦτα Ζωπύρου, οἱ δὲ Βροντίνου. &c. Ceterum fateor, me nihil invenire de aliis scriptis, quæ Heraclides Pythagoræ tribuit, indeque contra ea singula perorare non posse. Puto tamen, jam iis, quæ allata fuerunt, commotam nonnihil ejus vacillare autoritatem, ad quam paulo magis concutiendam, addere nonnulla alia placet, quæ apud ipsum Laertium noxia ei deprehendimus. Primo ipse Laertius nonnisi tria συγγράμματα Pythagoræ tribuit, quæ nominatim etiam recenset. Postea vero senarium eorum numerum ex Heraclide sistit, & aliqua etiam alia postmodum addit; cui igitur fides hic erit habenda? Ipsemet inde fatetur πολλὰ καὶ ὑπὸ Ἄστωνος (forte Ἄιγωνος legendum vel Ἄιμωνος, quem inter Pythagoreos Crotoniatas apud Jamblichum inveniri, jam ante nos Menagius observavit) τοῦ Κροτωνιάτου, γραφέντα ἀνατεθῆναι Πυθαγόρᾳ, quin & Hippasum ei nonnulla supposuisse ait. Denique non fuit tam propinquus Pythagoræ temporibus Heraclides, & cujus epitomatorem egit, Sotion, ut omni exceptione majus ejus sit testimonium, unoque omnino impetu Plutarchi & aliorum virorum κριτικωτάτων autoritatem deprimat atque evertat. Sed, omissis istis, de his etiam Pythagoræ scriptis nunc dispiciamus, quæ aliunde in scenam producit ALLATIUS. De Aureis Carminibus ipse sibi non satisfacere videtur, quamobrem nec est, cur nos cum larva illa manus conseramus, quin potius illa nos doceant, quo sensu reliqua Pythagoræ scripta ex parte fuerint ab eo denominata. Ex Plinio vero volumen ali- H N. 24. 17.
quod Pythagoræ de Magicis herbis adducit: verum nescio, quo animo omiserit sequentia mox Plinii verba: *Nec me fallit*, inquientis, *hoc volumen ejus a quibusdam Cleemporo Medico tribui*: *Pythagora pertinax fama antiquitasve vindicant*. Sit itaque, si adeo placet pertinax fama antiquitasve Plinio, Pythagoræ, num vero Philosophi Pythagoræ statim sit oportet? Annon Medici esse potest, cujus non Homerica tan- V. L. IX c. vlt.
tum, sed opus etiam περὶ τῆς σκίλλης (ita enim pro κίλλης legendum esse jam olim monuit doctiss. Muretus) VIII 47.
Laertius memorat? Eum scilicet cum Philosopho alibi quoque Plinius confudit, sub hujus nomine allegans, quod illius est, ipsum illud περὶ σκίλλης opus. Quo errore & alios nonnullos libros Pythagoræ Samio, Philosopho, olim perperam adscri- Plin. 19 5.
ptos fuisse constat: sic enim ἀλεξιτικοὺς λόγους ad eum nonnulli referebant

de vit. Pythag. c. 5. qui tamen alterius Pythagoræ erant Ἐρατοκλέους, ut verbis Jamblichi utar, (aliter enim paulo de eo, nisi me fallit memoria, Laertius) υἱοῦ, ὃς μόνος Σαμίων συνετήρει Πυθαγόρᾳ, ἑαλὼς ὑπὸ τῶν μαθημάτων αὐτοῦ. Et sane nemo nostrum Samio Philosopho non tribueret τ' ἀπόῤῥητα τῆς φιλοσοφίας, si ea Pythagoræ, nomine apud veterum quenquam inveniret allegata, nisi ipse Laertius Zacynthii Pythagoræ illa esse monuisset. Nec mirum cuiquam videri debet, si hoc ipsum quoque inter causas referamus, quæ tot Philosophi Samii scripta nobis conflavere: quam multos enim ille habuerit ὁμωνύμους, tum suo, tum sequentibus etiam ævis, videas licet tum apud Diogenem Laertium, tum apud præclarum Græcarum litterarum instauratorem Ioannem Meursium, in doctis ad Aristoxenum observationibus. Ultimum denique Scriptorum Pythagoricorum ex Proclo nobis ALLATIUS obtrudit, *Proclus*, inquiens, *laudavit orationem ad Abarum, ut & alii annotarunt*. Audiamus ipsum Proclum, illius verba L. 3. in Timæum Platonis hæc sunt: καὶ πρὸς τούτοις ὅτι τὸν ὀφθαλμὸν ἀνάλογον εἶναι τῷ πυρὶ δείκνυσιν ὁ Πυθαγόρας, ἐν τῷ πρὸς Ἄβαρον λόγῳ. Abarum nos cum quo commercii aliquid fuit Pythagoræ, inter antiquos invenimus neminem, Ἄβαριν igitur legendum esse, nullum est dubium; Similis nempe prorsus librarii error est, qui apud Julium Firmicum in Lib. de errore prof. rel. observatus Scaligero est, scilicet & ibi pro *Abaride Abarus* invenitur. Abaridem vero istum, ex Hyperboreis in Græciam ventitantem, ad Pythagoram etiam abiisse, cumque eo per aliquod tempus fuisse versatum, satis constat. Actum ageremus, si loca veterum de Pythagoræ & Abaridis commercio post tot viros doctus hic cumularemus. Unum tamen quin addamus nos continere non possumus, tum quod eum ab omnibus, qui de Abaride egerunt, videamus prætermissum, tum quod de nomine & χρησμοῖς Abaridis nos aliquid doceat, quod apud alium veterum neminem occurrere meminimus, adeoque inter ἅπαξ λεγόμενα referendum ducimus: est ille Scholiastæ ad Aristophanis equites, ita dicentis: ὅτι δὴ καὶ βάριν (vocem βάριν rectius omitti loco citato, censet Scaliger) Ἄβαριν φασὶ τὸν ὑπερβόρειον ἐλθόντα θεωρὸν εἰς τὴν Ἑλλάδα Ἀπόλλωνι θητεῦσαι, καὶ τοῦτο συγγράψαι τοὺς χρησμοὺς τοὺς νῦν προσαγορευομένους Βάριδας (vel ut Scaliger mallet Ἀβάριδας.) Sed ad Allatium & Proclum redeundum est, qui λόγον ad hunc Ἄβαριν Pythagoræ nobis obtrudere conantur. Λόγου igitur hujus Pythagoræ neminem plane veterum præter Proclum meminisse, plane certum est, solius autem Procli fide atque autoritate eum tanquam genuinum Pythagoræ fœtum recipere, quam periculosum! Addo, quod nec ex Procli verbis, tale aliquod scriptum unquam extitisse, irrefragabile testimonium derivari queat. Quid enim, si intelligamus Proclum, de prolixa illa Pythagoræ cum Abari disputatione, quam duobus in locis fuse & luculente nobis descripsit Iamblichus & λόγοις ultro citroque in ea commutatis, de qua ex simili Jamblicho scriptore Proclo constare potuit? Et hæc quidem de Pythagoræ scriptis ALLATIUS, quibus mirum est, eum non accensuisse etiam, allegatos ab Æliano, & Athenæo de Mari Etythræo Pythagoræ libros,

p. 83. p. 141. — ad Euf. n. 1454. — p. 331. — L. I de vita Pythag. c. 19. & 32. — Hist. animal. XVII. c. 9.

Delphos. IV. 25. XIV. 3.

bros, ut & historiam belli inter Cyrum & Samios, quam Cedrenus illi tribuit. Sed vidit forte, nulla verisimilitudinis specie ea Philosopho Pythagoræ tribui posse, quamobrem nos quoque de iis ne verbum quidem addendum existimavimus. Dissimulare interea nolumus, quæ de

VIII. 42. vit. Pythag. p. 135.

ὑπομνήμασι Pythagoræ, Damo filiæ concreditis, ex quadam Lysidis epistola refertur, tum a Laertio tum a Iāblicho: non enim adeo multum obesse nobis ista existimamus, tum ideo quod Hieronymus nec a filio, nec a filia prolata ulla ejus monumenta

Apol. vult adv. Ruf. fin.

dicat, tum quod ὑπομνήματα proprio suo significatu indigesta scripta, memorię tantum iuvandæ causa, quęve edi proinde nollet Pythagoras, consignata, significent. Ut itaque concludamus tandem, satis probabile existimamus, multa quidem sub Pythagoræ nomine circumlata fuisse, quæ tamen a viris doctis tanquam ab alia manu obtrusa, reiecta fuerunt, nihil publici juris fecisse Pythagoram opinantibus; in qua sententia præter Plutarchum non tantum fuit Josephus & Lucianus, qui non peculiarem sibi, sed communem & pervulgatam eam esse affirmant: ὁμογολεῖσθαι, dicentes, οὐδὲν Πυθαγόρου σύγγραμμα, sed Patrum quoque doctissimi, Hieronymus & Claudianus Mamertus, ut alios nunc taceamus.

In l. 2. contra Apion. Lucian. de lapsa in salut. Hieron. in ep. contra Rufin. de anim. l. 3.

§. III. Sed demus etiam aliqua scripsisse Pythagoram, an non saltem ex recepta inter eruditos sui ævi opinione, inter Philosophos, qui nihil scriptis ad posteritatem transmiserunt, eum reponere licuit Plutarcho? & num propterea statim ALLATII procedet argumentum:

p. 23.

Pythagoras nihil scripsit, & tamen scripsisse probatum est, ergo & Socrates, qui inter eos, qui nihil scripserunt, annumeratur, scripsit aliquid, etsi dicatur nihil scripsisse? præsertim cum de Carneade & Arcesilao, quos inter οὐδὲν γράψαντας una cum Socrate retulit Plutarchus, contrarium satis infeliciter probaverit. Nam de utroque horum ipse Laertius idem cum Plutarcho testatur, licet illius autoritate hunc impugnare hic quoque ALLATIUS allaboret. quod enim Arcesilaus epigramma unum vel alterum, & epistolam ad Thaumasiam, Carneades autem ad Ariarathem epistolam scripserit; id ipse saltem Laertius, qui ea refert, sufficere haud existimavit, ut inter συγγραφέας locum propterea illis concederet. Sane enim, si autorem epistola constituit una vel altera, de rebus privatis scripta, quod quidem statuere videtur ALLATIUS, paucæ erunt muliercularum nostrarum, quibus honoris ille titulus non sit vindicandus.

§. IV. Ad Ciceronis, (cujus si standum est testimonio, *literam nullam Socrates reliquit*,) ut & ad reliquorum veterum loca a nostris partibus militantia, quæ respondet ALLATIUS, eo fere redeunt, ut ostendatur Ciceronem philosophica tantum scripta Socrati negare. *De aliis rebus*, inquit, *quæ parum illi curæ erant, sive clam inter domesticos, sive palam inter amicos agitarentur, quodnam censeri poterit impedimentum, ne literis mandaret?* Sed qui credat Socratem, qui in rebus seriis calamo abstinebat, ad frivola, & *illa quæ parum illi curæ erant*, eo abusum fuisse? Si vero ad epistolam unam vel alteram respicit ALLATIUS, quales scribere potuisse

de Orator. lib. 3. — p. 24.

Socratem non dubitamus, licet de iis, quas ALLATIUS edidit, non sentiamus cum ipso: plane ei non repugnabimus, sed illas sufficere haudquaquam dicemus, ad aucto ris nomen Socrati vindicandum, adeoque salva veterum testimonia, qui Socratem aliquid scripsisse negant, putabimus.

§. V. Ast subsistendum hic minime putavit ALLATIUS, sed alia quoque Socrati scripta vindicanda esse putavit. Imprimis vero urget Pæana in Appollinem atque Dianam, & fabulas quasdam Æsopicas, carmine divino monitu a Socrate redditas, quarum veteres fere omnes, qui ejus gesta paulo fusius enarravere, meminerunt. Sed, si verum fatendum est, parum abest, ut credam, prorsus fabulosam esse de Pæane & Æsopico carmine historiam, reliquisve Platonis de Socrate commentis accensendam, illo unice fine ab eo confictam ut impietatis suspicionem, quam longissime a Socrate suo removeret, quem suo quoque commercio Dii sub ipsum fere vitæ exitum dignati fuerint, & quos ille carminibus celebraverit. Id, quod valde probabile redditur, tum illo, quod Dionysodorus apud Laertium Pæana illi abjudicaverit, quodque ipse Laertius suo calculo Dionysodoro contradicere non audeat, sed κατά τινας Παιᾶνα eum ποιῆσαι dicat; tum eo etiam, quod apud Dionem Prusæensem hoc unicum argumentum pro Socratis in Deos pietate compareat, ἐτίμα γὰρ, inquit, καὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβὴς ἀνὴρ, καὶ παιᾶνα ἐποίησεν εἰς τὸν Απόλλω καὶ τὴν Αρτεμιν; tum illo denique, quod non aliunde saltem, ἄμυσον plane & ad poeticen ineptum Socratem fuisse, constet, sed ex ipso etiam Platone variis in locis. Ut taceam nunc mysticum quiddam in tota illa narratione de visione & Poesi Socratis morti propinqui, venari eos, qui Platonicæ philosophiæ peritiam sibi vindicant. Quicquid enim tandem sit de Pæane & Æsopico carmine, οὐδὲν συγγράψαι Socratem Plutarchus & Dio Chrysostomus cum Laertio statuunt, qui tamen neutrum istorum ignoraverunt, unde aliquis pro dubia habuisse illam de poesi Socratis narrationem, non minori jure forte colligeret, quam ALLATIUS inde elicit, eos scripta Socrati negantes, de philosophicis tantum scriptis esse accipiendos.

Orat. XLI. p. 507.

Plutarch. quom. aud. sint Poet. Porphyr. ap. Theodoret. Therap.

L. I. p. 8. Apolog. Phædon.

§. VI. Verum sint ista omnia, quomodo ea ALLATIUS esse cupit, nodum enim in scirpo quærere nolumus, nec apud lectores nostros hucusque dictorum majorem autoritatem esse cupimus, quam solet esse iis, quæ conjectura assequimur. Sane enim facile cum ALLATIO transigeremus, si teneret firmiter, quod ipsi semel exciderat, autorum loca, quæ Socratis scriptum aliquod fuisse negant, accipienda tantum esse inquienti, de dogmatibus & philosophiæ axiomatibus, quæ nunquam ille litteris mandaverit, ulterius vero cum rigore non extendenda. Id autem ferri non potest, quod audacius gressum in sequentibus promoveat, deturbatoque ex antiqua, longissimiq; temporis præscriptione firmata, possessione Platone, Socratem in ejus locum substituere audeat, quod quibus argumentis effectum dare conetur, nunc dispiciendi erit locus.

§. VII. Facimus autem in repetendis argumentis ejus quibus Socrati

crati

crati vindicare nititur ſcripta, quæ Platonis eſſe ab omnibus hodie creduntur, ab iis initium, quæ ex ipſo Platone deſumſit, ab eorum enim deſtructione reliquorum plerorumque pendere. ruinam deprehendimus. Inquit enim Plato in II. ad Dionyſium epiſtola: Μεγίστη δὲ φυλακὴ τὸ μὴ γράφειν, ἀλλ' ἐκμανθάνειν. οὐ γὰρ ἔστι τὰ γραφέντα μὴ οὐκ ἐκπεσεῖν. Διά ταῦτα οὐδὲν πώποτ' ἐγὼ περὶ τούτων γέγραφα, οὐδ' ἔστι σύγγραμμα Πλάτωνος οὐδὲν, οὐδ' ἔσται. τὰ δὲ νῦν λεγόμενα Σωκράτους ἐστὶ, καλοῦ καὶ νέου γεγονότος, cui accedat ſtatim alter ex epiſt. ejus VII. ad Dionyſ. amicos. οὔκουν ἐμόν γε περὶ αὐτῶν ἐστι σύγγραμμα, οὐδὲ μήποτε γένηται. ῥητὸν γὰρ οὐδαμῶς ἐστιν ὡς ἄλλα μαθήματα. ἀλλ' ἐκ πολλῆς συνουσίας γιγνομένης περὶ τὸ πρᾶγμα αὐτὸ, καὶ τοῦ συζῆν ἐξαίφνης οἷον ἀπὸ πυρὸς πηδήσαντος ἐξαφθὲν φῶς, ἐν τῇ ψυχῇ γενόμενον αὐτὸ ἑαυτὸ ἤδη τρέφει. Argumento ex hiſce duobus locis petito, ut me expediam, dicere poſſem, ea ad ſublimiora tantum & μυστικώτερα, adeoque a populi auribus amovenda, de quibus manifeſte in utroque ſermo eſt, reſtringenda eſſe; in quo genere a ſe ipſo aliquid γεγράφθαι, hoc eſt, prolatum fuiſſe de ſuo, Plato neget, ſed Socrati deberi dicat, ſi quæ ejuſmodi in editis a ſe hactenus occurrant. Quam conjecturam haud improbabilem reddunt ea, quæ poſteriori loco immediate ſubiunguntur verba: Καί τοι τοσόνδε γε οἶδα ὅτι γραφέντα ἢ λεχθέντα ὑπ' ἐμοῦ, βέλτιστ' ἂν λεχθείη, quibus manifeſte de ſcriptis quibuſdam ſibi ipſi plaudere eum deprehendo. Sed largiemur, verbis iſtis ſibi ipſi omnia ſcripta ſua abiudicaſſe Platonem, & Socrati ea tribuiſſe; aſt ſi, quam vere, quo ſenſu item, & quibus ex cauſis id factum ſit, conſideraverimus, nihil inde ad ALLATIUM redire commodi inveniemus. Primum quod attinet, mentitum hac in re fuiſſe Platonem ALLATIO oſtendam, autoritate, quæ magna eſſe debet ipſi, qui genuinam eſſe defendit Xenophontis epiſtolam, ex qua illam ſum producturus, ſic enim ille, ad Platonis in epiſtola ad Dionyſium locum reſpiciens, inquit, ἤδη δέ μοι καὶ Πλάτωνος περιέπεσε σύγγραμμα τοιοῦτον, ὅπου τοὔνομα ἦν Σωκράτους, καὶ διάλεξίς τις οὐ φαύλη πρός τινας --- ἡμεῖς μέντοι φαμὲν ὅτι τοιαῦτα οὐκ ἠκούσαμεν, ἀλλ' ὅτι τοιαῦτα οὐ δυνάμεθα ἀπομνημονεύειν, οὐδὲ γάρ ἐσμεν ποιηταὶ, ὥσπερ καὶ αὐτὸς, κἂν πάνυ ἀπαρνῆσαι ποιητικὴν, θρυπτόμενος γὰρ πρὸς τοὺς καλοὺς φησὶν μηδὲν εἶναι ποίημα αὐτοῦ, Σωκράτους μέντοι νέου καὶ καλοῦ ὄντος. Cauſa vero, qua Plato Socrati tribuere ſua inductus fuit, tum ea mihi videtur, quod majorem autoritatem inde ſcriptorum ſuorum fore exiſtimaret: tum quod tragicæ memor præceptoris cataſtrophes parationem ſe habere excuſationem ita putaret, ſi forte ipſi de ſcriptis ſuis cauſa eſſet dicenda. Nec plane mentitus mihi Plato hac ex parte videtur, licet falſa veris miſcuerit, poterat enim Socrati tribuere ſcripta, in quibus Socratica non tantum philoſophia exponebatur, ſed ejus etiam in docendo & diſputando methodus comparebat. Unde etiã ſimul patet, quid tum ad locum ex epiſtola 13. Platonis, (quamvis & ſpuria illa ſit) tum ad Ariſtotelis, Lucilii, Horatii & Ovidii teſtimonia reſpondendum ſit, qui Σωκρατικοὺς λόγους, *Socraticas chartas*, & *Socraticum opus* Platonis Dialogos appellaverunt. Sane Σωκρατεῖοι λόγοι in ep. Platonis XIII. dicitur Phędonis nomine inſcriptus

Dialogus, quem tamen Socratem habere non posse autorem oppido clarum reddere mox tentabimus.

§. VIII. Eodem negotio etiam ad Athenæi, Aristidis & Iuliani loca p. 90. nos respondisse censemus, cum enim illi expressissima Platonis ex Epistola ad Dionysium verba allegent, nihil de iis ulterius dicere attinet. Id vero agendum nobis nunc esse sentimus, ut non posse Socratem autorem Platonicorum Dialogorum esse, invictis argumentis evincamus, ne scilicet pro meris coniecturis allata a nobis hactenus habeantur. Fiet autem id, si ipsorum Dialogorum Platonicorum nonnullos, eosq; maxime illustres, examinaverimus, eaque ex illis produxerimus, quæ e Socratis officina eos prodire non potuisse arguant. Phædonem itaque Socrati autoritate epistolæ XIII Platonis vindicare nititur: ast vero quis a Socrate esse credat Dialogum, in quo tot elogia Socratis extant, ut ἀνδρῶν ἁπάντων μωρότατον eum fuisse necesse sit, si ipse eorum esset autor? A qua stultitia quis magis, quam Socrates, fuit alienus? Sed mittamus ista, hoc autem, ut concoquamus, ægre a nobis impetrabitur, quod ipse Socrates quomodo animam efflaverit, quidve post eius excessum cum exuviis suis actum fuerit, tam accurate exponere nequeat. Iam quid de Timæo dicemus? Non id urgebimus quidem, rerum naturalium studio nunquam deditum admodum Socratem fuisse: Laert. VIII. 85. Gellius III. 17. Tzetz. X. 355. L. V. p. 37. at de Timæi natalibus luculente satis ex Laertio, Gellio & Tzetza nobis constat, eos nimirum Philolai libris, post Socratis demum fata a Platone in Sicilia coemtis, deberi. Iam de convivio tum argumentis internis quamplurimis, tum Athenæi testimonio edocemus Πλάτωνος λῆρον, hoc est, rem a Platone fictam, ut recte exposuit doctissimus Casaubonus, illud esse. De Lyside vero ipsius Socratis apud Laertium testimonium habemus, nec difficile esset de reliquis similia proferre in medium, nisi in re manifesta nimium prolixo, verendum esset, ne forte occinat aliquis ista Tragici:

Τί ταῦτα πολλῶν ῥημάτων ἔτ' ἐστί σοι
Τὰ γὰρ περισσὰ πάντα χεῖ λυπηρὰ ἔπη.

§. IX. Quæ in sequentibus de eruditione & eloquentia Socratis disputat ALLATIUS, nos quidem non feriunt, qui eam illi non invidemus, nec a stupiditate eius ullum argumentum duximus, quo scripta illi monimenta abiudicaremus. Sicco igitur pede prætervehere ea omnia nobis licet. Superforanea etiam esset fastidiosa in examinando Epicteti de scriptis Socratis quamplurimis testimonio diligentia, in quo pro ἔγραφε, διέλεγε aut συνεζήτησε vel aliquid simile potius legendum, quam quod H. Wolffio in mentem venit, pro Socrate aliud nomen substituendum esse statuimus; produnt enim sequentia manifeste, de Socratis circuitionibus & διαλέξεσι, quibus omnis generis homines exercere solebat, non vero de scriptis eius sermonem Epicteto esse. Ut augeatur tamen scriptorum Socraticorum numerus, idque, quod ALLATIUS vult, dixisse Epictetus videatur, Euripidis quoque tragœdias producit, cui συμποιῆσαι Socratem, Laertius Mnesilochi & Calliæ autoritate prodit. Verum Mnesilochi testimonium, id quod ALLATIUS vult, necessario non evincit, nec Aristophanis atque Calliæ. Adducemus Arrian. Diss. Epict. II. 1.

prioris verba, illis enim explicatis reliquis etiam respondere difficile haud erit, inquit autem.

Φρύγες ἐςὶ κεινὸν δρᾶμα τῦτ' Εὐριπίδυ ᾧ κ͂ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.

Sed quæso, an φρύγανα suppeditanti scripto alicui, totum proinde erit tribuendum? φρύγανα certe Lucretiano operi suppeditasse dici potest Epicurus, vel si mavis præceptor Lucretii in Epicurea philosophia, num vero ille propterea autor elegantissimi carminis huius constituendus? *pari ratione Euripides, qui iuxta nonnullos in schola Socratis fere consenuerat*, saltem familiaritate eius multum profecerat, & limpidos Philosophiæ Moralis fontes in ea hauserat, sententiarum Socraticarum pondere tragœdiis suis maiestatem conciliabat. Ipse hanc mentem verborum istorum esse ex parte vidit ALLATIUS, qui tamen nihilominus ista ad causam suam non p. 105. in 1. plane nihil facere existimavit. Verum in eo infelix plane est, quod Hermippi, apud Laertium autoritate, epitaphium Grylli a Socrate Arcad. p. 214. scriptum nobis obtrudat. Cecidisse Bœot. p. 291. enim Gryllum, Xenophontis filium in prælio ad Mantineam, ipse loco cit. Laertius testatur, postquam scilicet, ut Athenienses, Pausania teste, tradebant, Epaminondam in acie interfecisset. Istud autem prælium cum anno demum secundo L. XV. c. X. Olympiadis CIV commissum esse ex 41. sp. Vita Epam. Diodoro Siculo & Æmilio Probo recte concludatur; Quomodo quæso Επιτάφιον λόγον Gryllo, qui in eo cecidit, scribere Socrates potu- Laert. II. 44. it, cuius vitæ terminum ipse ALLATIUS ultra Olympiadem XCVII produxisse non deprehenditur? Aut erraverit igitur Hermippus oportet, aut Socratis pro alterius cuiusdam nomine, in textum Laertii irrepsisse dicendum est. Atque omnino ego pro Σωκράτης rescriberem Ναυκράτης. Quod ut faciam, me inducit Dionysius Halicarnasseus, qui in arte cap. VI. quod inscribitur μέθοδος ἐπιταφίων inquit: Λυσίας δὲ κ͂ Ὑπερίδης κ͂ ὁ τῦ Σωκράτυς (leg. Ἰσοκράτυς) ἑταῖρος Ναυκράτης πολλὰς ἡμῖν τοιαύτας ἰδέας παρέχοντο. Forte tamen aliquis Aristotelem mihi obiiciet, Rhet. L. I. c. 9. & L. III. c. 14. hęc habet ὃ γὰρ λέγει Σωκράτης ἐν τῷ ἐπιταφίῳ, ἀληθὲς, ὅτι ὐ χαλεπὸν Ἀθηναίυς ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν ἀλλὰ ἐν Λακεδαιμονίοις. Verum utrobique restituendum Ισοκράτης. Intelligit sc. Isocratem iuniorem, Amyclæ filium, maioris discipulum & successorem, qui Artemisiæ hortatu orationem ἐπιτάφιον scripsit Mausolo, eius marito, vide Suid. in Ἰσοκρ, Meurs. Lect. Att. V. 14. Æschinis denique Dialogos Socrati ab eo fuisse surreptos, & turpi plagio suo nomine editos (venditos scilicet illi a Xanthippe) sunt, qui tradant autores. Verum ne ipse quidem ALLATIUS Orat. II. Plat. multum tribuere videtur traditioni isti, quod Aristidis autoritatem ei obniti videat. Vtque minus adhuc tribuamus, nos, facit origo illius fabulæ, quam ex ipsis, qui eius meminerunt autoribus facili negotio colligimus. Nullum scilicet aliud argumentum huius suspicionis iis, qui aluerunt eam, fuit, præter τὴν ἀρετὴν τῶν διαλέγων, dignā Socrate visam, ut Phrynichus apud Photium Cod. 158. loquitur. Quasi vero Æschines qui omnium maxime assiduus Socratis auditor, teste Laertio & Athenęo fuit, diligentia sua ut paria quodammo-

do magistro faceret, consequi non potuerit. Nihilominus tamen hinc
II, 62. primum Aristippus suspicatus est, (sed suspicatus est tantum, ut loquitur Laertius) Socratis eos esse, cuius suspicionem secutus litteris quoque eam mandavit Menedemus
II, 60. Deipnos. XIII. extr. Eretriensis, quem διαβολῆς propterea Laertius, cumque eo Hesychius Illustris accusat, & Idomeneus apud Athenæum. Cuius tamen rei incertitudo ex eo quoque ulterius patet, quod non desit autor, qui ex ipsis illis septem Dialogis, τὸ Σωκρατικὸν
Laert. II, 61 ἦθος ἀπομεμαγμένοις, Pasiphonti Eretrico nonnullos tribuat.

§. X. Sed jam cum ALLATIO ad alterum eorum, quæ probanda sibi in hoc Dialogo sumserat, est accedendum, dispiciendumque, Socratisne sint, an minus, quas ille primus protulit, cum nonnullis aliis Socraticorum, epistolæ? Magnum contra eas argumentum suppeditare videtur veterum ad unum omnium de iis silentium. Nec ullum pro
Apol. Socr. T. I, Opp. p. 682. eis ex tota antiquitate testimonium ipse ALLATIUS producere audet, præterquam unici Libanii, cujus tamen locus mutilus est, proindeque, ipso fatente, plane incertus, & pro cujusque ingenio varie supplendus. An vero nec Plato, nec Plutarchus, nec Maximus Tyrius, nec quisquam alius epistolarum harum meminisset, si ulla vel levis de illis ipsorum tempore extitisset fama? an denique Diogenes Laertius eas prætermisisset, in spuriis quoque Philosophorum conquirendis epistolis diligentissimus? Verum ut, quod res est, dicam, videntur mihi omnino Epistolæ illæ ex earum genere esse, quæ aliquid cum μελέταις Sophistarum habentes cognationis, exercitii gratia ab iis exaratæ, discipulis eorum exemplorum loco proponebantur. Sic Theophylactum Græcas quasdam epistolas commentum esse novimus. Tales sunt omnes Phalaridis epistolæ, tales Cleobuli, Pisistrati, Solonis, & aliæ quædam apud Laertium, ut prolixe ostendere possem, si ista hoc loco agerentur.

§. XI. Ad Socratis quidem epistolas quod attinet, eas suspectas omnino nobis reddit ipse stylus, qui ita Sophistico est similis, ut vix persuaderi nobis patiamur, Socratem, qui adeo affectatæ Sophistarum elegantiæ semper obnitebatur, earum fuisse autorem. Describamus, si placet, Merici Casauboni verbis Sophisticum illud dicendi genus, & exemplo uno vel altero regnare id in suppositis Socrati epistolis ostendamus: *Erat*, inquit ille, *Sophisticus stylus* de lingu.
præ nimia elegantia affectatione ut plurimum putidior. Præter structuram Saxon. p. 210.
orationis affectatam, vocibus etiam non vulgatis & desitis, sed Platonicis tamen maxime utebantur. Jam ipse vidit ALLATIUS a talibus septem, quas Socrati tribuit epistolas non esse immunes, ideoque ipse sibi ex multis obiicit prosopopoeiam illam patris defuncti, filios relictos hereditati inhiantes alloquentis. Verum, ne indignam rhetoricationem istam Socratis gravitate fateri cogatur, simile quid in septima Platonis epistola invenire se putat, ubi Dionis nomine proponuntur nonnulla. Ast diversa plane utriusque loci mihi videtur ratio, sane Dionis nomine nihil aliud profert Plato, quam argumenta & exprobrationes, quæ merito sibi ab eo fieri potuissent, nisi voluntati ejus satisfactum,

ctum, & in Siciliam iter fuiſſet ſuſceptum, quæ quidem ſine omni affectatione ſimpliciſſime proponit. Non vivum autem aliquem, cui cum viventibus eſſet aliquid commercii, ſed patrem mortuum Socraticæ illius epiſtolæ autor inducit, cum filiis ſuis agentem, oratione, non argumentis, ſed dictione fucata & καινόσπουδον illud τῆς λέξεως, a Longino notatum undiquaque ſpirante, gravida. Sic enim eum loquentem inducit: οὐδὲ τελευτῶντος ἀφέξεσθαί μου διανοεῖσθε, ἀλλὰ καὶ τεθνεῶτα τροφὰς οἱ ζῶντες αἰτήσετε; καὶ οὐκ αἰσχυνεῖσθε θανάτου ζωὴν ἀπρακτοτέραν βιοῦντες. ἀλλὰ τὰ μὲν ἐμὰ περιττεύειν καὶ μετὰ θάνατον ἀξιοῦτε ἑτέροις; τὰ δ' ὑμέτερα ὑμῖν οὐδ' εἰς τὸ ζῆν ἐξαρκέσει; Quis hæc in epiſtola Philoſophi imprimis ferret, & ad Sophiſtæ declamatoris non potius reiiceret cathedram? Jam neſcio, an ad voces non vulgatas referendum non ſit iſtud παλιμπράτης τῆς σοφίας, quod in epiſtola ſtatim prima dicitur. Quam frigida porro ſunt, quæ in eadem epiſtola de debito Diis obſequio & Dæmone ſuo Socrates proferre fingitur! Sed de ſtylo optime judicabunt ii, quibus accuratius epiſtolas illas pervolvere otium fuerit, ut cujus forma & habitus clarius legentium animis ſe ſiſtit, quam a nobis repræſentabitur. Aſt hiſtorica etiam fides epiſtolarum iſtarum non ſatis tuta ſemper eſſe videtur, unicum juvat adducere hujus rei exemplum. Dicit in prima ſtatim epiſtola Pſeudo-Socrates οὔτε ἐν στρατηγίαις οὔτε ἐπὶ τοῦ βήματος ἐξετάζομαι. Jam largiamur poſterius, an vero militaribus etiam officiis nunquam (L.V.P.225.) vacaſſe Socratem dicemus? Equidem ita ſtatuere novi Atenæum, qui & Platonis, & Antiſthenis, & Xenophontis de militia Socratis teſtimonia mendacii arguere, multis argumentis nititur. Verum non argumentis tantum ejus abunde ſatisfecit vir magnus Iſaacus Caſaubonus, ſed Laertii quoque inſuper, Plutarchi & Senecæ autoritatibus illorum (ad Athen. l. c.) narrationem confirmavit, quæ quidem prolixius exſcribere nobis animus non eſt, qui compilationis labore nimis non delectati, contenti ſumus, allegatis a Caſaubono teſtimonis Strabonis, Luciani, & Simplicii quoque addidiſſe autoritates. (Paraph. ad c.31.Epict.) Ceterum plura forte hujuſmodi in epiſtolis illis piſcari liceret, quæ fidem illarum dubiam reddant. Sed ohe iam ſatis eſt, nobiſve poſt ludicrum hoc certamen ad magis ſeria redeundum!

XENOPHON.

CAP. I.

Xenophontis Patria, Parentes, & in Socratem ſtudium.

XEnophon, Athenis ortus, Grylli filius extitit, pago Erchieus: (Laert. II. 48.) tempus, quo natus ſit, nuſpiam accurate commemoratum invenio. Mortuum eſſe Olympiadis CV. anno I, Steſiclidi proditum; XC. annos (Laert II, 56. Lucian. de Longaev. Animad V. 11.) natum obiiſſe ait Lucianus, unde natum fuiſſe colligitur circa LXXXII. Olympiadis annum I. Quod ſi Caſaubono fuiſſet obſervatum, Athenæi locum fruſtra haut erat ſollicitaturus, eo ſolo ductus præſuppoſito, quod decem annis major non fuerit Xenophon anno IV. Olympiadis XXCIX, quod tempus eſt, in quod incidit Sympoſium eius: Sane enim eo tempore annis XXXVI. minor

eſſe

esse haut potuit. Floruisse eum anno IV Olympiadis XCIV Laertio traditum; (Suidas tamen XCIIX Olympiadem apud Laertium invenit:) vel Olympiade XXCIX, ad quam una cum reliquis Socraticis ab aliis fuit relatus, quorum cœtui ista aggregatus occasione fuit?

II, 59.

Cum Socratem in angiportu quodam obvium habuisset, porrecto baculo transire prohibuit, eumque interrogavit, ubi venirent, quæ humanis usibus sunt necessaria; Is ergo serium dedit responsum, & vicissim interrogavit, ubinam boni ac probi homines fierent, quo audito, cum hæreret Xenophon, dixit Socrates: sequere ergo & disce, atque ex eo tempore Socratis discipulus factus est.

Laert. II. 48

Bello, quod Atheniensibus cum Lacedæmoniis intercessit, Peloponnesiacum vulgo appellant, suo ingenio promptum, cum Socratis fortean insuper accendisset exemplum Deliacæ pugnæ ipse quoque pars extitit; contigit autem ea Olympiadis XXCIX anno I, fuereque ea Atheniensibus superiores Bœoti. Qua clade accepta Xenophontem fuga sibi consulentem, equo amisso, & humi projectum, Socrates, qui equum & ipse amiserat, pedibusque pugnabat, suscepit in humeros, iisque per aliquot stadia deportavit, donec insequendi finem faceret hostis. Atque hoc tyrocinium ejus fuit, quod insecuta deinceps fuit longa militia, ista ab eo occasione suscepta.

Strabo L. IX p. 402. B. Laert. II, 23.

CAP. II.

Quæ occasio fuerit ipsi Cyrum in Asiam sequendi.

Xenoph. Exped. Cyri L. I. init.

Dario, patri suo, in Persarum regno Artaxerxes successerat: in carcerem vero ab eo conjectus, Cyrus, frater Artaxerxis natu minor, qui ægrotante patre ex Lydia, cui præerat, fuerat adscitus: quæ prima extitit ἀνάβασις, in marmore Arundelliano relata ad Olymp. XCIII. annum secundum, quæ tamen cum posteriore, quæ sexto inde contigit anno, a viro docto confunditur. Carcere ut includeretur Tissaphernis fecere accusationes, mox tamen Parysatidis, matris suę, opera est liberatus. In provinciam redux nihil eorum intermisit, quæ opibus suis clam confirmandis inservire valerent. Præfecerat autem Artaxerxes Joniis civitatibus Tissaphernem, quæ ab eo omnes desciscebant, Mileto excepta. Eo itaque vires sese colligere ajebat, ut præsidia haberet, quæ urbibus imponeret, opponeretque Tissapherni. Sed & in Chersoneso Clearchus militem in ejus gratiam conscribebat, belli cum Thracibus prætextu. Prętererea in Thessalia, milites alebat clanculum, quibus Aristippum dederat ducem. Et ex Bęotia Proxenus copias adducebat, quibus contra Pisidas opus sibi esse simularet. Is Leontini Gorgiæ discipulus, & hospes Xenophontis cum extitisset, mittebat, qui eum ad amplectendas Cyri partes invitarent, certiorem factum, fore, ut in majore per eum quam in patria esset honore. Litteras ejus cum Socrate Xenophon communicabat, qui, veritus, ne Cyri partes secutus in Atheniensium offensam incurreret, quod Lacedæmoniis Cyrus adversus eos auxilium tulisset, ut oraculum consuleret, autor fuit. Delphos igitur Xenophon profectus, Apollinem rogavit, quemnam Deorum votis

Marsham. ad Græc. Epoc. Can. Chron. p. 113.

Xenoph. L. III. p. 294. sq. Laert. II. 49.

Xenoph. L. II. p. 294.

&

& sacrificiis sibi conciliandum putet, ut succedat, quod animo propositum habebat iter. Cui ille spondit, placandos Deos esse sacrificiis, quibus illa debeantur. Athenas igitur reversus, hoc Dei effatum ad Socratem retulit, a quo, quod Deum non interrogasset, utrum eundum sit potius, an manendum, reprehensus fuit, sed, tanquam certus animi esse eundum, quomodo optime iter sit instituendum, ex eo quæsiverit. Sed quoniam tamen, inquiebat, ita quæstionem proposuisti, Deorum obsequendum est voluntati. Sacrificio itaque, ut Socrates præiverat, peracto, navem conscendit, Sardesque delatus, Proxenum juxta cum Cyro ad expeditionem in Asiam paratos invenit. Cyro statim a Proxeno commendatus, ab utroque ut maneret exoratus fuit, mansit tamen in voluntariorum censu, nullo suscepto in militibus magistratu. Qua quidem conditione nihil, quod militem deceret, intermisit, in charissimis ob id ipsum Cyro habitus.

Xen. L. III. p. 294.

Cyrus, collectis omnibus copiis suis, castra movit, & cum fratre Artaxerxe adversa acie concurrit. Factum id anno Olympiadis XCIV, Archonte Xenæneto, prope Cunaxa, quingentorum stadiorum a Babylone intervallo, ad Euphratem fluvium. Dum vero utrumque exercitum Cyrus oculis lustraret, Xenophonti, equo advecto, dicebat, auspicata sacrificia esse. Vicissim Xenophon militarem Græcorum tesseram ipsi reddebat, quæ fuit *Jupiter servator*. Et Græci quidem Tissapherne erant superiores, Cyrus vero in Regem impetu facto, sua temeritate cecidit. Græci victores se esse existimantes, & vivere Cyrum, in castra sua redierunt, at ea ab hoste invenerunt direpta. Cumque insequente die Phalinum ad eos Artaxerxes misisset, ut arma redderent, respondit Xenophon, nihil præter arma ac virtutem sibi sese reliquisse: virtuti locum esse, arma quamdiu retineant: his traditis, ne suos quidem se fore. Stolidum vero ajebat esse, quod reliquum ipsis unum esset, eo cedere, maxime cum fieri possit, ut eo id quoque, quod hostes possideant, sibi obnoxium possint facere. Ad quæ subridens Phalinus, Philosophum, inquiebat, tua, juvenis, olet oratio: sed certo tibi persuadeas velim, virtutem tuam Regiis opibus parem haut esse futuram. Tum Clearchus pro universo respondit exercitu: Si amicos nos habuerit Rex, armatos habere præstiterit, si inimicos, id nobis magis profuerit. Tissaphernes autem inducias cum Clearcho pactus, malis artibus eum iuxta cum aliis ducibus quatuor in potestatem redegit. Erant illi Proxenus, Menon, cum quo grave Xenophonti dissidium intercedebat, Agias & Socrates; Cohortium præterea ductores XX, & gregarii milites CC, quos ille Regi tradidit, qui capitis supplicio eos adiudicavit. A Græcis igitur arma poscebant Persæ, Clearchum necatum dicentes, quod proditionis reum Menon & Proxenus peregissent, qui amplissimis præmiis sint condecorati. Quibus Xenophon respondit, optimum igitur fore, ut Menonem & Proxenum Græcis redderent qui utrique parti amicissimi, rectissime consulere ipsis valeant. Cui quod responderent non habentes Persæ, discesserunt.

Xenoph. L. I. de exp. Cyri. Laert. II, 55.

Xen. L. II. p. 273.

CAP.

CAP. III.

Ut Græcorum exercitum reduxerit.

Xen. L. III. p. 295. GRæci, ad istas redacti angustias, de patria recuperanda penitus desperabant. Xenophon igitur, convocatis, qui sub Proxeno militaverant, ordinum ductoribus, non esse, aiebat, ullum ipsis in Regis clementia relictum præsidium, quam ne in defuncti quidem fratris exuvias exercere potuerit: cuius caput & manum furcæ affixerit: ut solis armis viam ad salutem sibi debeant aperire. Equidem contra allegabat Apollonides, Bœotus, salutis nullam spem nisi in Regis clementia superesse, atque pericula, quæ undiquaque Græcis minarentur, longo ordine recensebat. Verum respondit Xenophon: Regem, ubi post mortem Cyri arma Græcos adversum sese movere animadvertisset, nihil non fecisse, quo eis, ut ponerent arma, suaderet, duces vero, qui armis positis ad eum venissent, indignissimis modis statim excepisse. Mereri autem Appollonidem ut cingulum ei adimatur, ut qui dedecore patriam afficiat. Subiecit Agasias, quæ tamen
L. II. 50. Xenophonti Laertius verba adscribit, hominem illum esse parum consideratum, cuius aures perinde ac Lydorum mancipiorum sint perforatæ. Atque ita eum res suas sibi habere iusserunt. Ducibus autem convocatis omnibus, ut novos in cæsorum locum deligerent Xenophon autor extitit, a quibus proinde ipse in Proxeni locum fuit surrogatus. Quo facto, veste se induit, quam habebat, splendidissima, ut quæ, si ve mortem, sive victoriam, optime addeceret. Multum enim or-
Ælian. V. H. III. 27. natu & nitore gaudebat armorum, taliaque se, si vinceret, aiebat, mereri, si victus occumbat, dignitatem ea prodere cæsi, neque posse fortem virum melioribus ornamentis componi. Clypeo utebatur Argivo, Attica thorace, galea Bœotia, equo Epidaurio. Unde Ælianus, quam forma & moribus fuerit elegans colligit, qui adeo quę ornatui conducerent, studiose fuerit sectatus, dignissimum talibus armis eum existimas. Ita ornatus milites allocutus est, fidem hosti non habendam exemplo Ducum, quos paulo ante habuerant, docens, utque reditum haberent magis expeditum, castra & sarcinas cremari suadens. Milites imperata fecerunt. Cherisophus primam aciem ducebat, postremum agmen coercebat Xenophon, tum ob virtutem, tum sapientiam ei rei delectus, quarum utraque, ut Chio ait, excellebat. Hos vero inter arcta adeo coaluit amicitia, ut nunquam toto illo quo exercitum reducebant, tempore, dissensione eorum distracti fuerint animi. Recto autem itinere ad maiorum fluminum contendebat fontes, qui istis regionibus volvebantur, ut facilior esset, ubi vadis patebant, traiectus. Zathe igitur fluvio transmisso, Mithridates in eos irruit, missilibusque extremum agmen afflixit: cui cum Græci paria reddere non possent, fundas CC comparavit Xenophon, cumque equos invenisset idoneos, sarcinis vehendis antea adhibitos, eis sessores dedit. Qua ratione secundum Mithridatis conatum frustratus, Larissam cum Græcis suis petiit, inde Tigridem, atque hinc porro Mispila. Inde moventes cum magnis copiis Tissaphernes adortus fuit, iterata vice repulsus. Quo facto ille tutissimum exi-

Chion Ep. III. ad Metuid.

exi-

existimavit, tumulum occupare, secundum quem Græcis iter necessario esset continuandum. At Xenophon alia via cum cohortibus quibusdam in tumuli verticem evasit, non sine summa itineris difficultate, magnisque molestiis. Cumque adeo militum nonnemo, cui Soleridæ nomen, murmuraret, quod equo incederet Xenophon, dum sibi pedestre iter sit faciendum, clypei mole oppresso; ad obfirmandos militum animos equo desiliit, clypeoque adempto, ordinibus eum exturbavit, ipse vero ejus loco, armis equitis præpeditus licet, itinere perrexit. Milites igitur tamdiu Soleridam verberibus convitiisque incessere, donec, ut clypeum locumque reciperet, adegissent. In tumuli summa ubi penetrassent, præventi hostes diffugere, vicis omnibus igne immisso. Græci vero Tigride fluvio exclusi, montes traiecere, ad Carduchos tendentes, gentem Persis inimicam, robustam, & bellis assuetam. Ab iis vero ita assiduis pugnis exercebantur, ut septidui itinere maiora ab eis, quam a Persis, toto præcedente tempore, detrimenta acceperint. Centrita fluvio, qui est extremus Carduchorum patriæ limes, transmisso, Armeniam intravere. Ubi equestres copias, Regio mandato collectas, postquam dissipassent, nullo alio obstaculo ad Tigridis fontes pervenere: quo superato ad Teleboam fluvium, in occidentali Armeniæ parte, itinere contenderunt. Heic nivibus opressi & frigore, multos suorum amisere, donec ad Phasidem fluvium penetrarent, cujus accolæ Phasiani dicuntur, Tacchi & Chalybes. Tacchi, in quorum regionem primum pervenere, commeatu in loca munita deportato, maximas in Græcorum exercitu commeatus angustias causabantur, donec magno labore horum locorum unum expugnarent, qui tantam pecudum vim suppeditabat, ut toto itinere sufficeret, per Chalybas continuato, gentem asperam, cui nihil nisi cædes & vulnera posset extorqueri. Hinc ad Harpasum fluvium iter flectebant, & inde ad Scythinos, ubi Gymniadis provinciæ princeps itineris ducem Græcis misit, qui eis per agrum sibi hostilem viam monstraret, cui ut ignem immitterent discedentes, petebat. Ab hoc usque ad Montem *Thecbes* deducti, ex quo mare prospexere, summo militum gaudio, per Macronum agros pacate transeuntes, ad Colchidis montes pervenere, Colchisque, qui iter prohibebant, prælio fusis, Trapezuntium pervenere, quæ urbs erat in littore Ponti Euxini, quo Græci coloniam duxerant. Hic sacra & ludos peregerunt, atque Cherisophum ad Anaxibium miserunt, qui Lacedæmoniorum præerat classi, & cum quo amicitia ei intercedebat, ut naves compararet, quibus in patriam possent redire. Ejus vero reditum præstolantes, præda vivebant ex Colchorum & Drylanorum agris acta. Illo vero moras trahente, & commeatu deficiente, vicinis urbibus Xenophon persuasit, ut terra transitum sibi & suis permitterent. Sieque Cerasum petiit, Græcam urbem, ubi lustrato exercitu, ex X. millibus, qui cum Cyro ascenderant, VIII. mille & sexcentos tantum superstites invenit, reliquis hostium armis, nivibus, & morbis absumtis. Pecunias Xen. L. V.

heic

heic Græci divisere ex captivis divenditis reliquias, decima parte ut Apollini & Dianæ offerretur servata. Portionem suam Xenophon asservabat Delphis & Ephesi locandam. Ceraso relicta per Mosynœcos ibant, barbaram gentem, in varias divisam factiones. Harum ea, quæ ceteris prævalebat, Græcorum cum contemneret amicitiam, fecit, ut inferiorum partes Græci amplecterentur, qui, ut superiores illæ evaderent, mox effecere. Hinc ad Chalybas iter direxerunt, atque inde ad Tibarenos, quorum Regione pacate peragrata, ad oppidum Cotyora pervenere, Græcum origine, & Sinopensium, coloniam. Atque huc quidem usque pedibus iter exercitus confecit, intervallo a loco inde, quo prælium cum Artaxerxe commiserant, stationum CXXII, parasangarum DCXX, stadiorum XVIII M & XX, tempore mensium octo.

Cotyorensibus, forum rerum venalium negantibus, nec ægros recipientibus, armis urbem occuparunt, & commeatum partim a Paphlagonibus, partim a Cotyoritis accepere. Quo facto Sinopenses, quibus tributa Cotyoritæ pendebant, legatos misere, de vi illata conquestos, eosque cum Coryla & Paphlagonibus arma juncturos minantes. Quibus Xenophon, se minime vereri, respondit, si ita ferant fata, cum utrisque in certamen descendere: spem tamen esse, eadem facilitate sibi Corylam & Paphlagonas, qua Sinopensibus posse conciliari. Quo responso mitigati Legati, amicos Sinopenses eis futuros pollicebantur, imo & classem suppeditaturos transportandis copiis, cum insuperabilis sit terrestris itineris, ob fluvios Thermodontem, Halyn, Irin, & Parthenium difficultas.

Coloniam ibi constituere animo fixum erat Xenophonti, sed cum ejus a Silano vate proditum esset consilium, misere ad Græcos una cum Sinopensibus Heracleotæ, non classem offerentes tantum, qua Troada solverent, verum etiam clam per Timasionem, Græcorum ducem, pecuniam promittentes. Quæ quidem promissa Xenophon, communi saluti unice intentus, ut Græci acciperent, autor fuit, simulque, ut invicem fidem darent acciperentque, adegit, ne quis alterum desereret, donec omnium res in tuto essent collocatæ. Heracleotæ naves misere, pecunia retenta. Quo facto Timasion, aliique duces, militum metu a Xenophonte petiere, ut ad Phasidem exercitum duceret: quod ille aversatus consilium, suspicioni tamen locum dedit, quasi id ageret, ut exercitum circumduceret, eumque ad Phasidem raperet, quam tamen facile suspicionem purgavit. Eo tempore de omnibus offensis judices constituti, inde a cæde Cyri admissis, reique supplicio affecti. Fuere, qui & Xenophontem accusarent, verberibus ab eo mulctati, quod jure tamen ab eo factum patuit, alium, quod commilitonem ægrum sepelire pararet castigantem; alios, quod ordines deseruissent, vel solo strati, nive tecti, jacuissent, vel præ ignavia reliquos non secuti essent. Hacque adeo ratione omnia composita atque pacata fuerunt.

CAP.

CAP. IV.

Reditus Græcorum in Patriam.

Xenoph. L. V. GRæci parata classe vela dabant, ex Harmene, Sinopensium portu, solventes, ubi & Chirisophus cum triremibus adfuit, quas ab Anaxibio acceperat, qui stipendia eis promittebat, quam primum in Græciam rediissent. Exercitus, unius alicuius imperatoris auspicia optans, Xenophontem orabat, ut illud munus susciperet, summum ei amorem testatus. Id tamen Xenophon est deprecatus, sive parum auspicatis sacrificiis permotus, sive quod Lacedæmoniorum offensam metueret, si officio eo Chirisophus moveretur, cui imperatoris officium fuerat demandatum, ademtum ipsi paulo post, quod ingentem pecuniæ vim Heracleæ, Græcæ civitati, fœdere ipsis junctæ, extorquere noluisset. Xenophonte igitur munus recusante, in partes divisus exercitus fuit. Decem enim duces ex eo fuere delecti, MMC. Chirisophum sequebantur, cum Xenophonte MM. pedites erant & XL. equites. Chirisophus terrestri pergebat itinere inde a Calpæ portu, ut cum Cleandro, qui Byzantio præerat, copias jungeret, naves suas Xenophonti permittens. Hic in Thraciæ finibus, in regione Heracleensium, exposito exercitu, per mediam illam provinciam pacate penetravit. Seditiosi vero in Calpę portu exscendentes vicinam regionem omnem deprædabantur. Thraces igitur adversum eos insurgentes, duas cohortes everterunt, tumulumque, quem reliqui occupaverant, obsederunt. Xenophon nuncio in itinere accepto, de Græcorum horum re desperata, recta ad locum illum contendit, igneque, quam late posset, incendit omnia. Hostes igitur nocturnam invasionem metuentes diffugere, idemque Græci fecere obsessi, in quos incidens Xenophon, ad portum Calpæ tendentes, magno ab iis gaudio exceptus est: unde ad portum delati decretum fecere, quo capitis supplicium statuebatur in eum, qui dividendum exercitum deinceps suaderet, edicebaturque, ut ordine prius recepto terrestre iter perficerent, atque restitueretur imperium iis, qui prius duces fuissent. * Cum tamen in erea Chirisophus vivere desiisset, Neonem ei surrogarunt, qui, cum MM. armatorum, provinciam deprædaturus, a Pharnabazo Regis Persiæ legato fusus fugatusque fuit, hominibus amissis quingentis. Reliquis Xenophontis industria servatis, exercitus per spatiosam sylvam eo impellente penetravit, & Pharnabazum, iter prohibiturum, prælio vicit. Posthac Cleander ad eos venit, qui magnum Xenophonti testatus amorem, & hospitio cum eo contracto, discessit. Inde exercitus per Bithyniam Chrysopolin, in territorio Chalcedonensi, progressus est. Xenoph. L. VII. Inde vero Anaxibius, Lacedæmoniorum classis præfectus, Byzantium eos deportavit, ubi stipendia eis promiserat, simulac advenissent. Quibus tamen non pr stitis promissis, ex urbe eos dimisit, cujus facti indignitate accensus miles, regressus, vi civitatem intravit deprędandæ eius animo. Quod sentiens Xenophon

P

* Male hic Stanleius: *prioribus ducibus Neonem substituerunt*. Nec sensus in istis. *In locum Chirisophi restitutis, quo mortuo*

nophon, turbæ immistus dissuasit, tumultumque composuit, ut diserte narrat Chio, oculatus testis. Hoc modo urbe quieti excesserunt, quo facto Xenophon, in patriam redire cupidus, exercitui valedixit, & cum Cleandro Byzantium rediit. Anaxibius, abrogato ei in classem imperio, apud Pharnabazum in contemtum adductus, quo instigante, durius Græcos exceperat, Xenophōtem, ut ad exercitum rediret, eumq; Perinthum duceret, oravit, ut inde in Asiam vela faceret. Adventantem summa lætitia exercitus recepit. Perinthum delatis Aristarchus, qui urbi illi præerat, trajectum in Asiam negavit. Interea a Seutha, Thraciæ Rege, invitati fuere ad auxilium sibi contra Medocum, qui regnum eius usurpaverat, ferendum oblatis in singulos milites pecuniis & filiæ matrimonio promisso Xenophonti. Ad eum igitur, maxime cum hyberna aliunde non suppeterent, se contulere. In cœna, ut moris erat, Regi singuli propinabant, munere etiam oblato. Xenophon proximo loco ei assidens, surrexit, poculoque arrepto, seipsum dixit, omnesque commilitones suos Regi sese donare, amicos futuros & fideles in recuperando regno adiutores. Atque ea etiam re multum Seuthæ Græcorum exercitus profuit. Cum autem stipendia exercitus nulla acciperet, Heraclidem Xenophon, quod ei rei prospiceret minus, increpavit. Qui, ea re accensus, Seuthæ ab eo alienare animum conabatur; ad quem adductis reliquis ducibus, ut dicerent, suasit, se, ubi opus sit, exercitum contra hostem ducere non minus quam Xenophontem posse. At illi una voce omnes Seuthem certiorem fecere, sine Xenophonte frustra se in aciem educi. Xenophonte igitur accersito, cum in id esset cōsensum, ut expeditio susciperetur, per Melinophagorū regionem Salmidessam usque processum fuit, Iisque locis expugnatis, Selybriæ campis consedere. Ibi ad eos Charminus, Lacedæmonius, venit, & Polinicus, a Thimbrone missi, qui nunciarent, Lacedæmonios adversus Tissaphernem bellum decrevisse, cujus ducem Thimbronem creaverint, qui hunc Græcorum exercitum sibi auxilio esse percupiat, amplissima stipendia ei pollicitus. Seuthes exercitum non invitus dimisit. Xenophontem igitur misere, qui in stipendium quæ debebantur, exigeret: impetravit & ille, sed non sine molestia. Inde Lampsacum solverunt, ubi Euclides, vates, Xenophonti notus, interrogavit ex eo, quantam auri vim attulisset? Cui Xenophon se tantum haut attulisse iuravit, quantum sibi ad iter in patriam absolvendum sufficiat, eamque ob causam equum & sarcinas vendidisse. Proxima die Ophrynium pertenderunt, ubi Britonem & Euclidem obvios habuere, qui stipendia solverent. Hi, Xenophonti amicitia iuncti, equum eius, cum pretium illius accipere nollet, ei reddi curavere, quem, plurimum dilectum, Lampsaci vendiderat. Inde per Atramyttium & Certonium, haut procul ab Alarnis, ad Caici campum delati, Pergamum, Lydiæ civitatem, attigere. Ibi Hellas, Gongyli Eretriensis uxor, Gorgionis mater, & Gongylus hospitio Xenophontem excepere. Helladisque indicio Asidatem ille deprehendit, Persam, opibus ingētibus, una cum uxore &

Chio Ep. III. ad Metridem.

re & liberis& facultatibus omnibus. Pergamum reverso Lacedæmonii, Duces militesque, ut ei ex præda equorum boumque eximia pars relinqueretur, consenserunt. Tum Thimbro advenit, aceptumque exercitum cum reliquis Græcorum copiis junxit, quas adversus Tissaphernem eduxit.

Provinciarum Regis, per quas Græcis reditus fuit parandus, præsides isti fuere, Lydię Artimas, Phrygiæ Artacamas, Lycaoniæ & Cappadociæ Mithridates, Ciliciæ Syennesis, Phœniciæ & Arabiæ Dernes, Syriæ & Assyriæ Belesis, Babylonis Roparas, Mediæ Arbacas, Phasianorum & Hesperiarum Teribazus, Carduchi, Chalybes, Chaldæi, Macrones sui juris erant, ut & Colchi, Mosynœci, Coetæ, Tibareni. Paphlagonia imperio Corylæ parebat, Bithynia Pharnabazi, Thracia, quæ in Europa est, Seuthæ. Totum iter, quum in ascendendo tum descendendo, castris confectum CCXV, Parasangas habuit cIↃcL, stadia XXXIII cIc & ccLV. temporis intervallum, quo adscenderunt & descenderunt, annus I, menses III.

CAP. V.

Quomodo Agesilaum secutus, & in exilium missus fuerit.

Laert. l. II, 51. POst ascensum vero & Ponticas clades, fœderaque a Seuthe, Odrysorum Rege, violata, in Asiam se contulit Xenophon, ad Agesilaum, Lacedæmoniorum Regem, Cyrique milites illi, mercede accepta, concessit, & arctissima amicitia ei iunctus fuit. Æmilius Probus ait, Agesilaum eo usum familiarissime, Cicero institutione ejus usum esse. Plutarchus autor est ejus consilio filios Lacedæmona misisse Agesilaum, ut in arte instituerentur, omnium præstantissima, parendi atque imperandi.

Æmil. Prob. vit. Agesil. init. Cic. de Orat. l. II, 22.

Plut vit. Agesil. p. 606. A

In Asiam autem Agesilaus profectus est Olympiad. XCVI anno I, bellumque cum Persis feliciter gessit. Insequente tamen anno domum a Lacedæmoniis est revocatus, ut patriæ, a Tebanis eorumque confœderatis oppugnatæ, auxilio esset, quos Persa corruperat; ut bello sua regna exoneraret. Ex Asia igitur in Bœotiam revertens cum Agesilao Xenophon, perpenso belli, quod nunc suscipiendum erat periculo, Ephesum cum esset delatus, dimidiam auri partẽ, quod ex portione servaverat prędę, ab exercitu ex Cyri expeditione reduce ad Cerasuntem divisæ penes Dianę sacerdotẽ Megabyzum relinquit, ea lege, ut sibi, belli illius periculis superstiti, redderetur, Dianæ vero consecraretur, si aliquid in eo bello humani ipsi evenisset; vel aurea inde Deæ statua conflata, vel aliis usibus eo dicato, quibus gratiam apud Deam iniri posse judicaret: alteram vero partem dimidiam Delphos misit, Atheniensium thesauris inferendam, inscriptione addita, quæ & ipsius nomen, & Proxeni, quem decessorem habuerat in cohorte sua ducenda, contineret. Agesilaus, reversus, Bœotorum agros depopulatus est, Thebanosque cum sociis magna strage ad Coroneam effecit, quam exacte a Xenophonte, qui ipse ei prælio interfuit, delineatam habemus.

Vid. f. c. III Xenoph. L. V. p. 350 Laert. l. II. 52

Xenoph. Agesil.

Dum vero extra patriam viveret Xenophon, Athenienses, quod contra Persam, cum quo fœdus iunxerant, militaret, & Cyri partes esset

Pausan. Eliac. prior. c. V I.

secutus, qui Lacedæmoniis contra ipsos tulerat auxilium, Ducemque eorum Lysandrum ad classem comparandam pecuniis juvisset; decretum adversus eum promulgarunt, quo exilio mulctaretur. Est autem ab Istro relatum, Eubulum ejus de-
Laert. II, 59. creti autorem fuisse, quo etiam autore patriæ Xenophon sit restitutus.
II. 51. ἐπὶ λακωνισμῷ Laertius damnatum ait, quod Laconum partibus studere videretur, Agesilaum sequens. Decretum illud promulgatum dicitur quibusdam Olympiadis XCVI. anno III, autor tamen historiæ expeditionis Cyri innuit, factum id esse ante primum ejus ex Asia reditum. Xenophontem ejus rei ignarum antequam Thimbroni exercitum traderet, reditum in patriam meditatum esse affirmans.

CAP. VI.

Ut Scillunte & Corinthi vitam egerit.

UT vero eum recrearent Lacedæmonii, ipsorum causa patriæ invisum, publicis sumptibus
Laert. 52. alebant, & Scillunte ab Eleis accepta, urbem ibi condidere, domumque & agrum dedere Xenophonti. Agesilao itaque relicto Scillunta concessit, sequente eum uxore Philesia, filiisque duobus, quos ex ea susce-
Suid. Ξενοφ. Laert. l. c. perat, Diodoro & Gryllo, quos Dioscuros appellabant. Eo Philopidas Spartiata ei dono misit mancipia, ex Dardania captiva abducta, quæ arbitrio ipsius permitteret.

Xenoph. de exp. Cyri L. V. p. 350. Laert. II. 52. Strabo L. VIII. p. 357 Laert. l. c. Ab Olympia non longe distabat Scillus, ludis ibi celebratis famosissima urbe, ad quos spectandos cum Megabyzus venisset, Xenophonti aurum, penes se ab eo depositum, restituit. Eo, oraculi suasu, agrum redemit, quem Dianæ sacrum esse jussit, loco ab Apolline indicato, quem medium Selinuntis dividerent fluenta, fluvii eiusdem nominis cum flumine Ephesinæ Dianæ templum prælabente. Piscibus & conchis abundabat flumen, sylvæ omni ferarum genere. Templum etiam cum ara de pecunia sacra extruxit, ac post id temporis semper, consecratis fructuum agri decumis, sacra Deæ peregit. Eorum sacrorum & municipes & finitimi, viri ac feminæ participes erant, subministrante iis Dea farinas cum panibus, vino, pecunia, bellariis: prætereaque partem eorum, quæ vel e pascuis sacris mactabantur, vel venando capiebantur, a Xenophontis ceterorumque municipum filiis, qui ad festi celebritatem venationem instituebant. Itaque partim ex agro sacro, partim ex Pholoe apri, capreæ, cervi capiebantur. Locus ipse, qua Olympia Lacedæmonem itur, ad stadia XX a Iovis Olympii abest fano. Idem vero & nemora complectebatur & montes refertos arboribus, ut in eo & sues & capræ, ovesque, & equi satis ad pastum haberent. Quo fiebat, ut eorum, qui ad istam confluebant celebritatem, iumenta etiam abunde saturarentur. Propter fanum lucus erat hortensibus arboribus consitus, fanum ipsum Ephesino simile, ut esse potest majori minus, pariterque simulacrum ex cupresso, ad similitudinem aurei apud Ephesum effictum. Propter fanum pila erecta, has litteras continebat: FUNDUS DIANÆ SACER HOC QUI POSSESSOR FRUITUR QUOTANNIS CONSECRATO DECUMAM DE RELIQUO FANUM SARTUM TECTUMQUE CONSECRATO SI QUIS NON FECERIT DEA VINDEX ESTO.

In

Laert l.c. In isto secessu suo venationibus Xenophon vacabat, amicorumque compotationibus, & historiis scribendis. In amicorum, qui ad eum ventitabant, numero & Phædo extitit, atque Aristippus, qui plurimum loci opportunitate, ædificiis, lucis, manu possessoris plantatis, delectabantur. Epist. Socratic. 18.

Ortum paulo post inter Eleos & Lacedæmonios bello, Elienses Sillunta duxere exercitum, & priusquam subvenire Lacones possent, Xenophontis domum atque agros insederunt. Tum filii ejus, cum paucis servis, clam fugientes in Lepreum concessere. Xenophon Elida primum, inde Lepreum ad filios suos, postremo una cum iis Corinthum se contulit, ubi domum conduxit, & vitæ partem reliquam exegit. Hoc tempore junctis armis Argivi, Arcades & Thebani, Lacedæmonios oppugnabant, parumque aberat, quin debellatum esset cum iis, quando legem tulere Athenienses de auxilio iisdem ferendo. Xenophon igitur Athenas filios misit, ut & ipsi cum ceteris Atheniensibus arma pro Lacedæmoniis capesserent: educati enim, referente Diocle, Spartæ, atque Laconum disciplina imbuti fuerant. Laert. l. c. p. 53. Xenoph. Hist. Gr. extrem.

Desiit illud bellum in memorabile ad Mantineam prælium, quod anno II. Olympiadis CIV. commissum fuit. Ei prælio nullo præclaro facinore edito superstes Diodorus fuit, eique filius fratris nomine postea est susceptus. Gryllus vero adversus hostium equites fortissime dimicabat. Cumque Thebanorum eo die res superior, virtute ducis eorum, Epaminondæ, esse cœpisset, equitum Lacedemoniorũ fortissima manus, in qua & Gryllus, impetum in eum fecit, vulnusque Thebano duci Gryllus sua manu lethale intulit. Cujus rei Thebanos pariter ac Athenienses testes Pausanias allegat: Prælii illius picturam Athenis sibi visam addens, eandem rem confirmantem: columnam item Mantineæ erectam, cum statua Grylli, equo insidentis. Tam præclaro patrato facinore vitam Gryllus amisit. Nuntiusque ea de re ad Xenophontem Corinthum delatus fuit, sacris operantem & coronatum, qui, cæsum filium esse audiens, demtam capiti coronam deposuit, nuntiumque interrogavit, quo mortis genere occubuisset? A quo cum responsum tulisset, fortiter dimicantem in mediis hostium catervis, pluribus interemtis, spiritum eum reddidisse, coronam capiti suo rursus imposuit, & sacra peragere perrexit, ne lacryma quidem missa: hoc tantum dicens, *noram me genuisse mortalem:* & numina, quibus sacrificabat, testatus, majorem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire. Epitaphiorum vero atque Encomiorum, qui bus Grylli funus prosecuti sunt, qui gratiam Xenophonti cuperent facere, vix numerum possis inire: unde colligere est, quanta ejus apud omnes existimatio extiterit. Laert. II, 54. Pausan. Arcad c. XI. Ælian. V. H. III. 3. Hieron. Ep. Nepot. ad Heliod. Stob. S. 106. Laert. II 55. Valer. Max. V, 10. Laert. II, 55.

Ad Dionysium, Siciliæ tyrannum, Xenophontem excurrisse ab Athenæo indicatur, quod tamen, quo tempore sit factum, incertum est: Ab illo etiam refertur, eundem, cum convivio Dionysii interfuisset, atque a pocillatore ad bibendum invitaretur, nomine appellato tyranno, *quid est*, dixisse, *Dionysi*, *quod coquus etiam tuus*, *quamvis ea arte parem facile habeat nullum*, *ad* L. X. p. 427.

edendum nos non invitet etiam, nauseabundos?

CAP. VII.

Mors ejus, corporis & animi indoles, Virtutes.

Laert. II. 56 Lucian. de Longaev. p. 641.

AEtate gravis Xenophon, quam juxta Lucianum ultra nonagesimum produxerat annum, Corinthi obiit diem, Olymp. CV. anno I, Callidemo, vel Callimede, Archonte, quo tempore Philippus, Amyntæ filius, regnum Macedoniæ suscepit. Verecundus erat, coma promissa, &, ut Laertii utar verbis, ultra quam dici possit formosus. Tum in ceteris omnibus (a) præstans ac bonus, tum equorum, venationisque, atque instruendi exercitus inprimis studiosus ac peritus, ut ex libris ejus intelligi potest. Religiosus præterea, & sacrificiis intentus, eorumque interpres egregius: Socratis ad amussim imitator, quod & effatum ejus comprobat (b) esurienti jucundissimum esse edere herbas, sitienti aquam gratissimum potum esse. Candore eo, (c) ut cum furto ei surripere integrum esset Thucydidis historias, in obscuro latentes, ipse primus cum laude autoris in lucem protulerit.

κομήτης ἀνὴρ ... καὶ τρυφῶν. Chion. Ep. III. ad Matrid. Laert. II. 45. εὐειδὴς ... ὑπερβολήν.

a Laert. II. 56.

b Athen. L. IV p. 157

c Laert. II. 57.

Vir erat, ut paucis absoluam, sive contemplationem spectes & sapientiæ studia, sive quæ ad rem gerendam pertinent, consummatæ virtutis. Solus enim, ut verbis utar Eunapii, in philosophis fuit, qui actionibus non minus, quam verbis philosophiam illustraret. Virtutem oratione & scriptis complexus, rebus gerendis incomparabilis fuit; rei militaris peritia inter præcipuos Imperatores locum meritus. Neque Alexander magnus celebraretur, nisi Xenophon dixisset, *tralatitias quoque fortium virorum actiones memoria mandandas esse*.

Eunap. Proœm.

Ipse primus Socratis magistri sui dicta, notis excepta, in publicum edidit, & fide quidem conspicua, nullis adsutis de suo laciniis, quod Plato fecit, ab eo propterea, Gellio observante, reprehensus. Cum quo, eodem autore, magna ei æmulatio intercessit, cujus argumentum allegatur hoc ipsum, quod neuter in suis scriptis mentionem alterius injecerit. Observatum tamen Vossio est, semel Xenophontem Platonis in ἀπομνημονεύμασι meminisse, eumque locum Gellii fugisse solertiam. Ejus quoque apud Athenæum & Laertium inimicitiæ memoria extat: quam & ad Æschinem scripta Xenophontis epistola prodit, in qua Platonem condemnat, quod Socratis haut contentus doctrina, Pythagoreis sese adjunxerit in Italia, & Ægyptiorum sacerdotibus, quæ argumenta esse putat mentis, constantia, qua decet, Socrati non addictæ. Cum Aristippo quoque minus recte ei convenisse ex scriptis ejus liquet.

Laert. II. 48 Gell. XIV. 3.

Hist. Gr. l. 5. Xenoph. L. III. ἀπομν. d. 772. B. Athen. L. XI. p. 504

Laert. II. 65

Extant duo apud Laertium in ipsum epigrammata, prius ad ejus cum Cyro in Asiam expeditionem pertinet:

Laert. II. 58

Non tantum ad Persas Cyrus Xenophonta vocavit,
Sed virtus etiam limina ad alta Jovis.
Dumque ejus virtute stetit res Hellados, ipse,
Quam sapiat clare Socrates, ecce docet *

Altero exilium ejus spectatur:

Sis

* Stanlejus distichon posterius vertebat hoc sensu:

Res gesta & scripta, monimenta perennia, certe

Sis quanquam ingratis Xenophon ejectus Athenis,
Ob gratiam gratus Cyri minus tuis.
Te tamen excepit fugitivum grata Corinthus.
In qua hospes urbe nosti latus vivere.

Septem Laertius *Xenophontas* numerat, *primum*, de quo egimus, *secundum*, Athenienſem, Nicoſtrati fratrem, *Theſium* autorem, qui præter alia quædam Pelopidæ & Epaminondæ ſcripſit vitam. *Tertium*, Medicum, Coum. *Quartum* hiſtoriæ Hannibalis ſcriptorem. *Quintum*, qui librum ſcripſit de fabularum monſtris. *Sextum*, Parium ſtatuarium: *Septimum*, Poetam, Comicum antiquum. *Tres alios* Suidas habet, Antiochenum *unum*, *alterum* Epheſium, Cypriotam *tertium*, hiſtoricos omnes, vel potius mythographos, quorum *prioris* opus ſunt Babylonica, *alterius* Epheſia, X. libris comprehenſa: *tertii* Cypriaca, hiſtoria item Myrrhæ, atque Adonidis.

II, 59.

CAP. VIII.

De ſcriptis Xenophontis.

STudioſe Xenophontem id egiſſe, ut Herodotum imitaretur tum verbis tum ſententiis Dionyſius Halicarnaſſenſis (*a*) autor eſt. Oratione uſus eſt *leniore*, juxta Ciceronem, (*b*) & *melle dulciore*, *& a forenſi ſtrepitu remotiſſima*. Ejus item voce *muſas quaſi locutas ferri* ait, unde & *Attica Muſa* dictus fuit, (*c*) vel ut alii volunt *apis Attica*: (*d*) Multa autem de ejus dictione & eloquentia Ariſtides habet, Adrianenſis, in peculiari tractatu, qui Hermogeni adſcribitur.

a Dionyſ. de vet. ſcr. cenſur. p. 125. & Ep ad pomp. p. 210. Cic. de Or. II. 14.
b Id. Orat. c. 19.
c Laert. II, 57.
d Vit. Sopho. L.

Libros Xenophontis, quos Scipio ille Africanus aſſidue in manu habuiſſe dicitur, Cicero vero ſtudioſe, ut legantur, ſuadet, multas ad res perutiles, Laertius XL. numerat, quos aliter alii ordinant. Tituli eorum generaliores ſunt iſti:

Cic. ad Quintum I. 1. Ep 1. c. 8. de ſen. p. 16.

Κύρου παιδεία h. e. *Vita & diſciplina Cyri*, ut Ciceroni vocatur, libris VIII, ſcripta, ut idem ait, *non ad hiſtoria fidem, ſed ad effigiem juſti imperii*, quamvis pro vera hiſtoria Diodorus Siculus agnoſcere videatur. ** Unde & Auſonius ait, *eum ad Cyri exequendas virtutes votum potius quam hiſtoriam commodaſſe, cum diceret, qualis eſſet, non qualis eſſe deberet*.

Laert. II. 56 Cic. in Brut. c. 2?. ad Quintum Fr. L. I. Ep. 1. Diod. Sic. L. XV. ſub fin. Auſon. Grat. Act.

Κύρου ἀνάβασις h. e. *Cyri minoris in Aſiam adſcenſus*, libris VII, quorum quiſque peculiari gaudet præfatione, toti operi præmiſſa nulla, ut Laertio obſervatum. Eius libri autorem eum haut eſſe Maſii eſt ſuſpicio,

Laert. II, 57

P 4

Socratis ex æquo hunc diſcipulum eſſe probant.

malui tamen Græcis preſſius inhærere, quę virtutem Xenophontis in exercitu Græcorum reducendo ſapientiæ Socraticæ inſigne argumentum eſſe ſignificant.

** Valde vereor, ne Stanleius, Voſſium oſcitanter inſpiciens, eoque ſeductus injuriam Diodoro Sic. faciat. Certe Lib. XV, quem allegat Diodorus Sic. nil. aliud habet de ſcriptis Xenophontis, quam quod τὴν τῶν Ἑλλήνων σύνταξιν eo anno finire dicat Xenophontem, quo Epaminondas occubuit. Qui locus manifeſte hiſtoriam Græcam reſpicit, quæ in annum illum deſinit. Fefellit Stanleium, quod proxime præcedentibus & ſequentibus Voſſius eos caſtigaret, qui Cyropædiam pro vera hiſtoria habuere. Et ſane fatendum, alieno loco Diodori illa verba, & præter rationem, poſita fuiſſe. Qua in re quæcunque ſit Voſſii culpa, ea Diodoro nocere haut debuit.

B.a.d Josuæ c.II.p. 38. Usser. Annal. ad ann. M. 3603.p 138

spicio, Themistogeni tribuit Episcopus Armachanus, cum tamen Xenophonti tribuant Plutarchus, Cicero, Dionysius Halicarnasseus, Hermogenes, Laertius atque alii.

Ἑλληνικά, h. e *Historia Græca*, libris VII. filum historiæ, ubi Thucydides texere desierat, prosecuta. Idem argumentum & Theopompus tractavit. Sed ultra XVI. annos non processit, Xenophontis contra historia annorum XLIIX. res gestas complectitur.

Ad.Famil. L.X.Ep.12.

Agesilaus, de quo opere Cicero, quod Agesilaus neque fictam imaginem suam passus sit esse, unum enim Xenophontis libellum in eo Rege laudando facile omnes imagines omnium, statuasque, superasse.

Laert.II,57

De Republica Lacedæmoniorum & Atheniensium, quæ Xenophontis esse opuscula in dubium vocavit Demetrius Magnesius.

Socratis Apologia & memorabilia ejus, quæ forte est Philosophorum historia, Suidæ commendata.

Offic.II,24.

Oeconomicus, qui ultimum memorabilium Socratis librum absolvit, quo adeo opere animum Cicero, dum juvenis esset, oblectabat, ut Latii civitate donaverit.

Symposium, quod cum Olympiadis XXCIX. anno IV. institutum esse fingatur, errorem in eo chronologicum commissum putabat Athenæus, ipse propterea doctissimo Casaubono vapulans.

Athen. L. V.p. 216.

Casaub. anima dv. ad loc. Athen. cit.

Hiero porro, sive *de regno liber*: *De administratione domestica*: *De equis*: *de re equestri*: *de venatione*: & denique *epistola*.

Valer.Max. VIII, 13. Pl. H. N. VII,48.

Præter ista, quæ ad nostram ætatem omnia pervenere, alia quædam Xenophon scripsisse videtur, citatumque Periplum ejus a Valerio Maximo invenimus: Extat denique *de æquivocis* tractatus Xenophontis nomine, sed Annii ille fœtus est, & figmentum, ab eo orbi litterato mala fide obtrusum.

EPISTOLÆ XENOPHONTIS.

Xenoph.p. 1000.

Ad Æschinem. EP. I.

Ex Allatii Epist. Soc. p. 37 sqq.

Posteaquam me convenisset Hermogenes, cum alia quædam narravit, tum me de te interrogante, quodnam philosophiæ studium sequereris: idem, respondit, quod Socrates. Ego vero, etiam cum Athenis ageres, propter hunc animum te admiratus sum. Quemadmodum igitur admirari te cepi, sic nunc quoque præ quovis alio philosophiæ studioso animi tui constantiam demiror. Maximum enim, ut mihi videtur, argumentum est virtutis tuæ: quod is te ceperit homo, si modo vita Socratis hominis mortalisve dicenda. Ceterum Deos supra nos esse, cuivis constat. Eos maiorem ob potestatem veneramur. Quales autem & qui sint, nec inveniri facile potest, nec inquiri fas est. Quippe servorum etiam non est, scire naturam aut facta dominorum suorum; ut quibus nihil præterea conveniat, quam inservire. Quodque maximum est, quanto maiorem admirationem merentur, qui res humanas tractant: tanto plus hoc iis affert oneris ac molestiæ, qui gloriam in multis intempestivis ac variis rebus adfectant. Nam quando audivit quisquam, o Aeschines, Socratem de rebus cœlestibus disserentem, vel ad lineas ac figuras emendandæ vitæ gratia discendas hortantem? Musicam enim scimus ipsum intelle-

tellexisse non ultra iudicium aurium. At semper aliquid egregii suis dicere non desinebat, quid esset fortitudo, quid iustitia, quid virtutes ceteræ. Vocabat autem hæc bona humana, cetera vero vel homines adsequi non posse, vel fabulis esse cognata dicebat, qualia superciliosi sapientię professores ridicula commemorarent. Neque vero verbis hæc ita tradebat, ut factis eadem non præstaret. Verum ad te illa non ignorantem perscribi, quæ a Socrate gesta sunt, quanquam ingratum futurum non sit, tamen & prolixum fuerit, & alibi a nobis est præstitum. Desinant igitur * convicti, vel ad id accedant, quod probabile est, quibus Socrates non placuit: cum ei vivo sapientiæ testimonium Deus exhibuerit, mortui vero interfectores expiationem non invenerint. Illi vero egregii viri, Ægypti & prodigiosæ Pythagoræ sapientiæ amore capti sunt, quorum supervacaneum studium inconstantis ergaSocratem animi eos arguit, quod & eorum in tyrannos amor, & Sicula facit ventris immoderati mensa, frugalitati victus anteposita.

Ad Critonem. EP. II.

Stobæus ferm: Cl. Sapientissime nobis a Socrate est inculcatum, eos, qui liberis suis de multis facultatibus prospiciunt, ut autem boni ac egregii evadant, negligunt, simile quid agere equos alentibus, qui ad bellicos usus eos non instituant & multum pabuli interea exhibeant. Sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed eorum quę præstare oportebat, imperitos. Cum equi virtus & laus non in corporis mole, sed audacia peritiaque bellici usus posita sit: Eodem modo & illos peccare, qui filiis multos agros comparant, ipsosmet vero negligunt. Nam prædia magni pretii existimationem habebunt, ipsi viles erunt: quum oporteat e contrario custodientem longe maioris quam rem possessam, esse dignitatis ac pretii. Quamobrem si quis filium suum magni pretii hominem effecerit, quamvis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus est. Animus enim facit, ut res vel amplę vel exiguæ esse videantur. Quippe animo bono, quicquid possidet, satis esse: rudis autem & recte non institutus, etiam in maximis opibus indigere videtur. Tu vero non plura, quam necessitas postulat, das filiis tuis; quę sane, recta institutione utentes, ut necessaria, sic satis esse sibi copiosa existimant: imperitos vero, utut pręsenti quidem corporis molestia levent, futuri tamen temporis expectationem, metu plenam non imminuent.

Ad Sotiram. EP. III.

Mihi vero mors ipsa nec turpe quidam, nec honestum esse videtur; sed tantum esse vitæ terminus, non idem omnium, inæqualitatem annorum ferens ex dissimilitudine ipsius ortus, & pro ratione roboris aut infirmitatis. Nonnunquam tamen mortem accelerare occasio potest, sive ignominiosa, sive pulcra ac decora. Neque mortis causa lugere tantopere convenit, cum sciamus, initium viæ mortalium existimari debere nativitatem: finem vero mortem. Mortuus est, (quem lugemus) ut moriendum est aliis, quantum voluerint, repugnent. Præclare Stobæus ferm. 892. Stobæus ferm. 278.

* Platonem intelligere videtur, qui multa Socratis sermonibus addidit; ipse vero in Siciliam, Italiam & Ægyptum iter suscepit. *Stanlei.*

re vero mori hominis est obsequentis, & vere eruditi. Beatus est igitur Gryllus, & quicunque non longissimam, sed cum virtute coniunctam vitam eligit: etsi breve tempus ætatis Deus ei concesserit.

Ad Lamproclem. EP. IV.

Primum Socratis admirabilem doctrinam adprobare debes, qui divitias ex usu metiri iubebat. Non enim immensas possessiones divitias vocabat: sed tantum, quantum requiritur ad usum decentem. Monebat autem, ne in his iudicio falleremur. Illos enim, quos diximus, re vera divites: reliquos, pauperes adpellabat: & incurabili paupertate laborare dicebat, quod animi esset indigentia, non possessionis.

EPIST. V.

Allat. Epist. Socrat. 18. * aliter Allatius. Qui elogia filii mei Grylli scripsere, * quod eorum muneris erat egere: & vos benefacitis, qui de iis quæ Socrati evenere, litteris certiorem reddidistis. Operæ pretium siquidem est, & ipsos viros probos fieri, & admirari eum, quod caste, pie ac iuste vitam transegerit: fortunam vero incusare, & vituperare eos, qui in eum mala machinati sunt: brevi enim pœnas dabunt. Lacedæmonii ipsi rei atrocitate indignantur: rumor quippe tristis, ac sinister hucusque perlatus est: populumque nostrum maledictis incessunt, quod iterum plene insaniat, quando Pythiæ testimonio sapientissimum, & prudentissimum iudicatum, aliorum calumniis animum induxerint, ut perderent. Si quis ex Socratis familiaribus opus habet eorum, quæ misimus, indicate mihi, pollicemur namque operam nostram, cum hoc bonum sit & necessarium. Recte facitis, qui apud vos Æschinem, ut mihi scribitis, servatis. Mihi animus est litteris mandare viri illius gesta, dictave, quæ optima pro eo in præsens, & in futurum etiam tempus, non apud iudices Athenienses, sed in omnium oculis, qui virtutem hominis consideraverint, defensio erit: affirmoque communi consuetudini, & ut ille aiebat, ipsi veritati insigniter iniuriam nos facturos, nisi lubentes scriptionis id genus aggrediamur. Iam mihi Platonis etiam non dissimilis commentarius, in quo nomen erat Socratis, colloquiumque non ingratum cum quibusdam, in manus venit. Nos tamen dicimus, nihil eorum audiisse, neque posse similia edere; Neque enim sumus poetæ, sicut ille: licet ipse omnino se poesin affectare neget: nam ipse cum bellulis hisce delitias agens, negat aliquod suum extare poema, sed Socratis ea esse juvenis adhuc & pulchri dicit. Valete mihi viri longe charissimi.

EPIST. VI.

Festum Dianæ, cui nos aram, templumque in Laconica extruximus, celebrantes, litteris ad vos datis significavimus, ut huc accederetis, optimum si universi; quando id fieri nequit, ex vobis nonnullos sacrificii consortes futuros ut mitteretis: quod esset nobis pergratum. Hic sane Aristippus fuit, eoque prior Phædo, qui natura loci, ædificiorum structura, & præcipue plantis, quas ego hisce meis manibus plantavi, summopere delectati sunt. Locus venationi quoque idoneus est, adeo, ut facultas sit, quandocunque libuerit, venatibus incumbendi, ut robuste ac strenue, quod amat ipsa Dea, animum festo- Epist. Socrat. 21.

rum



rum solemnitate relaxemus. Ei gratias referamus quæ me a barbari Regis manibus, malisque circa Pontum, ac Thraciam, multo illis atrocioribus, cum jam a tanto terrarum hostilium tractu ad portum salutis appulisse videbamur, servavit incolumem. Si non veneritis, erat nihilominus necessarium hisce vos adpellasse. Facta, dictave Socratis digna mihi visa, quæ memoria conservarentur, stylo ea consignavi: ea perfecta, absolutave ad vos transmittam. Aristippo & Phædoni minime inepta ea visa fuere. Nomine meo solvere iubetote Simona Coriarium, illique plaudite, quod adhuc Socraticis sermonibus ancillatus addicitur, neque paupertatem, neque artem causatur, quæ cum a philosophandi ratione deterreat, ut aliorum plerique faciunt, qui a Sermonum, & quæ eos consequntur, scientia, admiratione que abhorrent.

EPIST. VII.

Adi nos, caput amabile. Iam enim fanum Dianæ ereximus, forma adeo venusta, & pulchra, ut nihil supra. Locum plantis conseruimus, & iam suo iure sacer est; quæ nobis reliqua sunt, victum subministrabunt. Namque, ut Socrates dicebat, si illa nobis non satis fuerint, nos erimus illis satis. Scripsi Gryllo filio meo, tuoque familiari, ut tibi, si quid opus est, exhibeat. Scripsi vero Gryllo, quod in eum a tenera ætate animo fueris propenso, ejusque te amore teneri testatus sis. Vale.

EPIST. VIII.

Ista omissa est Stanleio extat inter Socratic. Allatii, p. 45

(Tolerantiam tuam iam pridem novi, maximeque admiratus sum. Namque & divitiis, & gloria major omni, vitam agis, & hac tuæ vitæ ratione Athenis adhuc Socratis veluti simulacrum aliquod es superstes. Nos item Thebis juvenibus iuvandis, quos a Socrate sermones accepimus communicantes, operam navamus. Quod nobis atque familiaribus pergratum est.)

Xanthippæ. EPIST. IX.

Euphroni Megarensi chœnicas sex, drachmas octo, & novam exomidem dedi, ut hyberno tempore tibi vitæ necessaria non desint. Hæc itaque accipias, scitoque Euclidem, & Terpsionem optimos esse, probosque viros, & tibi, & Socrati amore coniunctissimos. Filiis vero, si ad nos commeare voluerint, ne impedimento sis, neque longum enim, neque incommodum est iter. Multis præterea lacrymis, o optimum caput, quarum nullus usus, sed quæ nocumento esse poterunt, finis sit. Memento Socratis dictorum, illius moribus atque sermonibus, fac sis tete accommoda: tristitia & tibi & filiis quam maxime ægre facies. Hos siquidem veluti pullos Socratis non solum alere, sed etiam illis totis viribus per longum tempus nos conservare debemus: ne si, aut tu, aut ego, aut alius quispiam, cui Socrate extincto Socratis, filiorum cura incumbit, vita excesserit, pueris adjutore, eoque, qui alimenta sine dubio subministret, spoliatis, iniuria ac damnum fiat. Ego ut ipsis me servem, curo, quod non facis tu, ni tibi bene ut sit efficias. Mœror vero ex his esse videtur, quæ vitæ adversantur, cum & viventes ab eo afficiantur incommodis. Apollodorus cognomine *mollis*, * & Dio te commendant, quod nihil a quoquam accipias: quin imo dicas te divitiis abundare. Optime factum, Donec enim mihi, ac amicis reliquis

a aliter Allat. * Causa patet ex Xenoph. & Laertio, qui eum tanquam mollem describunt. Xenophon ἐυήθη vocat, in Apol. Socratis, rebus aliis omnibus praterquam affectu in Socratem Valde hæc appellatio Leonem Allatium sollicitum tenuit.

quis facultas dabitur, nullo alieno subsidio indigebis. Bono itaque esto animo, Xanthippe, neque ex Socraticis bonis aliquid dimittas, memor quantus ille vir fuerit, quem qualis vixerit, non ut mortem oppetierit, attente considera. Quamvis & illa, recte eam considerantibus præclarissima non videri non possit, Vale.

Cebeti & Simmiæ. EP. X.

Epist. Socrat. 22. Sermone hominum tritum est, paupere nihil opulentius esse. Nam, ut video, per eos amicos, qui mei curam geritis, cum non multa habeam, multa possidere deprehendor: recteque agitis, quotiescunque ipse scripserim, postulata subministrantes. Commentariorum nullum mihi supererat tale, quod aliorum oculos, me absente, non vereretur, ut præsentibus vobis intra domus limites, ubi jacebat Euclides, libens volensque sum fassus. Sat mihi notum est, amici semel elapsam, ac multorum manibus abiectam scriptionem nunquam posse recuperari. Platonis, etiam absentis, magna est ob scripta autoritas, quare iam & Italis, & Siculis omnibus sui admirationem movit. Nos vero vix nobis ipsi persuademus, ea tanti esse, ut studio aliquo digna habeantur. Neque solum id mihi curæ est, ne de opinione sapientiæ, quam mihi comparavi, aliquid perdam: sed de Socrate potissimum sollicitus sum, ne illius virtus, si ipse scripto parum dextre defungat, mea culpa periculum subeat. Idemque esse existimo calumniis aliquem onerare, & indigna virtute illius, de quo scribimus, conscribere. Hic itaque timor nos occupat, Cebes & Simmia, nisi aliter de his iterum vobis visum fuerit, Valete.

ÆSCHINES.

CAP. I.

Vita Æschinis.

ÆSCHINES Charini, lucanicarum fartoris, filius, sive Lysaniæ potius, Atheniensis, ex Sphettia tribu, si fides Platoni, atque aliis, a pueris laborum fuit patientissimus. Is cum Socratem sequi constituisset, *pauper sum*, dixit ei, *neque munus quod tibi offeram, habeo, me ipsum tamen trado totum*. Cui Socrates, *nonne vero animadvertis*, ait, *quantum mihi munus obtuleris?* Assidebat autem ipsi omnium discipulorum diligentissimus, neque unquam a latere ejus discedebat, unde Socrates *soli se in pretio esse lucanicarum fartoris filio* dixit. Nec Plato tamen eum, nec Aristippus amavit. Eum Socrati, ut ex carcere fuga se proriperet, suasisse, Idomeneus autor est, id quod Critoni tamen a Platone tribuitur. Pauperrimus autem cum esset, ut dialogorũ suorum acciperet quosdam, Socrates præcepit, eisque lucrum faceret; quam rem suspicione assecutus Aristippus, cum eos Megaris perlegisset, *unde vero hac tibi*, inquit, *plagiarie?* Cumque alio tempore Aristippus, ira adversus eum accensus, interrogaretur ab aliquo, *ubi nunc vestra illa, Aristippe, amicitia? dormire illam*, respondit, *sed se in eo esse, ut suscitet illam*, Æschineque oblato, *itane*, dixit, *prorsus ego tibi perditi ingenii & insanabilis esse videor, ut castigatione etiam indignum me habeas?* Cui Æschines, *nihil*,

Laert. II. 60. αλλαι τοτ... Laert. II. 34. Senec. de Benef. I. 8. Laert. II. 62. Plutarch. de cohib. Ira p. 462. D.

hil, ait, ***mirum est si in aliis rebus omnibus ingenio superior, heic quoque prior, quid facto opus esset sensisti.*** Pauperie adactus in Siciliam ad Dionysium tyrannum concessit, eo, quo Plato & Aristippus ibi degebant, tempore. Plato itaque, cujus parum firma tum quidem apud tyrannum gratia, ejus consolidandæ occasionem captabat, dum Æschinem ad eum deduceret. Nempe, colloquendi cum tyranno copia ut sibi fieret, petiit. Eaque impetrata, quod putaret tyrannus, Platonem suam causam verbis acturum, in istam Plato est locutus sententiam. ***Si quem sentires, Dionysi, hostili animo in Siciliam appulisse, occasione tantum patrandi animo proposita destitutum, eum ne quæso patereris impune id ferentem inde solvere? Nentiquam vero***, respondit Dionysius, ***inimicorum enim non facta modo, sed & consilia pœnam merentur.*** Tum Plato: ***Si quis vero benevolentia adversum te adductus huc se contulisset, cuperetque tibi insignis alicujus boni fieri autor, tu vero ei perficiendorum animo destinatorum nullam ei occasionem praberes, eumne a te despici atque prateriri aquum censeres?*** Quibus dictis, cum interrogaret Dionysius, ***ille quis esset?*** ***Æschines est***, respondit Plato, ***moribus si quisquam Socraticorum alius optimis, aptusque ad eos verbis castigandos, quibus cum versatur; qui longum mare emensus, ut tecum de rebus ad sapientiam pertinentibus sermones conferret, negligitur tamen.*** Quæ ita permoverunt Dionysium, ut statim in amplexus Platonis prorueret, candorem hominis, magnumque animum, admiratus, & Æschinis honeste atque magnifice rationem haberet. Hæc Plutarchus. Contra Laertius Æschinem in Siciliam delatum, despectum Platoni, commendatum ab Aristippo fuisse ait, cum quo Socraticorum etiam epistolæ faciunt. Cum Dionysio autem dialogos quosdam Æschines communicavit, quos liberaliter ille est remuneratus, vixitque cum eo Æschines, donec tyrannide depulso Dion succederet. Quo facto Athenas reversus est Æschines, ubi, cum philosophiam publice non auderet docere, quod maxima esset Platonis fama atque Aristippi, privatim mercede accepta docebat, postremo foro se applicabat, causisque dicendis, in quo genere summam ejus facultatem fuisse Timon testatur. Scripsit adversus eum orationem Lysias, quæ inscribitur *περὶ συκοφαντίας*, vel, ut habet Athenæus, *πρὸς Αἰσχίνην τὸν Σωκρατικὸν χρέως*, in qua varia eum adspergit labe, exigua certe probabilitate. Nempe eum, ut taceam defensionis causæ injustæ, & mutui accepti, quod restituere nollet, dicam, unguenta vendere voluisse, contra quam leges Solonis jubeant, Socratisque præcepta, ait, & in propriam uxorem liberosque fuisse injurium: vide ipsum Athenæum. Intima familiaritate ei Aristoteles conjunctus fuit, cognomine *μῦθος*. Octo autem *Æschines* Laertius numerat; *primum* hunc ipsum Æschinem, philosophum. *Secundum*, qui Rhetorica scripsit. Oratorem *tertium*, Demosthenis æqualem. *Quartum* Arcadem, Socratis discipulum. *Quintum* Mitylenæum, cognomine Rhetoromastigem. *Sextum* Neapolitanum, philosophum Academicum, Melanthii Rhodii discipulum. *Septimum*

Laert. l.c. Philostr. vit Appollon. l. c. 35. & ex eo Suid. Plutarch. de adul. & amic. discr. p. 67.

Laert. II. 61.

Laert. l. c. 3. 62. Hesych. Aeschinis vita Laert. II. 63.

Athen. L. XIII. p. 611.

Laert. l. c.

ptimum Milesium, Ciceroni familiarem, qui politica scripsit. *Octauum* statuarium.

CAP. II.

Scripta ejusdem.

SCripsit Dialogos, orationes, epistolas. Dialogis, ut Athenæus autor est, magnam temperantiæ, humanitatis, integritatis laudem est consecutus. Menedemus eum accusat, quod multos sibi arrogaverit Socratis Dialogos, acceptos a Xanthippe. Ipsius tamen Æschinis esse credit Panætius. Esse autem Dialogos Æschinis, qui Socraticum exprimant ingenium VII, Laertius docet. *Miltiadem* primum, stylo exaratum magis exili. Secundum *Calliam*, in quo, quod Calliæ & parentum eius dissensiones persequatur, Athenæi (a) reprehensionem incurrit, nec non eo, quod Anaxagoram atque Prodicum derideat, occasione ex discipulis eorum Theramene, Philoxeno, & Ariphrade arrepta. Tertius *Rhinon* est, (b) & *Aspasia* quartus, Athenæo (c) allegatus, & Harpocrationi. (d) Quintus *Alcibiades*, Atheneo itidem allegatus. *Axiochus* sextus, in quo, ut Athenæus ait, Alcibiadem, tanquam vinosum perstrinxit & mulierosum. Cuius rei cum nullum vestigium in *Axiocho*, qui hodienum inter spurios Platonis Dialogos extat, inveniatur, argumento id est, eum Æschinis non esse, quod Vossio visum fuerat. Ultimus *Telauges* est, in quo vitia illius hominis false deridentur: ut a Demetrio Phaleræo & Atheneo habemus (e)

Septem alii Æschinis nomine Dialogi circumferebantur, quos ἀκεφάλους nominabant, (f) nimirum remissi, nec Socratis vim & copiam præferentes, quamobrem eius esse, Pisistratus negabat, Atheniensis, maximamque partem a Pasiphonte Eretriensi scriptos, atque Æschinis insertos libris, affirmat Perseus. Horum iuxta Suidam nomina sunt: *Phædon*, *Polyænus*, *Dracon*, *Erixias*, qui forte idem est cum eo, quem de virtute tenemus, *Erasistratus*, *Scytha*.

Facultatem eius in dicendo summam orationes produnt. Cuius rei confirmandæ causa ad orationem, qua *Phæacis*, magistri militum, *patrem defendit*, Laertius provocat, ceterasque, in quibus Leontinum Gorgiam maxime fuit imitatus. Aliam de *Thargelia* apud Philostratum habemus.

Epistolæ eius ad Dionysium Tyrannum mentionem Laertius fecit, sua ætate superstitis: alia eius nomine in Socraticorum epistolis apparet, cuius iste est sensus.

ÆSCHINIS EPISTOLA.

Quamprimum Syracusas delatus sum, in foro Aristippus mihi occurrit, qui me, manu prehensum, ad Dionysium statim abduxit, cui Aristippus, *Si quis*, Dionysi, *huc adventaret, ut stultitiam menti tua instillaret, cum nocere tibi cum maxime cupere annon existimes?* Cumque annueret Dionysius, quid vero ei, Aristippus perrexit, facturus esses? *Maximo*, respondit Dionysius, *eum malo afficerem. Verum*, inquiebat Aristippus, *si quis adesset in sapientiæ studiis te adiuturus; ille nonne prodesse tibi velle* censendus sit? Idque etiam concedente Dionysio: *En tibi igitur*, aiebat, *Æschinem, ex Socratis discipulis, qui huc venit, ut sapientiæ præceptis animum tuum imbueret, prodesse tibi cupit, in eum igitur beneficia confer, quæ talibus debere agnoscis.*

Tum

Laert. II, 60. adde Idomeneum apud Athen. L. XIII. p. 611.
a Athen. L. V. p. 220.
b citatus Polluci VII, 25. 2.
c Athen. l. c.
d Harpoc. Ἀσπασ. l. c.
e Athen. l. c. ad quem vid. Casaub: c. XX.
f Laert. II, 61.
Laert. II, 63.
Ep. ad Jul. Aug.
Ep Socrat.

Tum ego interpellato eo, *multum*, inquam, *o Dionysi, amoris testatus ista est commendatione Aristippus, sapientia vero tantum possidemus, quantum nos ab iniuriis in eos, cum quibus conversamur, abstineat*. Qua delectatus oratione Dionysius Aristippum laudavit, eaque se præstiturum, quæ mihi deberi agnovisset pollicitus est. Posthæc *Alcibiadem* meum recitari audivit, eoque, ut videbatur, delectatus, ut, si alii nobis essent eiusmodi Dialogi, ad se illos mitteremus, præcepit: quod nos facturos etiam recepimus, propterea que propediem ad vos redituros nos esse confidimus. Recitanti mihi Plato adstabat, id enim dicere fere omiseram, atque cum Dionysio quædam mei causa voce submissa loquebatur, Aristippum reveritus. Vbi enim a Dionysio discessisset, narravit mihi, nunquam libere præsente homine isto, Aristippum autem nominabat, sese loqui solere, *quid vero de te*, inquiebat, *dixerim ad Dionysium, ipse testabitur*. Subsecuta die in horto confirmabat Dionysius, ut de me Plato locutus esset, variis iocis additis, neque enim alio nomine sermones illos possim appellare. Ego vero Aristippum pariter ac Platonem monui, ut æmulandi finem facerent, famæque, quam apud multos indepti essent, parcerent. Tum enim videndos nos hominibus maxime exponimus, ubi actiones vitæ professioni minus responderint:

CRITO.

Laert. II, 121. Suid. CRITO Atheniensis fuit, Socratis discipulus, quem eo prosecutus affectu est, ut nunquam necessariis carere sit passus, qua quidem de re plura in Socratis vita relata habes. Huic, cum multum negotii facesserent, litibusque obruerent, quos minime omnium offendisset, eius quippe ingenio ab altercandi studio alienissimo abusi; quod sequens, iure potius cedebat suo, quam ut foro illud committeret; a Socrate consilium accepit, ut similis cum adversariis ingenii hominem turbulentum, atque irrequietum, sibi adiungeret, cuius ope reliquorum iniurias depelleret. Cuius audiens dictis Crito, Archidamum eligit, iuris consultissimum, sed pauperem, qui donis eius atque liberalitate devinctus, acerrime omnes insectabatur, qui ipsi, vel familiaribus ipsius ulla re ægre facerent. Xenoph. mem. L. II. p. 758

Scripsit autem Crito Dialogos XVII, uno volumine comprehensos, quos ita Laertius recenset; *Non ex disciplinis constare probitatem. Quid sit abundare. Quid idoneum, sive civilis. De honesto. De maleficio. De felicitate. De lege. De divino. De artibus. De re venerea. De sapientia. Protagorās, sive civilis. De litteris. De Poetica. De honesto. De disciplina. De scientia, sive quid sit scire*. Præterea & *pro Socrate Apologiam* concinnavit. l. c.

Filios habuit IV. *Critobulum*, *Hermogenem*, *Epigenem*, & *Ctesippum*, omnes Socratis auditores, de quibus iam diximus. lib. 1. c.

Tres alios eo nomine Suidas numerat, quorum *unus*, Getica scripsit, *secundus* Pieria Macedoniæ urbe est ortus. *Tertius* Naxo, Historici ambo.

SI-

SIMON.

Laert. II. 122. SIMON Atheniensis fuit, coriarius. Is quoties ad ejus officinam Socrates ventitaret, atque dissereret, omnia, quæ poterat, notabat, unde σκυτικοὶ dicti Dialogi ejus: Eos XXXIII. edidit, uno volumine omnes. *De Diis. De bono. De honesto. Quid sit honestum. De justo duo. De virtute, quod doceri non possit. De fortitudine sive virilitate tres. De lege. De popularitate. De honore. De Poesi. De bona valetudine. De amore. De philosophia. De scientia. De musica. Quid sit pulchrum. De disciplina. De disserendo. De judicio. De eo quod est. De numero. De diligentia. De operando. De avaro. De jactantia. De honesto.* Et quos alii recensent: *De consulendo. De ratione sive aptitudine. De maleficentia.* Fertur hic primus inter Socraticos, sermones Socratis recitasse. Eum cum Pericles, ad se ut veniret, invitasset, omnium rerum copiam pollicitus, se quidem *libertatem in dicendo vendere nolle* respondit. Est inter Socraticorum, epistolas ejus nomine insignita ista, qua Aristippi litteris respondet.

„Nostram te apud Dionysium „doctrinam audio deridere. (a) „Coriarium me esse fateor, atque „illam artem exerceo in dedecus (b) hominum maleferiatorum, qui cum Socratem se imitari profiteantur perditam vitam agunt. Quantum ad liberos tuos, „iis instituendis Antisthenes operam dabit, ad quem scriptis litteris meos mores male perstrinxisti. Verum de ista urbanitate satis. Mei te esse memorem velim, „& siccæ vitæ, plurimum enim „hæc sapientibus prosunt.

a forte τωθάζειν potius quam θαυμάζειν. Al. itius insipientem fuerat interpretatus.

GLAUCO.

GLAUCO, Atheniensis, novem itidem volumine uno complexus Dialogos est: *Phidylum. Euripidem. Amyntichum. Euthiam. Lysithidem. Aristophanem. Ephalum, Anaxiphemum. Menexenum.* Alii extitere XXXIV falso ei tributi. Laert. II. 124.

SIMMIAS.

SIMMIAS Thebanus fuit, qui Dialogos XXIII uno volumine absolvit. *De sapientia. De ratiocinatione. De musica. De carminibus De fortitudine. De philosophia. De veritate. De litteris. De doctrina, De arte. De regimine. De decoro. Quid eligendum, quidve fugiendum sit. De bene vivendo. De possibili. De pecuniis. De vita. Quid sit honestum. De diligentia. De amore.* Id. ibid.

CEBES.

CEBES Thebanus, Philosophus, Socratis auditor, Dialogos scripsit tres. *Tabulam*, quæ hodienum extat, * *Septimam. Phrynichum.* Scripsit etiam *historiam inferorum*, & alia. Atq; illi philosophi fuerunt, qui magistri sui scholam in sectas haut distraxere: quare maiore iure *Socraticos* eos appelles, quamvis reliqui etiam eum sibi titulum arrogent. Olim- Id. II, 125. Suid.

* At Critici, Peripatetici & Plato eo Dialogo allegantur, iuniores Cebete. Ea igitur ab aliena manu inserta, viri eruditi suspicantur, nam fragmentum Tabulæ, quod in extrema parte Timæi habet Chalcidius, in ea, quam hodie tenemus, invenitur. Adde Petitum Miscell IV. 4.

Olympiades	Archontes.	
XXXV		Nascitur Thales Laert.
2	Damasias I. Halic.	Circa hoc tempus, natus Solon; ut ab anno, quo obiit, retro numerando colligitur.
3		Phryno victor Pancratio in Olympicis. Euseb. Idem, ut verosimile cum eo, cum quo Pittacus luctatus est.
4		
XXXVI		
2		
3		
4		
XXXVII		Periander Corinthi regnare cœpit.
2		
3		
4		
XXXVIII		
2		
3		
4		
XXXIX	Dracon Tatian. Clem. Suid.	Draco leges Athenis condit.
2		
3		
4		
XL		Res Arionis Euseb.
2		
3		
4	Hæniochides Hal.	
XLI		
2		
3		Pittacus floret Laert.
4		
XLII		Initium regni Alyattæ in Lydia; nascitur Anaximander. Laert.
2		
3	Aristocles Marm.	
4		
XLIII		
2		
3		
4		
XLIV		
2		
3		
4		

		Æra Philos.	
XLV	Critias I. Marm.		
2			
3			
4			
XLVI			Epimenides Atheniensium lustrat civitatem
2	Philombrotus. Plat. Sol.		Laert. Nascitur Epimenides. Suid.
3	Solon. Laert.		Solon fuit Archon, legesque condit.
	Dropides Phil. in Critia.		
4			
XLVII	Eucrates. Laert.		Anacharsis Athenas venit visum Solonem. Laert.
2	Simon. Marm.		
3			
4			
XLVIII	Philippus. Clem.		
2			Periander moritur anno regni XL. Arist. Polit. V. Laert.
3			
4			
XLIX			
2		1	Sapientis nomen Thaleti datum, caeterisque VI. Sapientibus. Laert.
3	Damasias. Marm.	2	
4			
L		3	Circa hoc tempus tragoedias agere Thespis (coepit.
2		4	Anaximander Zodiaci obliquitatem invenit.
3	Archestratides Hal. 4.	5	
4		6	
LI		7	
2		8	
3	Aristomenes. Laert.	9	
4		10	
LII		11	
2		12	
3	[illegible]	13	Pittacus moritur. Laert.
4		14	
LIII		15	
2		16	
3		17	
4		18	
LIV		19	
2		20	Pythagoras Thaletem visitat, ut colligitur ex Jamblicho.
3		21	
4	Comias Plut. Sol.	22	

LV	Hegesistratus. Plut.	23	
2		24	
3		25	
4		26	
LVI	Euthydemus. Laert.	27	Chilon Ephorus. Laert.
2		28	Anaximenes floret. Euseb.
3		29	
4		30	
LVII		31	
2		32	
3		33	
4		34	
LVIII	Erxiclides. Paus.	35	Thales moritur. Laert.
2		36	
3		37	
4		38	
LIX		39	
2		40	
3		41	
4		42	Cyrus Sardes expugnat, Croesum capit.
LX		43	
2		44	
3		45	
4		46	
LXI		47	
2		48	
3		49	
4	Heraclides. Hal. 4.	50	
LXII		51	
2		52	
4		53	
4		54	
LXIII		55	Pisistratus moritur, anno regni XVII. Arist. Pol. V.
2		56	
3		57	
4		58	
LXIV	Miltiades. Hal. 7.	59	
2		60	
3		61	
4		62	
LXV		63	Darius regnare incipit.
2		64	
3		65	
4		66	

LXVI		67	
2		68	
3		69	
4		70	
LXVII		71	
2		72	
3		73	
4		74	
LXVIII	Lysagoras. Marm.	75	
2		76	
3		77	
4		78	
LXIX	Acestorides. II. Hal. 5.	79	
2		80	
3		81	
4		82	
LXX	Myrus. Hal. 5.	83	Anaxagoras nascitur. Colligitur ex Laert.
2		84	
3		85	
4		86	Pythagoras moritur.
LXXI	Hipparchus Hal. 6.	87	
2	Pythocritus. Marm.	88	
3		89	
4		90	
LXXII	Diognetus. Hal. 6.	91	Pugna Marathonia.
2	Hybrilides Hal. 7. Pausf.	92	
3	Phænippus. Plut. Arist.	93	
4		94	
LXXIII	Anchises. Hal. 8.	95	
2		96	
3	Aristides. Marm.	97	Darius moritur, succedit Xerxes.
4	Philocrates. Marm.	98	
	Leostratus. Hal. 8.		
LXXIV	Nicodemus. Hal. 8.	99	
2		100	
3		101	
4		102	
LXXV	Calliades. Marm.	103	Xerxes Hellespontum traiicit. Pugna Salaminia, Anaxagoras Athenas venit.
2	Xanthippus. Marm.	104	
3	Timosthenes. Marm.	105	
4	Adimantus. Marm.	106	
LXXVI	Phædon Diod. Sic.	107	
2	Dromoclides.	108	
2	Acestorides.	109	
4	Menon.	110	


LXXVII	Chares	111	
2	Praxiergus	112	
3	Demotion	113	
4	Apsephion	114	Socrates nascitur
LXXVIII	Theagenides	115	Lapis cœlo ad Ægos Potamos delabitur, prædicente id Anaxagora
2	Lysistratus	116	
3	Lysanias	117	
4	Lysitheus	118	
LXXIX	Archidemides	119	
2	Tlepolemus	120	
3	Conon	121	
4	Evippus	122	
LXXX	Phrasiclides	123	
2	Philocles	124	
3	Bion	125	
4	Mnesithides	126	
LXXXI	Callias I.	127	
2	Sosistratus	128	
3	Ariston	129	
4	Lysicrates	130	Circa hoc tempus Xenophon nascitur.
LXXXII	Chaerephanes Hal.	131	
2	Antidotus	132	
3	Euthydemus	133	Anaxagoras postquam XXX. annis Philosophiam docuisset Athenis, damnatus judicio & exilio mulctatus fuit, ut ex Laert. colligitur.
4	Pedieus	134	
LXXXIII	Philiscus Hal.	135	
2	Timarchides	136	
3	Callimachus	137	
4	Lysimachides	138	
LXXXIV	Praxiteles	139	
2	Lysanias	140	
3	Diphilus	141	
4	Timocles	142	
LXXXV	Myrichides	143	
2	Glaucides	144	
3	Theodorus	145	
4	Euthymenes	146	
LXXXVI	Nausimachus	147	
2	Antilochides	148	
3	Chares	149	
4	Apseudes. Ptol.	150	

LXXXVII	Pythodorus. Thuc.	151		
2	Euthydemus. Athen. 5.	152	1	Annus Belli Peloponnesiaci.
3	Apollodorus. Athen. 5.	153	2	
4	Epaminondas	154	3	
LXXXVIII	Diotimus	155	4	
2	Euclides	156	5	
3	Euthydemus	157	6	
4	Stratocles	158	7	(Nubes Aristophanis actæ.
LXXXIX	Isarchus	159	8	Pugna ad Delium cui Socrates interfuit.
2	Amynias	160	9	iterum acta eadem Aristophanis fabula.
3	Alcæus	161	10	
4	Ariston	162	11	Tempus Symposii Xenophontis.
XC	Aristophilus	163	12	
2	Archias	164	13	
3	Antiphon	165	14	
4	Euphemus	166	15	
XCI	Aristomnestus	167	16	
2	Chabrias	168	17	
3	Pisander	169	18	
4	Cleocritus	170	19	
XCII	Callias	171	20	
2	Theopompus	172	21	Finit historiam suam Thucydid. Xe-
3	Glaucippus	173	22	nophon eam continuat.
4	Diocles	174	23	
XCIII	Euctemon. Marm.	175	24	
2	Antigenes. Marm.	176	25	Primus Cyri in Asiam adscensus. Marm.
3	Callias. Marm.	177	26	Dionysius Syrac. Rex factus. Diod. pugna
4	Alexias	178†	27	ad Arginusam & X. Duces interemti.
XCIV	Pythodorus, Athen.	179		† Tyranni XXX. Theramenes interfectus.
2	Euclides	180		Adscensus Cyri in Asiam contra fratrem
3	Micon	181		suum, mors ejus. Xenophon exercitum Græ-
4	Exænetus	182*		corum reducit. XXX tyranni destructi.
XCV	Laches	183		* Socrates moritur. Thimbro in Asiam
2	Aristocrates	184		contra Tissaphernem mittitur. Xenophon-
3	Ithycles	185		tis reditus.
4	Lysiades	186		

XCVI	Phormio	187	Agesilai in Asiam contra Persas expeditio.
2	Diophantus	188	Agesilaus domum revocatus cum Bœotis pugnat ad Coroneam.
3	Eubulides		
4	Demostratus	189	Conon Atheniensium mœnia restaurat.
XCVII	Philocles	190	
2	Nicoteles	191	
3	Demosthenes	192	
4	Antipater	193	
XCVIII	Pyrrhion	194	
2	Theodotus	195	
3	Mystichides	196	
4	Dexitheus	197	
XCIX	Diotrephes	198	Aristoteles nascitur.
2	Phanostratus	199	
3	Menander	200	
4	Demophilus	201	
C	Pytheus Marm.	202	
2	Nicon. Hal.	203	
3	Nausinicus. Hal.	204	
4	Callias. Hal.	205	
CI	Chariander	206	
2	Hippodamus	207	
3	Socratides	208	
4	Asteius. Pauf.	209	
CII	Alcisthenes. Hal.	210	
2	Phrasiclides Marm.	211	
3	Dyscinetus Pauf.	212	
4	Lysistratus	213	
CIII	Nausigenes Marm.	214	
2	Polyzelus. Hal.	215	
4	Cephisodorus Hal.	216	
4	Chion	217	
		218	

CIV	Timocrates Hal.	219	
2	Cariclides	220	
3	Molon. Hal.	221	
4	Nicophemus	222	
CV	Callimedes	223	Xenophon moritur.
2	Euchariſtus	224	
3	Cephiſodotus	225	
4	Agathocles. Pauſ. Marm.	226	
CVI	Elpines	227	
2	Calliſtratus Marm.	228	
3	Diotimus	229	
4	Eudemus	230	
CVII	Ariſtodemus	231	
2	Theſſalus	232	
3	Apollodorus	233	
4	Callimachus Athen.	234	
CVIII	Theophil. Pauſan. Athen.	235	
2	Themocles	236	Plato moritur anno ætatis LXXXII Athen. Lib. V.
3	Archias	237	
4	Eubulus	238	
CIX	Lyciſcus	239	Ariſtoteles Mitylenen ſe confert.
2	Pythodorus	240	Ariſtoteles ad R. Philippum abit, Alexandro M. XV. annorum adoleſcente Laert.
3	Soſigenes	241	
4	Nicomachus	242	
CX	Theophraſtus	243	
2	Lyſimachides	244	
3	Charondas	245	
4	Phrynichus	246	
CXI	Pythodorus. Arr.	247	
2	Evænetus	248	Ariſtoteles in Licæo docet annis XIII.
3	Æſicles	249	
4	Nicocrates	250	
CXII	Niceratus	251	
2	Ariſtophanes. Arr.	252	
3	Ariſtophon. Ar.	253	
4	Cephiſophon	254	

CXIII	Euthycritus	255	
2	Hegemon. Hal. Ar.	256	
3	Chremes	257	
4	Anticles	258	
CXIV	Hegeſias. Arr.	259	
2	Cephiſodorus	260	
3	Philocles. Laert.	261	
4	Archippus. Laert.	262	Ariſtoteles Chalcidem abit ibique moritur, natus annos LXIII. Laert. Ei ſuccedit Theophraſtus.
CXV	Neæchmus Hal.	263	
2	Apollodorus	264	
3	Archippus	265	
4	Demogenes	266	
CXVI	Democlides	267	
2	Praxibulus	268	Polemon Academiæ præeſt.
3	Nicodorus	269	
4	Theophraſtus	270	
CXVII	Polemon	271	
2	Simonides	272	
3	Hieromnemon	273	
4	Demetrius Phalereus	274	
CXVIII	Carinus	275	
2	Anaxicrates	276	
3	Coræbus	277	
4	Xenippus	278	
CXIX	Phericles Hal.	279	
2	Leoſtratus	280	
3	Nicocles	281	
4	Challiarchus	282	
CXX	Hegemachus. Laert.	283	
2	Euctemon	284	
3	Mneſidemus	285	
4	Antiphanes	286	
CXXI	Nicias	287	
2	Nicoſtratus	288	
3	Olympiodorus	289	
4	Philippus	290	



CXXII		291
2		292
3		293
4		294
CXXIII		295
2		296
3		297
4		298
CXXIV		299
2		300
3		301
4		302
CXXV		303
2		304
3		305
4		306
CXXVI		307
2		308
3		309
4		310
CXXVII	Pytharatus. Cic.	311
2		312
3		313
4		314
CXXVIII		315
2		316
3		317
4		318
CXXIX	Diognetus. Marm.	319
2		320
3		321
4		322
CXXX		323
2		324
3		325
4		326
CXXXI		327
2		328
3		329
4		330

CXXXII.

CXXXII	331	
2	332	
3	333	
4	334	
CXXXIII	335	
2	336	
3	337	
4	338	
CXXXIV	339	
2	340	Lacydes Academiæ præest annis XXVI.
3	341	Laert.
4	342	
CXXXV	343	
2	344	
3	345	
4	346	
CXXXVI	347	
2	348	
3	349	
4	350	
CXXXVII	351	
2	352	
3	353	
4	354	
CXXXVIII	355	
2	356	
3	357	
4	358	
CXXXIX	359	
2	360	
3	361	
4	362	
CXL	363	
2	364	
3	365	
4	366	
CXLI	367	Lacydes Scholam Evandro tradit & Tele-
2	368	cli. Laert.
3	369	
4	370	
CXLII	371	
2	372	
3	373	Carneades nascitur.
4	374	

SECTA CYRENAICA.

ARISTIPPUS.

CAP. I.

Patria ejus atque Parentes.

EXiſtimatio, quam ſibi Philoſophi indies ab aliquo tempore comparaverant majorem, occaſionem augendis quotidie philoſophorum ſectis ſuppeditabat. Philoſophorum enim unuſquiſque, magiſtrum ſapientia ſuperaturus, ſuisque inventis ab eis tradita interpolans, autoris novæ ſectæ honorem aucupabatur.

Jonica igitur philoſophiæ ſucceſſio, quæ una ſerie ante Socratem procedebat, inde ab ejus tempore in Scholas diviſa plures fuit, quarum nonnullæ exiguo tempore floruerunt, ceteris ætatem ferentibus. Brevi tempore *Cyrenaica*, *Megarica*, *Eliaca*, & *Eretrica* ſubſtitere, nomen a locis, ubi eam profitebantur, mutuatæ. Aliæ longe ſucceſſione fuere ſpectatæ, *Academica* nempe & *Cynica*, quarum illius propago *Peripatetica* eſt, *Stoica* hujus. Eas primo loco expediemus, quibus breviſſimi temporis ætas conceſſa fuit, ſive quod ratione ſolida niterentur nulla, reliquarum, ut Cicero ait, *vi & diſputationibus fracta & exſtincta*: vel quod in obſcurioribus orbis partibus plantatæ, eam ætatem conſequi non poſſent, quam illæ, quæ in florentiſſima totius Græciæ urbe, Athenis, radices egiſſent. De Orat. III, 17.

ARISTIPPUS, in Socratis qui fuerat auditoribus, eo defuncto in patriam ſuam, Cyrene illa erat Africæ, rediit. Quamobrem Cyrenaicæ nomen obtinuit philoſophia, quam ejus diſcipuli amplectebantur. Ibid. Patrem Aretadem habuit, itidem Cyrenæum. Laert. I, 65.

CAP. II.

Athenas ad Socratem audiendum ut ſe contulerit.

CYrene Athenas profectus eſt *Ariſtippus*, Socratis fama invitatus. Plut. de Curioſ. p. 516. Nempe de eo ex Iſchomacho audiverat, in quem ludis Olympicis inciderat. Cumque ex eo quæſiviſſet, quibusnam diſputationibus Socrates ita adoleſcentum animos devinciret: atque exigua ſermonum ejus ſemina & documenta accepiſſet, ita vehementem ſenſit animi ardorem, ut & corpus marceſceret, & plane pallidus graciliſque redderetur: donec flagrans deſiderio Athenas navigavit, & ex ipſo fonte hauſit, Socratis & facie viſa, & diſputationibus auditis, quæ ad conſiderationem malorum hominis, & liberationem ab iiſdem, pertinebant. Dicit Ariſtoteles, nocere philoſophiam iis, qui optime dicta in peſſimam partem interpretantur. Ariſtippus igitur, quem illæ magis voluptariæ Socratis diſputationes delectaverant, voluptatem ultimum eſſe hominis finem, quo omnis contineatur felicitas, docuit. Cic. de Or. III, 17. Et ſane illi doctrinæ vita eius & mores reſpondebant, luxui enim indulgebat & unguentis, veſtibus item pretioſis, vinoque & mulierculis: & ut verbo abſolvam, vitam agebat, ita præceptis moribuſque Socratis adverſam, ut adverſæ erant res ipſæ. Athen. Dipn. XII. p. 544. Laert. II, 75. Quamvis enim opibus afflueret, &

præ-

prædia possideret tria, primus tamen Socraticorum mercedem exegit, & quæstu est philosophatus. Quod Socrates animadvertens, *quid* Laer. II, 80. *est*, inquit *quod tam magna possideas*? Cui Aristippus, *quid est, quod exigua* Laer. II. 65. *adeo tibi suppetant?* Eamque vivendi rationem sibi improbari eo quoque ostendit, quod cum XX. minæ ab eo sibi mitterentur, statim remiserit, Dæmonem, quo minus admittat, prohibere inquiens.

CAP. III.

Æginam ut fuerit profectus.

Athen. L. XII. p. 544 T. SOcrati ubi valedixisset Æginam se contulit, ubi liberiorem, quam antea, egit vitam, & luxu diffluentem magis. Et quamvis hortando Socrates ei minime deesset, irritum tamen eius studium extitit, quamobrem etiam colloquium cum eo, L. II, Memo Socrat init Athen. l. c. quod apud Xenophontem legimus, publicari est passus. Eo loco in Laidis familiaritatem pervenit, famosissimi apud Corinthios scorti, quæ Æginam quotannis ventitabat, festo Neptuni, assidentemque sibi diligentissime Aristippum habebat, qui etiam in ejus gratiam Corinthum iter suscepit, ut Hermesianax autor est in apophthegmatibus.

ap. Athen. L. XIII. p. 599. B.

Ecce Cyrenæus languens penetravit in Isthmum.
Vir gravis, ast Laidem deperiisse ferunt.
Omnis Aristippum Veneris contemnere sceptra
Doctrina haut potuit nempe docere Sophum.

Laer. II. 71. Corinthum cum navigaret, ingens orta est tempestas, quæ valde animum ipsius perturbavit. Cumque ceterorum nonnemo id ei exprobraret, *nos*, inquiens, *vulgus ignobile minime timemus, vos ergo philosophi quid trepidatis? Nempe*, dixit, *alia est vitæ, cujus nos curam gerimus, quam vestra dignitas*. Vel, Var. Hist. IX. 20. ut Ælianus narrat, cum alter interrogasset, *tune etiam perinde ac alii trepidas?* respondit: *non eadem est* Gell. XIX 1. *causa mihi atque tibi, tu quidem vita improba atque infausta amittenda, ego felicitatis atque beatitudinis perdendæ periculum subeo*. Ælian. l. c.

Sugillatus ob Laidis amores, *habere se Laidem*, dixit, *non ab ea haberi*. Laer. II, 75. Admittebat autem Lais, Athen. L. XII. p. 544 Phrynes æmulatione, omne hominum genus, divites pauperesve, quamobrem Aristippus, ob nimiam in eam liberalitatem a servo suo reprehensus, quæ gratis tamen Cynico Diogeni se substerneret: *pecuniam ei se dare*, respondit, *ut ipse fruatur, non ut alii fruantur minus*. Cumque Diogenes quoque in eum ob commercium cum Laide frequentius animadverteret, *tu*, inquiens, *Aristippe, & ego eadem femina oblectamur, vel cede, vel Cynicos mores indue*. Ei Aristippus respondit *an inconveniens tibi videtur, domum habitare, quam alii antea incoluissent? vel vela navi facere, quæ alios quondam vexisset? Non magis profecto est incommodum feminæ uti, quæ aliorum voluptati inservit*.

Æginæ usque ad Socratis exitum substitit, quod ex Platone Pl. Phæd. p. 59. non tantum colligitur, sed & ex Ep. Socrat. XVI. ista epistola ejus de eo argumento exarata:

„ Allatum ad me & Cleombrotum
„ de Socratis morte, quodque, cum
„ posset XI. virorum effugere ma-
„ nus, noluerit, quamvis lege absol-
„ veretur, idem hoc esse, ac patriam

quam-

„ quantum in se esset prodere, existimantem. Puto ego eum contra leges in carcerem coniectum, quacunque ratione effugere iure potuisse, sum autem in ea opinione, nihil in hoc negotio tam male atque inconsiderate fieri ab eo potuisse, quod iure se tueri haut queat. Quare minime eum reprehendo, quasi id, quod fecit, malo consilio susceperit. Scribitis omnes Socratis familiares atque Amicos Athenis abiisse, metuentes, ne quid vestrum alicui simile eveniat. Bene factum, cumque Æginæ nos adhuc hæreamus, aliquandiu adhuc eodem loco commorabimur, posthac ad vos venturi, & quacunque poterimus re commodis vestris inservituri.

CAP. IV.

Ut sectam condiderit.

Laert. Proœm. c. 17. Galen. Hist. phil. POstremo in patriam reversus Aristippus, Cyrenen, philosophiam in ea docuit, sectæque extitit autor, quæ Cyrenaica fuit appellata, a loco, ab aliis *Hedonica*, quod voluptatem finem hominis esse teneret. Sectatorum autem Aristippi, qui Cyrenaici appellati fuere, doctrina hæc fuit.

Laer. II, 92 Naturalem philosophiam reiiciebant, quod nulla videretur ad eius cognitionem via patere. Logicam excolebant ob eximium usum eius. Meleager tamen atque Clitomachus affirmant, eodem pretio cum Physicis dialectica apud ipsos habita fuisse, ut quæ usus essent nullius. Nempe sine istis hominem, qui, bona ac mala quæ sint, cognoverit, aptum esse ad recte differendum, & excutiendam superstitionem mortisque metum.

SECT. I.

De judicio & quæ ei inserviunt.

SEnsus certas semper ingerere notiones negabant. Nihilque quod extra nos sit percipi, ea percipi sola posse, quæ *sensu*, quem vocant, *interiore* percipiantur, qualia sint dolor aut voluptas. Neque colorem ullius rei, neque sonum nos assequi, sed hoc solum sentire, quod tali modo afficiamur. Posseque animi quidem nostri παθήματα percipi, non ea vero, ex quibus existunt. In solo interiore tactu veri esse judicium, quia sentiatur. Laer. II, 92. Cic. Acad. Qu. IV, 7. Laert. II, 92 Cic. l. c.

Plenius Sextus: dicunt Judices esse passiones, solasque comprehendi, & non esse fallaces. Eorum autem, quæ procreant & efficiunt passiones, nihil esse, quod possit comprehendi, neque quod possit non fallere. Nam quod, inquiunt, dealbamur, & dulcedine afficimur, dicere possumus asseveranter, neque, quod falsum dicamus convincemur. Quod autem id, quod procreat & efficit affectionem, sit album aut dulce, non possumus affirmare. Nam fieri potest, ut etiam a non albo albi efficiamur, & dulces, a non dulci, quandoquidem is quidem, cui caligant oculi, & qui morbo laborat regio, ita movetur ab omnibus, ut fulvescat: qui autem ophthalmia laborat, fit ruber: qui vero compressit oculum, movetur tanquam a duobus: qui vero est furore correptus, geminas videt Thebas, & visione solem apprehendit geminum. In his autem omnibus, quod sic quidem afficiantur, nempe ut fulvo afficiantur colore, aut rubro, aut ut duplices res videant, verum est. Quod autem sit fulvum, adv. Mathemat. p. 173. sq.

quod

quod eos movet, aut rubrum, aut duplex, falsum esse est existimatum: ita igitur consentaneum est, nihil amplius nos percipere, quam nostras ipsorum affectiones. Unde aut ponendum est, affectiones esse ea, quæ videntur, aut ea, quæ sunt efficientia affectionum. Et si dicamus quidem esse affectiones ea, quæ videntur, omnia quæ videntur, dicendum est, esse vera & eiusmodi, ut possint comprehendi. Si autem efficientia affectionum apellamus ea, quæ videntur; omnia, quæ videntur, dicendum est esse falsa, nec posse comprehendi. Quod enim nobis accidit, suam nobis ostendit affectionem, & nihil amplius. Unde, si oportet verum dicere, sola affectio est, quæ nobis videtur. Quod est autem extrinsecus, & est efficiens affectionis, forte quidem est, nobis autem non videtur. Et ea ratione in propriis quidem affectionibus nos omnes minime erramus; in subiecto autem externo erramus omnes. Et illæ quidem possunt comprehendi, hoc autem non potest, cum ad id discernendum anima sit valde imbecilla, propter loca, propter intervalla, propter motus, propter mutationes, propter alias plurimas causas.

Unde nec in hominibus dicunt esse aliquid commune, quod judicet, nomina autem imponi communia judiciis. Nam album quidem & dulce vocant omnes communiter: commune autem aliquid album aut dulce quod sit, non habent. Unusquisque enim apprehendit propriam affectionem. An autem hæc ei & proximo ex albo ingeneretur affectio, neque ipse potest dicere, ut qui proximi non suscipiat affectionem, neque proximus dicere potest, affectionem illius non suscipiens. Cum autem nulla sit in nobis communis affectio, temerarium est dicere, quod id, quod mihi videtur, tale etiam videtur assistenti. Nam forte quidem ego ita sum comparatus, ut dealber ab eo, quod incurrit extrinsecus: alter autem sic constitutum habere potest sensum, ut aliter sit affectus. Non est ergo omnino commune id, quod nobis videtur.

Quod autem re vera propter diversas sensus constitutiones, non similiter & eodem modo moveamur, perspicuum est & in iis, qui regio morbo laborant, & in iis, qui laborant ophthalmia, & in iis, qui affecti sunt secundum naturam. Quomodo enim ex eodem alii quidem ita afficiuntur, ut fulvi fiant, alii vero rubri, alii autem albi; ita etiam est consentaneum, eos, qui secundum naturam sunt affecti, propter diversam sensuum constitutionem, ab iisdem non moveri similiter: Sed aliter quidem eum, qui coeruleis, aliter vero eum, qui nigris est oculis. Quo fit, ut rebus quidem communia nomina imponamus, peculiares autem singuli habeamus affectiones.

SECT. II.

De fine seu summo Bono.

His autem assertionibus, sic pergit Sextus, de illis, quæ ad judicium pertinent, convenire etiam videntur, quæ de finibus dicunt. p. 171.

Nempe ex affectionibus aliæ sunt jucundæ, aliæ vero asperæ & molestæ, medii generis aliæ. Et asperas quidem ac molestas malas esse ajunt

qui,

quarum finis sit dolor. Jucundas autem bonas, quarum finis, qui falli nequeat, sit voluptas. Quæ autẽ sint intermediæ nec bonas esse nec malas, quarum finis quoque nec bonus sit nec malus, qui quidem sit affectio inter voluptatem & dolorẽ media. Affectiones ergo omnium rerum iudices esse & fines, & vivere nos eas sequentes, evidentiæ & jucunditati intentos, evidentiæ quidem in aliis affectionibus, jucunditati autem in voluptate. Laert. II, 86.

Duas etiam affectiones sive passiones eos statuere, a Laertio habemus, dolorem & voluptatem. Et voluptatem quidem lenem motum definire, dolorem vero motum asperum. Nihil differre a voluptate voluptatem, neque aliud alio magis volupe esse; atque illam quidem cuncta animantia appetere, hunc vero reformidare. Laert. II, 87

Voluptatem porro corporis ultimum hominis finem statuunt, ut Panætius affirmat in libro de sectis, neque voluptatem tamen *stantem*, καταστηματικὴν, qualem Epicurus pro fine habebat, quæ consistit in indolentia, & quiete, ab omnibus perturbationibus immuni.

Finis autem juxta eos a vita beata differt, finem quippe esse particularem voluptatem, beatam autem vitam ex collectione huiusmodi voluptatum particularium existere, quibus & præteritæ connumerentur, & futuræ. Particularem quoque voluptatem propter se eligendam, beatitudinem vero non propter se, sed propter particulares voluptates esse optandam. Laert. II, 88

Finem voluptatem habendam argumento nobis esse, quod a pueris nobis natura conciliaverit, absque institutione, quodque, cum illa fruimur, nihil amplius quæramus. Versa vice nihil nos æque quam oppositum ei dolorem abhorrere. Voluptatem bonam esse ajebant etsi a turpissimis rebus proveniat, ut Hippobolus docet in libro de sectis, licet enim actio in se sit parum honesta, voluptatem tamen in se spectatam & bonam esse & expetendam.

Indolentiam, quam Epicurus tuetur, voluptatem non putant, neque privationem voluptatis pro dolore habent, nam & voluptatem & dolorem motu absolvi, indolentiam vero & voluptatis carentiam motum haut esse, sed hominis dormientis conditionem referre. Laert. II, 89.

Posse quosdam aiunt voluptatem appetere minus, ob animi perversitatem. ibid.

Neque tamen omnes animi voluptates atque dolores ex corporis voluptatibus doloribusve existere statuunt, solam enim patriæ, & nostrummet ipsorum, prosperitatem voluptatem animis nostris posse afferre. ibid.

Nec tamen ex memoria præteritorum, aut expectatione futurorum bonorum, perfectam voluptatem existere posse, ut visum est Epicuro, motum animi enim tempore solvi atque dilabi. ibid. Nempe μονόχρονον voluptatem esse aiebat, in momento temporis consistentem præsenti. Athen. XII p. 544. B. Vanam enim esse præteritorum memoriam futurorumve expectationem, ac frivolam, neque ad beatitudinem pertinere quicquam, solum enim, quod præsens est, bonum esse. Nempe eis, quas olim perceperit, vel deinceps sit percepturus voluptatibus, plane se moveri nihil Aristippus aiebat, quandoquidem illæ quidem diffugerint, hæ nondum accesserint, nec certum

sit,

Æl. V. H. XIV, 6. sit, quid iis, ubi advenerint, sit futurum. Hinc colligebat, solicitos mortales neque præsentibus teneri, neque futuris debere, constantisque & serenæ mentis argumentum esse, si talibus minus quis perturbari se patiatur. Suadebat etiam, ut præsentis tantum diei ratio haberetur, eaque die præsentis tantum partis ejus, qua rem quamvis, sive geramus, sive mente expendamus. Nempe præsentia tantum nostra aiebat esse, non vero præterita atque futura, illis jam elapsis, his incertis an unquam sint adventura.

Laer. II, 90. Neque solo visu autem vel auditu voluptates constare posse, quandoquidem eos, qui lamentationes imitantur, libenter audiamus, serio autem lamentantes illibenter, & sine voluptate.

Privationem autem voluptatis hujusmodi, aut doloris, medium statum esse.

Longe porro præstantiores esse corporis, quam animi facultates, deterioresque corporis, quam animi dolores, quocirca & his peccantes crudelissime exerceantur.

Dolorem naturam nostram abhorrere, cui maxime conveniat voluptas. Quare longe maiore cura opus sit, ut uni, quam ut alteri prospiciatur. * Sed tamen quandoque repudiamus res voluptati inservientes, tanquam quæ molestiam afferant, ut res difficillima sit coniunctio voluptatum, qua beata vita absolvatur.

Laer. II, 91. Placet etiam iis minime semper in voluptate vivere sapientem, vel dolere insipientem, ita tamen plerumque rem sese habere contendunt. Satis autem esse, si quis vel per unicam incidentem voluptatem suaviter afficiatur.

Dolorem summum malum dicere non dubitant. Nec omni tamen malo eum excitari censent, sed insperato nec opinato malo. Maioremque penes hos quam penes alios esse dolorem. Cic. Tusc. II, 6. Id. Tusc. III, 13. Laer. II 93.

Divitias præterea voluptates efficere, neque adeo propter se expetendas. Laer. II, 92.

SECT. III.

De virtute.

OMne bonum in voluptate posuerunt, virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod voluptatem efficeret. Cic. Offic. III, 33.

Nihil natura justum, honestumque, aut inhonestum esse, sed lege & consuetudine. Laert. II, 93. 99.

Virum tamen bonum ob imminentia damna nihil perperam acturum, opinionesque sinistras evitandas, atque eum esse sapientem. †

Prudentiam bonum esse, non propter seipsum appetendum tamen, sed eorum causa, quæ nobis ex illa proveniunt. Laer. II, 91

Amicum necessitatis causa amplectendum, nam & corporis partes, quamdiu adsunt amari. Laert. l. c.

Virtutes quasdam & imprudentibus esse communes. ibid.

Corporis exercitationem virtuti acquirendæ conducere. ibid.

Sapientem nunquam invidia laboraturum, neque cupiditati, neque superstitioni unquam cessurum, ista enim ex inani opinione existere. Dolori & metui obnoxium esse, hoc enim naturæ legem postulare. ibid.

R CAP.

* Malim; *Quare maxima industria utramque curant.*

† Ita vertendum ex Casaub. emendatione; modo non supersit vitium in textu.

CAP. V.

Ut ad Dionysium fuerit profectus.

Philostr. vit. Apollon. I, 35. EA ætate Dionysius Siciliæ tyrannidem obtinebat, ad quem haut pauci philosophorum abierunt, in quibus & Aristippus fuit, magnificentia tyranni & profusa
Laert. II, 78. liberalitate invitatus. Interroganti igitur Dionysio *cujusnam rei gratia venisset? ut, quæ habeo impertiar,* respondit, *& quæ non habeo, accipiam*: Vel, ut alii narrant: *Quando sapientia egebam, Socratem adivi, nunc pecunia opus habens ad te*
Laert. II, 66 *veni*. Facile autem se ad Dionysii animum insinuabat, ingenium enim ei facile, ut se accommodare & loco, & tempori, & hominibus, nosset: omnesque obire posset partes, & quicquid contingeret, in optimam vertere partem. Atque ita præsentibus fruens, ut absentibus uteretur non laborabat. Nempe ut Hora-
L. I. Ep. XVII. v. 23. tius canit.

Omnis Aristippum decuit color, & status, & res.

Quam belle vero ipsi cum Dionysii ingenio convenerit sequentia abunde exempla docent. Jusserat
Laert. II, 78. aliquando Dionysius in convivio, ut singuli in veste purpurea comparerent, id se facturum Plato negavit, dicens:

Effeminata veste non possum tegi.

eam vero Aristippus induit, & cum saltare inciperet, hilari facie dixit:

sacris nec Liberi
Patris pudica mens, puto, corrumpitur,

Laert. II, 79. Cumque alio tempore pro amicis quibusdam suis apud Dionysium intercederet, illeque audire nollet, ipse ad pedes ejus provolutus, postremo, quod vellet, impetravit. Quod factum, cum ei exprobraret nonnemo: *Non ego,* dixit, *culpandus eram, sed Dionysius, qui aures in pedibus habet.*

Tres formosissimas meretrices Laert. II, 67
cum ei Dionysius adduci jussisset, ut, quam vellet, eligeret, omnes ille simul abduxit, *nec Paridi tutum fuisse,* inquiens, *quod unam prætulisset.* Sed tamen ad vestibulum deductas, rursus etiam omnes dimisit, non minus se in contemnendo, quam eligendo facilem ostendens. Quam ob causam Stratonem, vel, ut alii habent, Platonem ad eum dixisse ferunt: *Tibi soli & chlamydem & pannum ferre datum.* Nempe mirabantur eum, quod miles perinde pallio, ac scrutis, apte sese atque decore nosset accommodare.

Consputus a Dionysio, æquo id Laert. II, 68
animo tulit. Quamobrem cum argueretur a nonnemine, *Piscatores,* inquit, *ut gobium venentur, mari se patiuntur adspergi, ego vero, ut Blennum* capiam, an improbo dicto me aspergi non paterer?*

Pecuniam cum peteret a Diony- Laert. II, 82
sio; & vero *nulla re sapientem indigere,* ille ab eo se didicisse diceret: *da modo* aiebat, *de hoc enim postea viderimus.* Cumque accepisset, *videsne* subiecit *me non egere?*

Hac morum facilitate, primus ut esset Dionysii gratia in ceteris sapientibus omnibus consecutus est, quam-

* In Græco textu est βλέννος, quod est piscis majoris genus, quam vocem tamen pronunciatio æquivocam reddit, ea enim non multum differt a βλῆνος, quod tyrannum notare in Lexico Ms. invenio, quod mecum communicavit, doctissimus mihique amicissimus Jo. Pearson. βλῆνος ὁ τύραννος. βλέννος ὁ ἰχθύς. Et rursus Βελονιχθύς ὁ καὶ κλῖνος leg. Βλέννος, τετραλίνιος κωβιός. quod firmat Athenæus L. XVII. c. 10. *Stanlei.*

quamvis ita liberum se quandoque dicendo ostenderet, ut offensam ejus incurreret.

Laert. II, 72. Cumque ex eo percontaretur Dionysius, *quid esset, quod divitum limina philosophi frequentarent, non versa vice divites limina philosophorum*: *Quoniam*, respondit, *norunt illi, quibus opus habeant, at isti ignorant*.

Laer. II, 68. Cogente eum aliquando Dionysio, ut de philosophicis rebus dissereret: *Ridiculum*, dixit, *est, quod quidem me, ut loquar, interrogas, quando tamen oporteat loqui, ipse praescribas*. Quamobrem indignatus Dionysius infimo omnium loco jussit accumbere: quod, nihil commotior, fecit, *honoratiorem*, inquiens, *hunc locum facere voluisti*. Proxima die interrogatus a tyranno, *quid sibi de illo loco, quem tenuisset, videretur, comparanti eum cum loco, quem praecedente cœna occupaverat*. *Nihil sibi differre*, aiebat, *videri*. Nempe addebat, *hodie contemnitur quidem, eum postquam destitui, honorificus qui videbatur hesterna luce: sic quem hodie teneo locum honorificus est maxime, qui heri a me non occupatus pro infimo habebatur*.

Ath. L. XII p. 544. ex Hegesandr.

Interrogatus quanam re Dionysii offensam incurrisset? *Eadem*, respondit, *qua alii*.

Plut. Pompei. P. 661. A. Cum Dionysius versus istos Sophoclis, cujus eos esse Plutarchus testatur, (Zenoni tamen hæc evenisse aiens,) recitasset.

Quisquis tyrannum accesserit frequentius

Fit servus illi, sit licet liberrimus

ex tempore Aristippus respondit:

Non serviet, si liber ante venerit.

Cumque magnam auri vim Platoni Dionysius offerret, quam ille accipere nollet, Aristippus eodem tempore in aula eius vivens dixit, *prudenter vero liberalitatem exercet Dionysius, nobis multa postulantibus exigua, nihil petenti Platoni maxima concedit*.

Cum aliquo tempore ex Platonis familiaribus nonnemo, cui Heliconis nomen, solis prædixisset deliquium, eaque prædictione, quod eventus exacte respondisset, apud omnes maximo in honore esset; Aristippus apud alios philosophos jocatus, se quidem rem longe magis inexpectatam antea coniicere posse dixit. Cumque illi, quodnam vero id esset, interrogarent. *Platonem & Dionysium*, inquit, *paulo post inimicos futuros prædico*, idque eventu fuit comprobatum. Plut. Dion. ayf. p. 669.

CAP. VI.

Æmuli ejus.

Gratia autem, qua apud Dionysium valebat, in causa fuisse videtur cur ab aliis philosophis passim traduceretur, in quibus

Xenophon, qui, quod male ei cuperet, ejus cum Socrate de voluptate disputationem publicavit. Laer. II, 65. Xenoph. mem. II. init. Laer. I, 6.

Sed & *Plato*, quod minus ei faveret, tacite eum rodit in Phædone, eo quod Socrate ex hac vita discedente Æginæ vitam ageret. Idem, cum in aula Dionysii versarentur ambo, luxum ejus reprehendit. Cui Aristippus quæstionem opposuit, *an pro bono haberet viro Dionysium, an minus?* Plato *se bonum existimare*, respondit. *At vero*, Aristippus aiebat, *multo majore ille vivit impensa, hocque adeo, quo minus qui bonus existat, haut obstat*. Laert. II, 69

Sed & *Phædo* eum deridebat. Cui interroganti, quis sit, qui unguenta oleat? *Ego sum*, Aristippus respon- Id. II, 76. Sen. de benef. VII 25. Clem. Al. Pædag. II. p. 179. D.

dit, *misellus homo, & me miserior Persarum Rex. Ceterum vide, ne ut aliæ animantes nihil propterea amittunt, sic ne homo quidem. Mali vero male pereant cinædi, qui unguenta nobis exprobrant.*

Laert. II. 82. Sed & *Æschini* male quandoque cum ipso convenit. Cumq; aliquando irati sibi invicem fuissent aliquamdiu, Aristippus prior eum affatus, *annon redibimus*, ait, *in gratiam? annon delirandi faciemus finem? Num expectabis, donec aliquis nos scurra inter pocula reconciliet?* Tum Æschines, *lubentissime*, inquit: *Memento ergo*, Aristippus subjecit, *quod ad te, major licet natu, prior accesserim*. Tum Æschines, *recte quidem*, inquit, *nam longe me virtute superas, ego enim rixæ, tu reconciliationis autor fuisti.* De ira cohib. p. 462. D. Eandem rem ita Plutarchus refert: Æschines cum ab Aristippo animo dissideret, hic, a nonnemine interrogatus, ubi nunc vestra illa Aristippe amicitia? *dormire eam*, respondit, *sed in eo se esse, ut suscitet*. Æschineque oblato, *itane*, dixit, *prorsus ego tibi desperato ingenio & insanabili esse videor, ut castigatione etiam putes indignum?* Cui Æschines, *nihil*, ait, *mirum est, si aliis rebus omnibus ingenio superior, heic quoque prior, quid facto opus sit, persenseris.*

Socratic. Ep. IX. ironice priori Antisthenis epistolæ respondens. Denique & *Antisthenes* est in eis, quibus ejus ingenium displicebat, quod apparet ex epistola ejus, cujus illud est argumentum, inter Socraticas extans, cui ita fere respondit Aristippus.

ARISTIPPUS ANTISTHENI.

Aristippus sum, quam dici possit, miserior. Qui enim non sim, cui cum tyranno exigenda est ætas, cibi & potus quotidie impleto lauticiis, unguentis diffluenti, Tarentina incedenti veste? Neque est profecto, qui Dionysii me crudelitati subducere velit, qui me non rudem, verum Socratis tinctum sapientia detinet, cibos ut dixi, unguenta, vestes subministrans, hominum Deorumve nihil reformidans judicium. Verum accedit jam ad istum malorum cumulum, quod Siculas mihi donaverit puellas tres, formæ maxime emendatæ, vasaque argentea plurima, neque, quando ita se gerendi finem sit facturus, satis novi. Recte igitur facis, aliorum qui indoleas miseriæ, cui affectui tuo, ut gratum me præbeam, tuam tibi gratulor felicitatem, tibique gratias habeo. Vale.

Ficus, quas habes, & farinam Cretensem hyemi instanti asserva, omnibus enim ista opibus* pręstant. Prębeat tibi idem Enneacrunos fons & potum & lavacrum. Sit tibi eadem æstate & hyeme vestis, sordida ut decet ingenuum hominem, in libera Atheniensium republica vitam agentem. Me quod attinet, cum primum in insulam urbemque tyranno obnoxiam, delatus essem, animus præsagiebat, mala ea subiturum, de quibus in litteris tuis scribis. Iamque me Syracusii, Agrigentini, Geloi, & quicquid est Siculorum, miserantes** mirantur, Sed

* Pro χρώματος scribo χράματος, quod dicitur pro χρήματος. Sic χρᾶμα quoque legitur in Ep. XI. fin. ἀντὶ χρήματος ironice. Stanl.

** Ponenda post γελῶσι est στιγμὴ posteaque legendum νῦν δὲ οἱ λαοί τέ με περιβλέποντι Dorice. Ironia arguta & ad risum movendum composita περιβλέπειν enim est rem cum admiratione spectare, quæ in miserantes non cadit. *Stanl.*

Sed ut stultitiam meam * castigem, quæ me improvide, in hæcce præcipitem dedit absurda, ipse mihi, ne unquam ista mala evadam, imprecor. Quandoquidem ** matura ætate, & sapientiæ studiis imbutus famem & frigus ut subirem, gloriam contemnerem, barbam promitterem, animum non potui inducere. Lupinos tibi mittam comedendos, postquam Herculem pueris te ostendisti, quod dictis scriptisque repetere, minime te existimare alienum aiunt. Lupinos vero apud Dionysium commemorantem contra tyrannidis leges peccaturum puto. Quod superest Simonem coriarium te adire velim, ut cum eo sermones misceas, eo enim magis sapere quenquam tibi non facile persuadere posse novi. Nam mihi quidem cum mechanicorum operis familiaritatem non licet inire, qui aliorum imperio sim obnoxius.

Hac tamen altercatione non obstante, gratiam, qua in aula valebat, in *Antisthenis* usum vertere non hæsitavit Aristippus: amicos quosdam eius, qui ad mortem condemnati fuerant, deprecatus, quod ex sequente ad *Antisthenem* epistola eius colligitur: (Ep. Socratic. XI.)

„Locri iuvenes, quos mihi commendaveras, liberi dimittentur, „neque capitis supplicium, neque „mulctam subituri, in confiniis li„cet mortis iam constituti. Nolim tamen * ut Antisthenes rescifcat, mea cura amicos eius servatos esse, ferre enim non potest, ut tyrannos quis sequatur, cum pistoribus & cauponibus, qui victum Athenis sive fraude vendunt, & tunicas densas, hyemi depellendę, servis itidem Simonis ** conversandum dictitans. Heic enim opes nullæ.

(* Ad Antisthen. scripta epistola, hocque dictum ironice esse videtur.)

(** coll. arti. Laert. II, 66.)

Antisthenis, magistri sui, exemplum secutus est *Diogenes*, ipse quoque Aristippum irridens, & aulicum canem eum appellitans. Quin & dum olera ipse ablueret, prętereuntem ita est affatus: *Ista tu si apparare tibi didicisses, nihil necesse esset, ut tyrannorum oberrares liminibus*. Cui Aristippus: *Tu vero, si cum viris versari didicisses, non esset, cur herbas ablueres*. Quod ita expressit Horatius: (Epist. L. I. Ep. XVII. v. 13. sq.)

Si prāderet olus patienter Regibus uti
Nollet Aristippus. Si sciret Regibus uti
Fastidiret olus, qui me notat —
Scurror ego ipse mihi, populo tu, rectius, hoc &
Splendidus multo est, equus ut me portet, alat Rex.
Officium facio. Tu poscis vilia: verum es
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem. (Laert. II, 65.)

Theodorus etiam in libro de sectis Aristippum perstringit, eundemque qui derideat, servum Alexis comicus inducit in Galatea, his verbis:

Vacavit herus Rhetorum quondam scholis,
Dum iuvenis esset, post Sophistæ adhæserat.
Ortum Cyrene narrat ipse nobilem,
Ævi & Sophistam primum, Aristippum sui:
Omnis fututorē sed avi maximum.
Auditor ergo fit Talento præstito.
Hic herus, arte sed parum profecerat.
Hinc mox culinam prætulit Sophistica.

* Legendum τᾶς δὲ μανίας περὶ ἃ ἔφραζον.

** forte leg. ὅτι δὴ.

CAP. VI.

Apophthegmata eius.

Suid. APophthegmata eius, quo genere omnes philosophos acumine superare credebatur, sequentia ad nostram memoriam pervenere.

Laert II.66 Cum perdice, L drachmis emta, reprehensionem incurreret, *tu eam*, dixit, *obolo non emeres?* Cumque annueret alter: *Mihi vero*, inquit, *tantundem L. valent drachmæ*.

Id. II, 68. Beneficium maximum quod esset, quo a philosophia se existimaret affectum, interrogatus, *hoc*, respondit, *quod intrepide cum omnibus versari queam*.

Ibid. Reprehensus, quod exquisite & multis sumtibus viveret: *si vituperandum hoc esset*, ait, *profecto in Deorum non fieret solemnibus*.

Ibid. Ab alio quid philosophi reliquis mortalibus differrent interrogatus, hoc ajebat, *quod si omnes leges intereant, æquabiliter tamen simus victuri*.

Laert. II, 69. Vicissim quærente ex eo nonnemine, quanam re a doctis indocti distarent? *eo*, inquit, *quo differunt ab indomitis equis domiti*.

ibid. Ingressus aliquando meretricis cubiculum, cum adolescentibus non nullis, eorum aliquem erubescere videns; *Non*, inquit, *ingredi turpe est, sed egredi non posse, turpe est*.

Laert. II, 70. Cum propositum ægnigma, ut solveret, a nonnemine urgeretur; *Quid*, inquit, *stulte, vis, ut solvam, quod ligatum nobis materiam prabet discursus*:

Ibid. *Præstare*, aiebat, *mendicum quam indoctum esse, illum opibus enim, hunc humanitate destitui*.

ibid. Conviciis aliquando lacessitus, subito abivit. Convitiatore vero; quid fugeret? interrogante, *Quoniam*, inquit, *maledicendi tu potestatem, non audiendi ego, habemus*.

Dicenti cuidam, se philosophos semper divitum limina obsidentes videre. *Et medicos* inquit, *languentium ianuas terentes vides, nemo tamen est, qui ægrotus malit quam medicus esse*. ibid.

Glorianti, quod multa didicisset; *Sicuti*, ait, *non ei, qui plurimum comedunt, plurimumque in Gymnasio exercentur, rectius valent, quam qui necessariis implentur, ita nec qui plurima, sed qui utilissima lectione colligerunt, sunt magis eruditi*. Laert. II 71

Oratori, qui causam pro Aristippo vicerat, sciscitanti, quid Socrates igitur tibi profuit? *Hoc*, inquiebat: *ut quæ pro me dixisti, vera præstem*. Ibid.

Aretam, filiam suam, præclaris monitis instituebat, exercens eam, ut id, quod nimium esset, contemneret. Laert. II, 72.

Rogatus a nonnemine, quid ab eruditione emolumenti filio suo sit expectandum? *Si aliud nihil, hoc saltem*, respondit, *ne in theatro lapis lapidi insideat*. ibid. s.

Cum filium quispiam ei commendasset instituendum, D drachmas postulavit, eoque dicente tanti emere mancipium possum; *eme*, respondit, *& habebis duo: filium servumque emtitium*. Ibid.

Pecuniam se ab amicis non in proprios usus, sed ut scirent, cui usui esse debeant opes, accipere dicebat. ibid.

Exprobranti, quod Rhetorem con duxisset, causam suam qui ageret. *Coquum etiam*, respondit, *ubi convivari libuerit, conduco*. Ibid.

De natandi peritia glorianti, *non-* Laert. II, 73.

re

ne pudet, aiebat, *de his, quæ Delphini etiam possint gloriari?*

ibid. Quid sapiens ab eo, qui sapientiæ studia non excoluisset, differret? interrogatus, *Utrumque nudum ad eos quibus ignoti sint mittendum*, aiebat, *tum enim, quid distent apparitum.*

ibid. Alii, sibi placenti, quod vino se largius invitare, sine crapula, posset, *hoc etiam mulum posse*, respondit.

ibid. Reprehensus, quod pecuniam pro institutione acciperet, Socratis discipulus qui sit; *Merito autem*, inquit, *accipio. Socrates enim submisse sibi a nonnemine vino atque tritico, paucis in usus suos reservatis, cetera præmisit. Habuit nempe ille rei suæ curatores Atheniensium principes, Eutychidem ego, emptitium servum.*

Laert. II. 75. Athen. XIII. p. 544. Platonis reprehensionem, quod magnam piscium vim sibi comparasset, cum incurrisset, *obolo*, dixit, *eos emi, nonne vero pretio isto ipse quoq; comparasses?* Cumque annuisset Plato, *non ego ergo luxui, sed tu avaritiæ crimine teneris*, dixit.

Laert. l. c. Simus, Dionysii quæstor, Phryx gente, pessimorum morum, domum suam eum deduxit, pavimentis ex marmore magnifice ornatam, in cuius faciem Aristippus despuit, *locum magis opportunum se videre nullum* affirmans.

Laert. II. 76. Ut Socrates mortuus sit interrogatus, *ita* respondit, *ut ipse cum maxime cuperem.*

ibid. Polyxenus Sophista, in domum eius veniens, mulieres conspicatus, & cœnam magnifice instructam, invehere in istum cœpit luxum. Continuit se Aristippus parumper, atque tum, ut ipse una cœnaret, eum invitavit. Cumque ille se accipere invitationem testatus esset; *Cur ergo*, inquit, *mihi exprobrabas? nempe non tam ciborum delicias, quam sumtus aversari videris.*

Gestabat servus in itinere pecuniam, cumque onere lassaretur, quod grave est *effunde*, aiebat, *& fer, quod potes.* Ea de re ita Horatius; L. II. Sat. III. v. 100.

Græcus Aristippus, qui servos proiicere aurum,
In media jussit Lydia, quia tardius irent.

Navigans, cum navem, qua vehebatur, piraticam esse rescivisset, pecuniam ex arca depromptam numeravit, postea in mare ut excideret, quasi invito sibi & ingemiscenti, effecit. Feruntque dixisse, *præstat ut ista Aristippi causa, quam ut Aristippus in gratiam istorum pereat.* Laert. II. 77.

Homines, in auctionibus variam supellectilem inspicientes, reprehendebat, *quod vitam simili studio quisque suam non examinaret.* ibid.

In Asia moratus, cum ab Artapherne satrapa comprehensus fuisset, ubi nunc vero tua illa confidentia est? nonnemine ajente, *Stulte*, respondit, *confidens ne sim, si non hoc tempore fuerim, quo cum Artapherne mihi loquendum.* Laert. II. 79.

Eos, qui (liberalibus artibus imbuti) philosophiæ studia omisissent, ut ad mechanicas artes sese conferrent, cum Penelopes procis comparandos* ajebat; *illos enim & Melantho & Polydoram, ceterasque ancillas omnes sibi conciliare. Dominam haut vincere potuisse.*

* Hæc omissa Stanlejo, sine quibus tamen integer sensus non fuit.

Cui geminum Aristonis istud: *Ulyssi, ad inferos delapso, cum mortuis fere omnibus ut colloqueretur datum esse, Reginam ne videre quidem licuisse.* Laert. II. 80.

Rogatus, quænam pueros inge- ibid.

nuos discere deceat? *Ea* inquit, *quæ viris usui sunt futura*.

Ibid. παιδείας παιδιᾶς

Exprobranti, quod a Socrate ad Dionysium se contulisset; *Atqui*, inquit, *doctrina indigus ad Socratem sum profectus, ad Dionysium vero recreatione & lusibus opus habens*.

Ibid.

Meretrice ei dicente, quod uterum gestaret ex eo. *Non*, inquit, *hoc magis nosti, quam per spinas densissimas ambulans dicere potest, ista me sauciavit*.

Cuidam, quod a Dionysio pecunias accepisset, Platone libris ab eodem donato, improperanti, respondit: *Nempe pecunia ego, Plato libris opus habebat*.

Plut. de Tranq. An. p. 469. C.

Prædio amisso egregio, condolenti ob jacturam, *unicum*, ait, *habes agellum, mihi tres adhuc relinquuntur. Annon igitur tibi potius condolendum*. Nempe stolidum est, ut ait Plutarchus, amissa lugere, & non potius lætari de iis, quæ relinquuntur nobis.

Anton. & Max. serm. 35.

Cum ei obiiceret aliquis, diceretque, propter te periit ager, *annon*, inquit, *melius propter me agrum, quam propter agrum me perire*?

Iid. serm. 56.

Iratum conspicatus nonneminem, verbisque iræ indulgentem, *non*, inquit, *iræ verba accommodemus, sed extinguere verbis conemur iram*.

Iid. serm. 123. μικρὸν κακὸν μὲν, μέγα δὲ καλόν.

Mulierem, parva statura, sed emendatissima forma videns, *parvum inquit malum, sed magnum bonum (pulchrum.)* Qui invertenda vero hæc putant leguntque, *exiguum bonum, (pulchrum) sed magnum malum*, male sententiam Aristippi accipiunt, qui ad pervulgatam sententiam alludendo, eam invertit, ut ingenio suo, voluptates ubique sectanti, eam accommodet.

Iid. serm. 124. οὐ μὲν γὰρ καλὴν κοινὴν ἕξεις εἰ δὲ φαύλην ποινήν.

Ab alio interrogatus, an matrimonii ineundi sibi sit autor? *minime ego quidem*, respondit, *si formosam enim duxeris, communem habebis, sin autem deformem, pœna tibi fuerit*.

Iid. serm. 134.

Juvenes hortari solebat, *ut ejusmodi sibi comparare discerent commeatum, cum quo in naufragio quoque enatare valerent*.

Stob. serm. 92.

Dicere item solebat, *non quemadmodum calceus major usui parum idoneus est, ita & cum opibus majoribus se rem habere. Calcei enim magnitudinem, si pedis mensuram excedat, usum impedire. Opibus autem vel universis, vel ex parte, ubi opportunum fuerit, uti licere*.

CAP. VII.

Scripta ejus.

Laert. II. 84.

SUnt, qui nihil omnino scriptum eum reliquisse affirmant, in quibus & Sosicrates est. Alii aiunt scripsisse Historiæ Libycæ libros tres, Dionysio inscriptos. Dialogos XXV, (vel potius XXIII, vitium enim in numero esse videtur,) uno volumine comprehensos. Dialecto Attica quosdam, reliquos Dorica, quorum isti sunt tituli: 1 *Artabazus*, 2 *ad naufragos*, 3 *ad exules*, 4 *ad pauperem*, 5 *ad Laidem* 6 *ad Porum*, 7 *ad Laidem de speculo* 8 *Hermias*, 9 *somnium*, 10 *ad pocillatorem*. 11 *Philomelus*, 12 *ad servos*, 13 *ad eos, qui vino vetusto & scortis eum indulgere ægre ferebant*, 14 *ad obtrectatores ob convivia ei frequentata*, 15 *Epistola ad Areten*, 16 *ad eum, qui seipsum ad Olympica exercebat*, 17 *interrogatio*, 18 *alia interrogatio*. 19 *Chria* * *ad Dionysium*,

* Chria est brevis & concinna dicti vel facti alicujus relatio. Earum tertiam

stum, 20 *alia in imaginem*, 21 *alia ad filiam Dionysii*, 22 *ad eum, qui se contemtui esse putabat*, 23 *ad eum, qui consulere parabat*. Porro eius sunt *exercitationum libri VI. De voluptate liber*, Laertio in vita Epicuri (*a*) memoratus. De *Pysiologia*, ex qua allegatum Laertio, (*b*) Pythagoram hoc nomine esse appellatum, quod æque ac Pythius certe loqueretur: *De veterum luxu libri quatuor* exempla eorum complexi, qui amori & voluptatibus se permisere, v. g. amores Empedoclis in Pausaniam (*c*) in libro primo: Crateæ in filium Periandrum, (*d*) Aristotelis in Hermiæ concubinam (*e*) in libro quarto. Socratis in Alcibiadem, (*f*) Xenophontis in Cliniam, (*g*) Platonis in Astera, (*h*) Xenocratis in Polemonem. (*i*) Quæ tamen postrema exempla non nostrum esse Aristippum, qui horum librorum extitit autor, luculenter demonstrant.

a Laert. X. 4. b Laert. IIX. 21. c id. IIX. 60. d Id. I. 69. e Id. V. 3. f Id. II. 23. g Id. II. 48. h Id. III. 29. i Id. IV. 19.

Epistolæ eius IV. prostant in collectione epistolarum Socraticarum, quas publici iuris Leo Allatius fecit:

Laert. II, 83. Sotion & Panætius ita eius tractatuum recensionem instituunt: *De disciplina, de virtute exhortatorius, Artabazus, naufragus, exul, exercitationes VI. Chria tres, ad Laidem, ad Porum, ad Socratem, de fortuna*.

CAP. IIX.

Mors eius.

CUm tempore haut exiguo versatus cum Dionysio fuisset, filia Arete ad eum postremo misit, atque, ut ad se Cyrenen rediret, oravit, ut rebus suis prospiceret: periculum enim esse aiebat, ne a magistratibus opprimatur. Quo facto Dionysio valedixit Aristippus, atque in itinere morbo correptus Liparæ, quæ Æolia insula est, navem relinquere coactus est, ubi & diem obiit, ut colligere est ex sequente epistola eius ad filiam Aretē scripta.

ARISTIPPUS ARETÆ.

Epist. Socratic. XXVII. * ita supplevit Allatius.

Litteras ad me tuas Teleus reddidit, *quibus impense precaris, ut quam citissime Cyrenem advolem, quod non succedunt ex animo res tuæ, Præfectorum caussa; & virtuus verecundia impeditus, suetusque longe a civilibus tumultibus vitam agere, domesticas res administrare minus idoneus sit. Venia igitur impetrata a Dionysio ad te navigandi, qui, officium quo minus facerem adversum te, mihi fuit impedimento, in Lipara insula morbo sum afflictatus, ubi Sonici familiares optimam mihi navarunt operam, provide me curantes, & illis humanitatis officiis, quæ orco proximus ab amicis poterat expectare. De eo vero, quod scribis, qualem scilicet honorem deferre debeas iis, qui a me liberi facti sunt, & qui contendebant, nunquam se Aristippum deserturos, donec ipsis vires suppeterent, omniaque illi, tibique grata facturos, fac sis ipsis in omnibus credas. Ex mea etenim suppellectile id habebunt, ne sint mali. Tu vero id a me consilium habeas, bene te cum principibus gere, ut consilium meum proficuum sit: eritque, si a plurimis aucupandis animam avertas. Rerum etenim supervacanearum possessionem contemnens commodissime ætatem transegeris. Neque

ad filium Dionysii Vossius operi de Historicis Græc. inseruit. Quæ si historica fuit, ejusdem generis & reliquas duas fuisse verosimile est.

Neque enim adeo in te erunt injusti, ut, demtis omnibus, te mendicantem vivere cogant. Duo namque viridaria, quæ supererunt, & splendido & sumtuoso vitæ generi suffecerint. Quæ vero in Bernice est possessio, si vel sola concedatur, abunde pusillis nobis vitæ commoda, usus que, subministrabit. Non id jubeo, ut despicatui habeas res exiguas, sed ne ob parva turberis, nempe & in magnis turbari non est laudabile. Si vero naturæ cessero, avesq; modum consilii mei ad quam optime instruendum Aristippum; Athenas petito, ubi Xanthippam & Myrto, præ omnibus æstimato, quæ me sæpius rogarunt, ut te ad sacra Eleusinia adducerem. Hoc itaque dulcissimo vitæ modo cum iis utens, Præfectis Cyrenæis concede, ut ad libidinem usque injusti sint. Tibi namque in naturali fine, qui est voluptas, injuriam non inferent. Tui autem illi conatus sint, ut una cum Xanthippe & Myrto vivas ea ratione, qua mihi cum Socrate vivere moris erat, magis ac magis earum societate, a qua fastus, ac gravitas longe submoventur, te ipsam adornando: si citius Tyrocles, Socratis filius, Cyrenem advenerit, qui mecum apud Megara vivebat, optime a te id actum erit, si vivendi modulum communicaveris, & illum æque atque filium tuum honoraveris. Filiam, si non vis alere, in enutriendis enim pueris maximis te molestiis implicari affirmas, filiolam Euboidis, quam large & liberaliter tractasti, & in mei gratiam meę matris nomine decorasti, & ego ipse etiam sæpissime illam amicam compellavi, adhibe. Porro ante alia parvuli Aristipi curam gerito, ut nobis dignus, atque philosophia, quam illi solam, sed veram, firmamque hæreditatem relinquo, evadat. Reliqua enim vitæ necessaria principes Cyrenæos adversarios habent: de Philosophia vero, nec verbum mihi scripsisti, quod eam aliquis tibi eripuerit. Delectare itaque summopere, bona mulier, illas possidens divitias, quæ sub tua potestate sint, quarum filium possessorem facito; quem vellem ipse jam meum filium esse; sed quando hac spe frustratus dissolvor, confido, eum a te per semitam bonis viris familiarem deductum iri. Vale; & de nobis gemitus, ac lamentationes compescito.

Liberos ejus, *Areten* istam, filiam commemorant, filiumque præterea, philosophiæ innutritum studiis, quem tamen ob ingenii stuporem exhæredavit, & familia expulit. Quam ob rem ab uxore increpatus, admonente ab ipso eum esse, exspuit, *hoc quoque a me est*, inquiens, *sed nulli usui est mihi*. *Vel*, ut Laertio relatum, *pediculi quoque & pituita a nobis sunt, quæ tamen velut inutilia a nobis quam longissime projicimus*. Stobæus serm. 74. Laert. II. 81.

Arete filium habuit, avi *Aristippi* nomine appellatum, qui a matris institutione μητροδίδακτος tulit cognomen. Laert. II. 85.

Præter duos autem illos, avum atque nepotem, *Aristippum*, alios eiusdem nominis *duos* Laertius memorat, *alterum historiæ* Aradicæ autorem, *alterum* ex Academia nova philosophum. Laert. II. 83.

CAP. IX.

Discipuli ejus & Successores.

AUditores Aristippi præter *Areten* filiam, quam magna cura instituit, animumque eius Laert. II. 85.

con-

consummata in rebus philosophicis eruditione imbuit, *Æthiops*, Ptolemaide ortus, & *Antipater* Cyrenensis commemorantur.

Arete philosophiam a parente acceptam, *Aristippo* iuniori, filio suo, tradidit, qui cum *Theodoro* Atheo eandem communicavit, Sectæ autore, quæ *Theodoria* fuit vocata.

Laert. II. 86. *Antipater*, Aristippi sapientiam cum *Epitimide* communicavit, discipulo suo, *Epitimides* cum *Parabata*, *Parabates* cum *Hegesia* & *Anniceride*, quorum postremi, de suo quædam cum adiecissent acceptis; nomen sectis dedere *Hegesiaca*, & *Anniceria*.

HEGESIAS.

CAP. I.

Vita ejus.

Cic. Tusc. I. 34. HEGESIAS, *Parabatæ* discipulus, πεισιθάνατος habuit cognomen, quod *mortis oratorem* notat. Eius rei causa fuit liber ab eo scriptus, qui ἀποκαρτερῶν dicebatur, quod a vita quidam per inediam discedens, revocatur ab amicis, quibus respondens demonstrat in hoc libro, multis mortem nos subducere malis, non bonis, vitæque humanę enumerare instituit incommoda, Valer. Maxim. VIII. 9. atque eo eloquentiæ apparatu vitæ fuit insecutus miserias, ut earum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret, ideoque a Rege Ptolemæo ulterius hac de re differere prohibitus est.

CAP. II.

Philosophia ejus:

AB eo discipulis *Hegesiacorum* hæsit nomen: Idem cum Cyrenaicis *summum bonum* amplectebantur, affirmantes insuper: Laert. II. 93.

Neque gratiam esse aliquid, neque amicitiam, neque beneficentiam, quod non per se ista omnia appetantur, sed usus ac necessitatis gratia, quæ, si absint, nec illa subsistere.

Vitam omni parte beatam consequi posse neminem, corpus quippe multis morbis passionibusque affligi, animam vero una cum corpore pati & perturbari, & plurima sperata a fortuna interverti.

Vitam mortemve eligere, rem esse nostri arbitrii.

Natura iucundum iniucundumve esse nihil, sed propter rerum vel raritatem, vel novitatem, vel satietatem, lætari alios, alios tristitia confici.

Neque paupertatem divitiasve ad voluptatis quidquam conferre rationem, neque enim exquisita magis, quam pauperes, voluptate diviores affici. Servitutem quoque ac libertatem, nobilitatem atque plebeiam sortem, gloriam & ignominiam, nihil hac ex parte differre.

Insipienti vitam in lucro esse, indifferentem sapienti.

Sapientem sui ipsius causa facere omnia oportere, neque alium quemvis sibi ipsi præferre.

Quamvis enim cum maxima ab aliis beneficia accipiat, non tamen ea horum, quæ ipse præstiterit, merita æquare.

Certam sensus nobis perceptionem neutiquam ingerere, ideoque

ea

ea facienda; quæ rationi conveniant.

Peccata veniam mereri, sponte enim peccare neminem; sed aliquo animi motum affectu.

Odio neminem habendum, sed erudiendos potius, qui odium mereri videantur.

Sapientem magis evitandis malis quam bonis indipiscendis fore intentum, proposito sibi eo fine, ut neque in labore vivat, neque in dolore; idque eos assequi, qui neutro modo a rebus voluptatem provocantibus afficiuntur.

ANNICERIS.

CAP. I.

Vita ejus.

Laert. III. 85. ANNICERIS, Cyrenæus, *Parabata* discipulus fuit. Epicureum fuisse dicit Suidas, atque Alexandri ætate vixisse. Equis curribusque regendis excelluisse dicitur, eiusque rei aliquando, Platone præsente, experimenta dedisse, iuncto curru, & in Academia aliquot cursibus peractis, quibus ita mensuram observaverit exacte, ut nunquam orbitam rotæ mutaverint, præsentibus omnibus, Platone excepto, obstupescentibus. Plato vero istam eius severe increpabat solertiam, *fieri non posse*, inquiens, *ut qui tantum studii in res nihili impendisset, alia graviora atque admiratione vere digna non neglexerit.*

Laert. III. 30. Cum vero Platonem, Dionysii iussu, Æginæ inter mancipia vendi contingeret, Anniceris ut præsens esset accidit, a quo XX, vel ut alii volunt, XXX minis redemtus, atque Athenis amicis suis restitutus fuit; qui cum reddere pecuniam statim Anniceridi cuperent, accipere noluit *non solos ipsos esse*, inquiens, *qui Platonis curam suscipere mereantur.*

Frater ipsi fuit *Nicoteles* Philosophus, discipulus celebris ille *Posidonius*. Suid. Amn.

CAP. II.

Philosophia ejus.

ANNICERII discipuli eius sunt vocati, qui cum ceteris omne bonum in voluptate posuerunt virtutemque laudandam eam ob rem censuerunt, quod efficiens esset voluptatis. In omnibus cum Hegesiacis sentiebant, amicitiam tamen relinquebant in vita, & gratiam, honoremque adversus parentes præclaraque pro patria facinora. Ceterum statuebant: Cic. Offic. III. 33. Laert. II. 96.

Sapientem, quamvis molestia subeat, atque labores, beate victurum nihilominus, etsi minimum ei fuerit voluptatis.

Amici felicitatem non per se expetendam; neque enim ejus sensum ad alterum pervenire, neque eam rem satis esse ad animum obfirmandum, atque, ut præclarius quam alii sentiat, erigendum: præterea oportere ita assuefacere animum, propter congenitam ei pravam dispositionem, * ut ne propter emolumenta

* Stanleius pariter ac Laertii interpres Latinus, malo exemplo sequentia a præcedentibus avellunt. cetera pessime explicare & interpolare conati sunt: frigidumque adeo sensum non elicere non potuerunt. Nempe hoc sensu Stanleius ista priora vertebat. *Amici felicitatem per se non esse expetendam: judicio enim cum aliquo consentire, vel erigi atque confirmari ultra quod vulgus sentiat, non satis est ad satisfaciendum rationi. Quin potius optimis rebus ut nos assuefaciamus oportet, propter congenitos nobis affectus, vitio contaminatos.* Spero Græca Laertii una cum scopo orationis attendentes, versionem nostram prælaturos.

menta tantum nostra amicum suscipiamus, iisque deficientibus ab ipso discedamus: sed ex benevolentia quadam, ob quam labores quoque non vereamur, ejus causa suscipiendos. Quamvis enim ultimum finem in voluptate constituant, eaque privati doleant, amicorum tamen gratia labores, quibus carere alias potuissent, subeundos esse agnoscebant.

THEODORUS.

CAP. I.

Vita ejus.

Laert. II. 98. Suid. Θεόδ. Plutarch. Plac. Phil. I. 7. Cic. de Nat. Deor. I. 1.

ANniceridem THEODORUS audivit, uti & Dionysium dialecticum, Zenonem Cittieum, & Pyrrhonem Ephecticum: *Atheus* dictus, quod Deos negaret, librumque scripsisset, vel, ut Suidas ait, libros, quibus omnia, quæ contra urgeri solent, refutaret, ex quibus plurima Epicuro desumta. Idem postea per abusum Θεὸς est dictus, cujus rei occasio disputatio fuit cum *Stilpone*, cujus ista summa extitit: Num credis, „ajebat *Stilpo*, te hoc „esse, quod te esse affirmas? cui cum „annueret *Theodorus*, *Stilpo* pergebat, si diceres igitur Deum te esse, num esses? cumque rursum „*Theodorus* assensum præbuisset; „eris igitur, subjunxit Stilpo, o „scelus, eadem ratione avis & quæcunque res alia.

Laert. II. 101.

Laert. II. 103. Laert. II. 101.

Eum Cyrenæi relegarunt, quibus ludens ajebat, *male facitis Cyrenæi ex Lybia in Græciam me expellentes*. Inde Athenas delatus, Areopagi judicio obnoxius, ad mortem damnatus fuisset, nisi Demetrii Phaleræi evasisset auxilio. Inde quoque ejectus, ad Ptolemæum Lagi se contulit, apud quem moratus, legatique munere ejus nomine ad Lysimachum defunctus est. Penes hunc vero cum impio ore quædam effutiisset, Lysimachus interrogavit, nonne tu *Theodorus* es ille, quem urbe prohibuere Athenienses? *ita est*, dixit, *mihi ferendo amplius impares Athenienses, ut Bacchum Semele ejecere*. Tum Lysimachus: ad me posthac ne accedas, cavere te velim. Cui ille, *Cavebo*, inquit, *quamdiu Ptolemæus non miserit*. Mithrus igitur, Regis filius, tum præsens, non Deos tantum, inquit, verum Reges etiam ignorare videris. Cui Theodorus, *Deos quomodo ignorem, quos tibi offensos credam*. Mortem ei Lysimacho minitante (*a*), *magnum* inquit, *effecisti, si cantharidis vim consecutus es*. *Vel*, ut Stobæus refert: *nesciebam te, virtute Regis destitutum, vim veneni habere*. Quo dicto accensus Lysimachus crucem ei minatus est (*b*). Theodorus vero, *istis quæso*, inquit, *ista horribilia minitare purpuratis tuis*. *Theodori quidem nihil interest, humine an sublime putrescat*.

Laert. II. 102.

a Cic. Tusc. V. 40. & ex eo Valer. Maxim. VI. 2. paulo aliter Sen de tranq. animi. c. VI. Plut. an vitios. ad infel. suff. p. 606. B

b Cic. Tusc. I. 43.

Postremo Cyrenen se contulit (*c*), atque cum *Mario* in magna vixit autoritate, hac ipsa in urbe, ex qua antea fuerat ejectus.

c Laert. II. 103.

Cum *Euryclide* autem (*d*), Sacerdote, disputans, interrogabat, *qualesnam essent, qui mysteria pollurent?* Respondet Euryclides, *qui cum non initiatis ea communicant*. *Polluis igitur*, Theodorus subjecit, *qui ea talibus impertiris*.

d Laert. II. 101.

Quod Aristippo & Diogeni (*e*) alii, id Theodoro nonnulli tribuunt, & Cynico Metrocleo, qui cum dixisset ad Aristippum, non opus haberes

e non idem plane sed geminum id est vid. f. vita Aristippi c. V.

beres illa discipulorum turba, herbas si ablueres, respondit, *tu vero, si cum hominibus nosses versari, herbas abluere non haberes necesse (f)*.

Laert. II. 103. Suid. Θεοδ. Laert. IV. 99. De *Hipparchia* demum, *Cratetis* uxore, dixit, *hac est illa, qua radiis apud telas relictis, pallium gestat*. *

CAP. II.

Philosophia ejusdem.

Suid. Σωκρατ. OMni genere eruditionis suos instituit, sectæque extitit autor, quæ *Theodoria* est appellata. *Indifferentiam* docebat, nihil res a se invicem differre docens.

Laert. II. 96. Finem opinatus est gaudium & mœrorem, alterum ob prudentiam, alterum ob imprudentiam.

Bona esse prudentiam atque justitiam, *mala* vero contrarios habitus, *media* voluptatem & dolorem.

Amicitiam sustulit, quam neque in sapientes, neque in insipientes cadere putabat. Hi enim, cum uti amicitia nesciant, rem a seipsa perire. Illos vero, cum sibi ipsis sufficiant, amicitia non indigere.

Rationi quoque consentaneum esse dicebat, ut ne pro patria mortem sibi arcessat vir sapiens, neque enim sapientiam, ut stultis bene sit, perire fas esse.

Communem patriam mundum esse.

Furto quoque, & Sacrilegio, & adulterio, sapientem, si res postulet, operam daturum. Nihil quippe horum turpe natura esse, si vulgaris de hisce opinio tollatur, quæ stultorum continendorum causa concinnata sit.

Sapientem publice absque ullo pudore veneri operaturum.

Argutiis usus hujusmodi est: Nonne mulier, litteris instructa, bona est, qua est litterata? Et puer & adolescens bonus, quod litteris animum imbuit? Perinde igitur & femina bona erit, quia forma valet. Et puer, quia pulcher est, erit bonus. Puer igitur atque puella ad hoc boni, ad quod forma eos instruxit natura: boni nempe ad usum formæ. * Multum autem in eo genere quæstionum valebat. * Pressius Laertii verba exprimere malui, quam Stanleii versionem sequi.

CAP. III.

Mors & scripta ejusdem.

AMphicrates ait, lege eum damnatum, ob Atheismum, periisse, hausto veneno. Scripsit autem præter ea, quæ ad philosophiam ejus pertinebant, alia haut pauca. Laert. II. 101. XX. *Theodoros* recenset Laertius, *primus* Samius est, Rhœci filius, qui carbones fundamentis Ephesini templi subiici suasit. Nam, cum humidum esset solum, carbones, ligni natura exuta, soliditatem accipere dicebat, cui nullus nocere posset humor.

Secundus Cyrenæus est, Geometra, ex cujus disciplina prodiit Plato. Philosophus *tertius*. *Quartus* libellum de vocis exercitatione scripsit. *Quintus* de legumlatoribus, ducto a Terpandro initio. Stoicus *sextus*. *Septimus* historiæ Romanæ autor. Syracusius *octavus*, qui Tactica scripsit. *Nonus* Byzantinus Sophista, qui civilibus orationibus famam indeptus est. Cujus gentilis fuit *decimus*, Aristoteli in Rhetorum epitome Suid. memoratus. Thebanus *undecimus*, statuarius. *Duodecimus* pictor, cujus mentio apud Polemonem. *Decimus tertius* pictor, Atheniensis de quo Menodotus. Ephesius *decimus quartus*, pictor itidem, de

* h. e. philosophatur. Nam pallium Philosophi gestabant.

de quo Theophanes in Tr. de pictura. *Decimus quintus* Poeta epigrammatum autor. *Decimus sextus*, qui de Poetis scripsit. *Decimus septimus* Medicus, Athenæi discipulus. *Duodevigesimus*, cui patria Chius, Stoicus. *Undevigesimus* Stoicus. *Vigesimus* Tragicus Poeta.

122.

BION.

CAP. I.

Vita Bionis.

Laert. IV, 46.

THeodoriæ sectæ addictus BION fuit, Borysthenita. Quibus vero sit ortus parentibus, & quibus ex rebus ad philosophiæ se contulerit studia, ipse Antigono aperuit. Scifcitante enim eo:

Ede tuum nomen, patriam, genus atque parentes.

Bio sentiens se apud Regem male audire: *pater meus*, respondit, *libertus fuit*, * *cubito se tergens*, † (Salsamentarium fuisse innuens,) *Borysthenita, frontem non habens; sed inscriptionem frontis, severi Domini argumentum. Matrem ex lupanari duxit, meretricem Lacedæmoniam, Olympiam appellatam, quale nempe ducere liceret ejus sortis homini. Fuit autem pater, nescio ob quod in rempublicam facinus, cum universa familia venundatus. Me adolescentulum haut invenustum orator emit, meque post fata hæredem instituit, cujus ego libris crematis atque discerptis, Athenas concessi, ibique animum ad philosophia studia applicui.*

* ἀπελεύθερος.

† Similia de Horatii patre in vita ejus habet Sueton. Athen. L. XIII. p. 591.

Hujus me esse patris, generis me glorior hujus.

Ista vero de me habui dicere. Desinantque jam Persæus & Philonides ea historia tradere, tu vero meipsum intuere. Non soles, o Rex, sagittarios tibi comparaturus de genere eorum quærere, sed scopo proposito quinam optimi sint experiris. Sic & de amicis non unde, sed quales sint, erat dispiciendum.

Stob. Serm. 84.

Et erat sane alias versatili ingenio Bion, Sophista callidus, plurimumque philosophiam excolentibus adjumenti afferebat. In quibusdam * magnificus quoque, neque a fastu alienus.

Laert. IV, 47. Laert. IV, 53.

Cratetem Academicum audivit primum, verum, ea secta repudiata, pallium & peram arripuit, & Cynismo se addixit, cui constantiam ejus deberi, omnis perturbationis expertem, Laertius censet. Postea Theodorum Atheum est secutus, qui omne genus eruditionis profitebatur, cujus amplexus doctrinam Theodorus est dictus. Postremo Theophrastum Peripateticum audivit.

Laert. IV, 51.

CAP. II.

Apophthegmata ejus:

COmplura autem reliquit commentaria, sententiasque, graves pariter atque utiles. Sic enim, cum vitio ei verteretur, quod adolescentem quendam sibi haut adjunxisset, *Nempe*, respondit, *mollem caseum hamo attrahere non licet.* Quisnam mortalium anxietate maxima perturbaretur? interrogatus, *ille*, respondit, *qui se maxime felicem esse cupit atque beatum.*

Laert. IV, 47. sq.

Uxorne ducenda esset? interrogatus, (nam hoc quoque Bioni tribuunt nonnulli, Bianti adscriptum apud

Aristippo tributum ab aliis ut vidimus supra εἶπεν, ἂν μὲν γήμῃς αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν, ἂν δὲ καλὴν, ἕξεις κοινήν

* Sequentibus omissis integrum locum non reliquerat Stanleius, facile ex Laertio supplendum, apud quem Pro τίνημος cum Menagio φιλότιμος legendum putavi.

ægroto esset, laborabat inopia, donec ex familia sua duos ad eum servulos Antigonus mitteret, ipseque in lectica sequeretur, ut affirmatum Phavorino in varia historia. Eo vero morbo vitam amisit, lusitque in ejus morte sequentibus Diogenes Laertius;

Tellus Scytharum quem dedit, Bion Borysthenita,
Dixisse fertur quod Dei sint umbra sintque fumus,
Quod si teneret firmiter; Sic ipsum statuisse,
Ut est locutus, crederem; male sed statuisse.
Verum incidens morbum gravem, mortis timensque legem
Modo qui Deos negaverat, templo infrequens & aris,
Irrisor & mortalium, Deis qui Sacra ferrent,
Mensis & aris gnaviter, focisque, Sacra fecit,
Adipe, nidore, thuribus nares implens Deorum.
Peccata nec fassus solum priora, deprecatur,
Anui sed & collum dedit ut carmine id sanaret,
Manusque loris vinctus est, magica confisus arti,
Rhamnumque, frondem & auream, aditu suspendit adis;
Qui cuncta, fatum si placet, patrare sit paratus.
Stultus, pront conduceret, Deos qui dicat esse,
At si Dei subsisterent uti visum sit Bioni.
Deceptus ergo, dum larynx carbunculis tumeret,
Tendens manum, atque supplicans ait, jam Pluto salve.

Nominis illius *decem* Laertius memorat: *primum* Pherecydis Syri æqualem, Proconneso ortum, duorum librorum, Laertii extantium ævo, autorem. Syracusium *secundum*, qui de arte Rhetorica scripsit. *Tertium* Philosophum. *Quartum* ex Democriti familia, Abderitam, Mathematicis artibus deditum, qui Attica pariter Dialecto scripsit & Jonica, primusque dixit esse partes orbis habitabilis in quibus sex mensibus dies, totidemque nox perpetua obtineat. *Quintus* Solensis est, Historiæ Æthiopicæ scriptor, *Sextus* Orator, qui IX libros scripsit, Musarum nominibus insignitos. *Septimus* Poeta Lyricus. *Octavus* Milesius statuarius, cujus meminit Polemon. *Nonus* Tragicus Poeta, ex censu eorum qui Tarsici dicuntur. *Decimus* statuarius, Clazomene vel Chio oriundus, cujus apud Hipponactem mentio,

SECTA MEGARICA
EUCLIDES.
CAP. I.
Patria ejus & preceptores.

EUCLIDES, Megaricæ sectæ autor, Megaris, urbe ad Isthmum posita, ortus est, quamvis alii ex Gela, urbe Siciliæ, origines ejus repetant. Laert. II. 106.

Ille Parmenidis librorum valde studiosus initio fuit, postea Athenas, Socratis audiendi causa, abivit. Decreto autem paulo post ejus adventum caverant Athenienses, qui Megaris civis esset, si intulisset Athenas pedem deprehensus esset, ut ea res ei homini capitalis esset, tanto Athenienses Megarensium odio flagrabant. Meminitque ejus Gellius. VI, 10.

decreti

Thucyd. L. I. p. 92. A. decreti Thucydides, quo cautum etiam sit, ne Megarensibus ullius legis beneficio in territorio Attico, vel foro Atheniensi, liceat uti. Quod cum Lacedæmonii decretum revocandum urgerent, obtinere vero haut possent, Peloponnesiaco bello id ansam dedit, omnium, quæ inter Græcos gesta fuere, atrocissimo.

Gell. l. c. Tum Euclides, qui indidem Megaris erat, quique ante id decretum & esse Athenis, & audire Socratem consueverat, postquam id decretum sanxerunt, sub noctem, quum advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, & pallio versicolore amictus, & caput rica (quam velamen muliebre Varro interpretatur) velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat, ut, vel noctis aliquo tempore, sermonum consiliorumque ejus particeps fieret. Rursusque sub lucem millia passuum paulo amplius viginti eadem veste illa tectus redibat.

Laert. II, 106. Mortuo Socrate Plato cum ceteris philosophis tyrannorum metu, ad ipsum Megara se contulerunt, hospitioque ab eo humanissime excepti fuere.

CAP. II.

Ut secta nova autor extiterit.

Laert. l. c. Litigiosis autem disputationibus cumprimis fuit addictus, proptereaque Socratis reprehensionem incurrit, qui eum cum Sophi-

Laert. II, 30. stis contendere posse, non cum hominibus disputare, ajebat. Atque ei ingenio suo indulgens *sectam* instituit, quæ *Megarica* prius a loco natali, inde *Eristica* ab indole con-

Laert. II. 34. tentiosa diceretur. Unde & Diogenes non σχολὴν *Scholam*, sed χολὴν *merum fel* eam esse ajebat. Eoque spectat etiam ista Timonis reprehensio. Laert. VI, 109.

Hos ego nugarum nolim curare patronos,
Seu Phædona mihi narres, seu litibus aptum
Euclidem, Megaras rabidis qui litibus implet.

Laert. II, 106. Postremo Dialectica est vocata, idque primum Dionysius Carthaginiensis ei nomen dedit, quod interrogationibus & responsionibus eorum discursum absolvi videret.

Unicum esse *bonum* affirmabat, cujus diversa tantum sint nomina, *prudentia* scilicet, *Dei*, *mentis*, *& cætera*. Adversa *bono* omnia tollebat, nihil tale in rerum natura dicens existere.

In argumentationibus non *assumtionibus* utebatur, sed *conclusionibus*.

Disputationes, *ex similibus* institutas, penitus tollebat. Eas nempe vel *ex similibus* ad similia, vel ex *dissimilibus* ad dissimilia ajebat procedere: Si prius fiat, præstare, ut res ipsæ examinentur, quibus *similes* quæruntur: Si posterius, nullius usus esse comparationem.

CAP. III.

Dicta & scripta ejus.

Celeberrimum in Scholis fuisse Plutarchus ait. Cum fratrem enim excandescentem audivisset dicere, peream, nisi vindictam exposcam, respondit, *& ego peream, nisi hanc tibi iram verborum lenitate extorsero, atque me perinde ac antea ames, effecero.* Quam quidem Plutarch. de Am. Frat. p. 489. C. ap. Stobæum S. LXXXII. p. 477.

historiam referens Hierocles, quando pro Σωκρατικῷ substituit σωκράτει, illud epitheton errori occasionem dedisse censendum est.

Stob. S. VI. 61. Somnum geminum esse ajebat, juniorem alterum, flexilemque, & quem arcere haut sit difficile: alterum canum & senem, grandævis hominibus inhærentem, pertinacem, & inexorabilem: a quo difficile sit, ubi semel aliquem oppresserit, liberari. Nempe eum neque verba attendere, neque audire, surdum enim esse, neque demonstrationes capere, ut qui oculis destituatur.

Interrogatus a nonnemine, qualesnam sint Dii, & quibus rebus maxime delectentur: *Cetera quidem se ignorare* respondit, *at curiosos illis odio esse certo scire*. Anton. & Max. Serm. 17.

Scripsit tum alia, tum *Dialogos* sex, de quorum fide res dubia Panætio videtur, tituli eorum sunt isti: *Lamprias*, *Æschines*, *Phœnix* (vel, ut apud Suidam est, *Phœnices*,) *Crito*, *Alcibiades*, *Eroticus*.

Nomine *Euclidis* & alii celebrantur: Mathematicus, Megaris itidem ortus, unde & cum Philosopho a Valerio Maximo confunditur: „Plato, inquit, conductores sacræ aræ, de modo & forma ejus secum sermones conferre conatos, „ad Euclidem Geometram ire jussit, scientiæ ejus cedens, imo professioni.„ Ejus operis conductores ad Platonem venisse ex aliis quoque veterum liquet, ab eo vero ad *Euclidem* geometram eos ablegatos fuisse, vel addictum eis studiis Euclidem philosophum fuisse, probari nequit. Quin contra potius. Proclus narrat, ex Platonica Schola *Euclidem* mathematicum prodiisse, eumque a Ptolemæo, Ægypti Rege, interrogatum, an via compendiaria magis ad Mathematica studia nulla detur? *non ulla est*, respondisse. *regia* * A morte Socratis vero usque ad Ptolemæorum primum, anni elapsi XCV, ut Mathematicus *Euclides* multo fuerit philosopho recentior. Porto alius *Euclides* Archon fuit anno II. Olympiadis XXCVIII, juxta Diodorum Siculum. Sed Aristoteli (*a*) tamen illius anni Archon *Euclees* audit, quod firmant Commentatores ejus, & Suidas (*b*), qui in eo tantum aberrat aliquantum, quod annorum spatium inter eum atque alterius temporis Archontem *Euclidem* exacte non definiat. Salmasius vero, (*c*) *Eucleis* nomen nuspiam inter Archontes inveniri existimans, atque contrarium diserte propugnans, Suidæ textum corrumpere conatus est, *Diocle* substituto. Habemus alium *Euclidem*, Archontem anni II. Olympiadis XCIV. *Euclidis*, vatis, Xenophonti amici, ipse mentionem fecit (*d*). Quibus omnibus accedit *Euclides* lapicida, cujus mentio in Platonis extat testamento (*e*).

Laert. l. II. 106. Suid. Εὐκλ. Lib. VIII. c. 12. — ad Eucl. L. II. c. 4. — a Meteorol. l. 6. — b Suid. Εὐκλείδης — c Inscript. p. 235. — d Exped. Cyri l. VII. — e ap. Laert. III. 42.

EUBULIDES.

Euclides successorem EUBULIDEM Milesium habuit, cujus discipulum oratorem Demosthenem fuisse, quibusdam est affirmatum, eumque ab illo litteræ R pronunciationem assiduo exer-

Laert. II. 108.

* Mancus est textus, legend. καὶ μέντοι καὶ φασιν, ὅτι πτολεμαῖος ἤρετό ποτε αὐτὸν, εἴ τις ἐστι περὶ γεωμετρίαν τῆς στοιχειώσεως βραχυτέρα ὁδός. ὁ δὲ ἀπεκρίνατο μὴ εἶναι βασιλικὴν ἀτραπὸν πρὸς γεωμετρίαν βασιλικὴ ἰδὲ ὁδὸς περὶ &c. atque ita fere Baroccius.

exercitio didicisse. Hunc inimico adversus Aristotelem animo fuisse ajunt, eumque nulla non occasione lacessivisse.

Inventor ille multarum Dialecticarum argumentationum extitit, (a) quales ψευδόμενος, *mentiens*: διαλανθάνων, *occultus*. ἠλέκτρα *Electra*. ἐγκεκαλυμμένος *velatus*. Σωρίτης *acervalis* (b). Κερατίνη *cornutus*, φαλακρὸς *calvus*, de quibus ita fere Comicus *:

a Laert. II. 108.

b Cic. de Divin. L. II. 4.

*male Demosthenes pro voce Comici in Stanleii textum irrepserat.

Eubulides CERATINIS instat acriter ferox suis.
MENDACIBUS que turget, hisce versans Rhetoras logis.
Demostheni non impar oris hinc abit facundia.

Illæ vero Sophismatum species variæ sunt, quæ generatim definiuntur Aristoteli, quod sint *Syllogismi Eristici*, quos ex schola ista deinceps in suam etiam Stoici derivarun.

Topic. VIII, 4.

ψευδόμενος, quem Athenæus ψευδόλογον vocat, Cicero *mentientem*, captiosa argumentatio est, solutu difficilis, perinde ac reliquæ pleræque, non a forma, sed a materia nomen habens. Exemplum nempe hujus fallaciæ, quo frequentissime utuntur, est istud: *Si, vera dicens, te ais mentiri, mentiris. Sed dicis, te mentiri, dum vera dicis, ergo, vera dicens, mentiris.* Simile est illud apud IC. Africanum. *Qui quadraginta habet, trecenta legavit; deinde fundum tibi dignum centum aureis sub hac conditione legavit, si legi Falcidia in testamento suo locus non esset*, (qua nempe omnia legata in irritum cadunt, si id, quod hæredibus relinquitur, quartam partem bonorum non æquaverit) *quæritur, quid juris est?* Dixi τῶν ἀπόρων „ hanc „ quæstionem esse, qui tractatus „ apud Dialecticos τῷ ψευδομένῳ dici- „ tur. Etenim quicquid constitue- „ rimus verum esse, falsum reperie- „ tur. Namque si legatum tibi da- „ tum valere dicamus; legi Falcidiæ „ locus erit: ideoque valente condi- „ tione non debebitur. Rursus, si, „ quia conditio deficiat, legatum „ valiturum non sit; legi Falcidiæ „ locus uon erit. Porro, si legi locus „ non sit; existente conditione lega- „ tum tibi debebitur: cum autem „ voluntatem testatoris eam fuisse „ appareat, ut propter tuum lega- „ tum ceterorum legata minui nol- „ let, magis est, ut statuamus tui legati conditionem defecisse. Tanti autem hoc Sophisma factum esse, Seneca ait, ut libros haut paucos de eo scriptos extare dicat.

Athen. Dipnos. IX. p. 401. E. Cic. de Divin. L. II. c. 4. Cic. Acad. Qu. IV, 30.

l. 88. D. ad L. Falcid.

Sen. Ep. 45.

Laertius sex diversos libros Chrysippo de eo argumento concinnatos memorat. Philetam Coum Phthisi periisse, contracta studii excessu, in eo solvendo positi, referunt Athenæus & Suidas.

Laert. VII, 198. Athen. L. IX. p. 401. Suid. Φιλητ.

Electra nomen itidem habet a præcipuo exemplo, de quo ita Lucianus: Electra Agamemnonis filia fama celeberrima, *eandem rem simul norat, & non norat. Astante enim lateri ipsius Oreste, Orestem fratrem suum esse, & novit, & ignorat.*

Lucian. Vitar. auct.

Ἐγκεκαλυμμένος, h.e. *velatus*, nomen itidem a materia sua habens, isto exemplo apud Lucianum explicatur CHRYSIPP. *Responde mihi, nostine patrem tuum?* MERCATOR. *maxime*. CHRYSIPP. *Quid igitur, si prope te statuerem opertum quempiam. atque interrogarem, nostine hunc? Quid diceres?* MERC. *Scilicet me non nosse*. CHRYS. *Atque hic tuus erat pater, itaque si istum non nosti, palam est, te patrem tuum non*

Lucian. l. c.

nosse. Simile & illud est Sophistarum, quod Socratem, apud Platonem in Menone, irrito labore solvere conatum Aristoteles affirmat: *An nosti omnia bina paria esse an minus?* Respondit alter, *imo vero se nosse*. Tum Sophista, *prolatis binis quibusdam sub pallio antea conditis*, interrogavit, *an igitur bina ista paria me habere noveras, an minus?* Respondente altero, *se non novisse*, Sophista *ergo* inquit, *eandem rem simul & nosti & ignoras*.

Poster. Anal. l. 1.

Sorites, quem *acervalem* vocat Cicero, qui definivit eundem quod sit, cum aliquid minutatim & gradatim additur vel demitur; ut acervus (σωρὸν) efficitur uno addito grano. Vel potius, ut Ulpianus describit, quando ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad evidenter falsa traducitur. Idem Ulpianus alibi exemplum affert commune, Ciceroni, Laertio, Sexto Empirico * commemoratum: *An non duo sunt pauci? annon pauci etiam sunt tres? & quatuor itidem?* & sic porro usque ad decem? *Cum duo igitur sint pauci, idem sunt quod decem*.

de Divin. L. II. c. 4. Acad. Qu. VI, 6. Leg. 177. de verb. signif. L. 4. ad Sabin. tit. de verb. & rer. signif.

Κερατίνη h. e. *Cornutus*, pariter ac reliquæ ab exemplo nomen est sortitus. *Quod non amisisti habes, cornua non amisisti, cornua ergo habes*, quod Senecæ, Gellio atque aliis repetitum. Ad eam speciem pertinere argumentum, quod salvatori obiiciebant Pharisæi, Hieronymo est observatum. „De Galilæa, inquit, venerat ad Judæam; iccirco Pharisæorum scribarumque factio interrogat eum: „*utrum licet homini dimittere uxorem suam qualibet causa?* ut quasi „cornuto teneant eum syllogismo, „&, quodcunque responderit, captioni pateat. Si dixerit, *dimittendas esse uxores qualibet ex causa, & ducendas alias*, *pudicitiæ prædicator sibi videbitur docere contraria*. Si autem responderit, „*non omnem ob causam debere dimitti, quasi sacrilegii reus tenebitur*, „*& adversus doctrinam Moysis, ac per Mosen Dei, facere judicabitur*. „Igitur Dominus sic responsionem „temperat, ut decipulam eorum „transeat, scripturam S. adducens „in testimonium, & naturalem legem, primamque Dei sententiam „secundæ opponens, quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est.

Lib. III. in Mat. cap. XIX T. VI op. p. 39.

Aliud argumentandi in hoc genere exemplum affert idem doctor: sustinui Romæ a viro eloquentissimo cornutum, ut dicitur, syllogismum; ut quocunq; me verterem, strictius teneret. *Uxorem*, inquit, *ducere peccatum est annon?* Ego simplex, & qui insidias vitare nescirem, dixi, *non esse peccatum*. Rursum aliud proposuit: *in baptismate bona opera dimittuntur an mala?* Et in hoc eadem simplicitate respondi; *peccata dimitti*. Cum me securum putarem, cœperunt mihi hinc inde cornua increscere, & absconditæ prius acies dilatari. *Si*, inquit, *uxorem ducere non est peccatum, baptismus autem peccata dimittit: quidquid non dimittitur, reservatur*.

Ep. 83. T. II. op. p. 255. B.

ALEXINVS.

INter ceteros *Eubulidis* discipulus ALEXINUS fuit, Eliensis, magnus

Laert. II. 109.

*Allegat Stanleius Cic. Lucullum sive Acad. Qu. IV. Laertium in Chrysippo & Sextum Empiricum adu. Logicos, apud quos tamen frustra illud exemplum Soritæ quæro.

gnus litigiosæ ſapientiæ admirator, *Elenxinus* appellatus a contradicendi ſtudio, & Zenonis aſſiduus adverſarius. †

† adde & Menedemi, ut patet ex vita ejus apud Laert. l. I., 125. 5. 136.

Eum Olympiam abiiſſe, philoſophiam ibidem profeſſum, Hermippus refert. Diſcipuliſque interrogantibus, cur eo degeret loco? *ſectæ* ſe meditari dixit inſtitutionem, eique *Olympica* deſtinare nomen. Verum mediis ſubſiſtendi deſtitutis diſcipulis ejus, & aeris temperie, quæ eo loco eſſet, minus delectatis, abiere omnes, ſolo ipſo cum ſervo relicto, qui & ipſe non multo poſt in Alphæo fluvio, natando ſe exercens, arundinis læſus acumine diem obivit.

Præter Zenonem alios quoque philoſophos, ut & Hiſtoricum Ephorum ſcriptis impetiviſſe refertur.

EUPHANTUS.

Laert. II, 110.

ALexini diſcipulus EUPHANTUS fuit, patria Olynthius, Antigoni Regis præceptor, qui Demetrii pater, avus Antigoni Gonatæ fuit. Grandævus is obiit, ſuorum temporum relicta *Hiſtoria*: *tragœdiis* item haut paucis, quæ in ſcena publice exhibitę plauſum omnium meruere: Libro item *de regno* ad Antigonum, opere undiquaque laudatiſſimo.

APOLLONIUS. CRONUS.

Laert. l. c.

FUit & APOLLONIUS *Cronus* in *Eubulidis* diſcipulis. Eum natalibus Cyrenæum fuiſſe, Strabo eſt teſtis, qui *Cronum Apollonium* eum appellans, poſterius cognomen innuit eſſe, ab *Apollonia*, Cyrenaica urbe derivatum.

Strabo L. XVII. p. 838. A.

DIODORUS.

CAP. I.

Vita ejus.

DIODORUS Jaſo ortus eſt, quę Cariæ eſt civitas, Aminiæ filius. Eum *Eubulidem* audiviſſe, Laertius autor eſt. *Apollonii Croni* diſciplina uſum Strabo ait, a quo *Croni* cognomen tulit, tranſmiſſo ad diſcipulum magiſtri nomine, rationę inprimis habita obſcuritatis, qua magiſtrum *Cronium* imitabatur. De hoc *Diodoro* Callimachus in epigrammate.

Laert. II, III. — Strab. l. c. — Laert. l. c.

---- *Ipſeque Momus*
Illevit muris: Tu Crone nempe ſapis.

Vixit cum Ptolomæo Sotere, quo præſente, cum eum *Stilpo* interrogaret de rebus, de quibus ex tempore reſpondere non poſſet, non tantum a Rege punitus, ſed *Cronus* etiam cognominatus eſt. Quamobrem ex convivio diſceſſit, atquę *oratione* de eo argumento ſcripta mœrore vitam finivit.

CAP. II.

Philoſophia ejus.

DIalecticum fuiſſe cum Strabone affirmat Laertius, eoque pertinet Ciceronis iſtud: „In hoc ipſo, „quod in elementis dialectici docent, quomodo judicare oporteat, „verum falſumne ſit, ſi quid ita „connexum eſt ut hoc: Si dies eſt, „lucet: quanta contentio eſt, aliter Diodoro, aliter Philoni, Chryſippo aliter placet.

Il. c. — Acad. Qu. IV, 47.

Multum autem in eo ſtudio Diodorum fuiſſe, ex Callimachi patet Epigrammate, allegato atque explicato a Sexto Empirico.

Adv. Grammat. p. 64.

De propositionibus connexis Dio-
dori, Philonis & Chrysippi dissen-
sum, cuius ex Cicerone mentionem
fecimus, latius persequitur istis Sex-
tus Empiricus. „Quando & que-
„madmodum recte sequela in con-
„nexo procedat, inter se dissident,
„pugnantque invicem ea, quibus
„statuunt judicari consequentiam.
„Dicebat nempe Philo, verum esse
„connexum, quando non incipit a
„vero & desinit in falsum. Quo fit,
„ut ex eius quidem sententia tri-
„bus modis sit verum connexum,
„uno autem modo falsum. Etenim,
„quando a vero incipiens desinit in
„verum, verum est: ut illud: si dies
„est, lux est. Quando item a falso
„incipiens in falsum desinit, rursus
„verum: ut illud: si terra volat, alas
„habet terra. Similiter autem, quod
„incipit a falso, desinit autem in
„verum, est verum, ut illud: si ter-
„ra volat, est terra. Solummodo au-
„tem est falsum, quando incipiens
„a vero, desinit in falsum: cuiusmo-
„di est illud: si dies est, nox est.
„Nam si dies sit, illud quidem dies
„est, verum, quod quidem est an-
„tecedens, Hoc autem: nox est,
„falsum, quod quidem erat desinens
„sive consequens. Diodorus autem
„dicit, verum esse connexum, quod
„neque contingit, cum a vero in-
„cipiat, desinere in falsum, quod
„quidem pugnat cum sententia
„Philonis. Nam huiusmodi conne-
„xum, si dies est, ego dissero, si
„dies jam sit, & ego disseram, ex
„Philonis quidem sententia est ve-
„rum, quandoquidem incipiens
„a vero illo, Dies est, verum dicit
„illud, ego dissero. Ex Diodori au-
„tem sententia falsum. Contingit
„enim, ut a vero incipiens, nempe
„dies est, in falsum aliquando desi-
„nat, hoc nempe, ego dissero, cum
„ego siluerim. Atque adeo casu a
„vero incipere & desinere in falsum
„potest. Nam priusquam cœpero
„disserere, incipit quidem a vero,
„dies est, in falsum autem desiit:
„nempe ego dissero.

Adu. Mat. p. 240. conf Pyrr. Hyp. B. 74.

Et alio loco: „Nam ut de conne-
„xo prolixi non simus; dicamus,
„rectum esse connexum, quod non
„incipit a vero, & in falsum desi-
„nit: Illud v. g. si motus est, datur
„inane, ex Epicuri quidem senten-
„tia incipiens a vero, nempe si est
„motus, & desinens in verum, da-
„tur vacuum, erit verum. Ex Peri-
„pateticorum autem sententia in-
„cipiens a vero, nempe si est motus,
„& desinens in falsum, nempe da-
„tur vacuum, erit falsum. Ex Dio-
„dori autem sententia incipiens a
„falso, nempe est motus, ut, desi-
„nens in falsum, nempe datur va-
„cuum, erit ipsum quidem verum,
„assumptio autem, nempe est au-
„tem motus, erit falsa.

adu Math. p 280.

Sunt, qui dicunt argumenti,
quod ἐγκεκαλυμμένον, *velatum*, dicunt
& *ceratini* s. *cornuti* eum esse inven-
torem, de quibus plura *in vita Eu-
bulidis*. Alexander Aphrodiseus
eum usum ait argumento, quod
κυριεύοντα vocant λόγον, *argumen-
tum dominans*, de cuius origine &
virtute ita Epictetus: „Dominan-
„tis argumenti quæstiones ab hu-
„jusmodi occasionibus proficiscun-
„tur. Nempe cum tribus hisce pro-
„positionibus commune invicem
„intercedat certamen: 1. *Omne
„præteritum necessario verum est*.
„2, *Ei, quod fieri nequit, id quod
„fieri nequit non est consequens*. 3.
„*Non potest fieri id, quod verum ne-
„que*

Laert. II, 111. — in Lib. I. Prior. An. — ap. Arrian. II, 19.

„ *quae est*, *neque futurum est*. Diodorus hac pugna animadversa, priorum duorum probabilitate ad probandum illud, *nihil posse fieri*, *quod verum neque sit*, *neque futurum sit*, *usus est*. Et Alexander: *me Corinthi esse possibile est*, *si ibi vel fui*, *vel ero*. *Quorum neutrum si sit*, *possibile id non est*. *Possibile est*, *ut infans Grammaticus fiat*, *si talis futurus sit*, cuius rei firmandae causa Diodorus Dominantis argumenti interrogatione uti solebat.

in libr. I, prior.

Nihil moveri credebat, argumento nixus tali: (*a*) *Si quid movetur*, *aut in eo*, *in quo est*, *loco movetur*, *aut in eo*, *in quo non est*. *At neque in quo est movetur*, *manet enim in eo*, *si in eo est*. *Nec vero*, *in quo non est*, *ubi enim aliquid non est*, *ibi neque agere quidquam neque pati potest*. *Non ergo movetur quidquam*. Unde consequens est, nihil sive ortum habere sive interitum. (*b*)

a Sextus Emp Pyr. Hyp. L. III, c. 8. p. 129. & adu. Mathem p. 394. sq.

Principia rerum minima esse aiebat, & insecabilia corpora; numero infinita, sed finita magnitudine. (*c*)

b Id. l. c. p. 414. sq.
c Idem Pyrrhon. Hyp. III, 5 p. 115. Stob. Ecl. Phy. 13.

ICHTHYAS.

ICHTHYAS, Metalli filius, vir illustris in horum philosophorum, qui ab *Euclide* sunt, ordine censetur. Ei *Dialogum* Diogenes Cynicus dedicavit.

Laert. II, 112

*CLINOMACHUS.

IN *Euclidis* successoribus CLINOMACHUS Thurius extitit quoque. Primus ille de *Axiomatibus*, *Cathegorematibus*, & *similibus* scripsit.

Laert. II, 112

STILPO.

CAP. I.

Vita ejus.

STILPO ortus est Megaris (*a*), Hellados oppido, vixit Ptolemaei prioris aevo, magistros audivisse dicitur sequentes: Ipsum Euclidem scholae autorem, quod tamen aetati ejus minus est consentaneum, ut supra etiam observatum fuit. Ex sequacibus vero eiusdem, Thrasymachum Corinthium, Ichthyae familiarem, ut autor est Heraclides, Diogenem Cynicum, Pasiclem item Thebanum (*b*), Cratetis Cynici, fratris sui, discipulum, & Dioclidem denique Megarensem.

a Laert. II, 113.
b Laert. VI, 76. Suid. Στιλπ.

Eum acutum hominem, & probatum temporibus illis fuisse dicit Cicero (*c*). Qui addit, scribere ipsius familiares, & ebriosum & mulierosum illum fuisse, neque hoc scribere vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Plutarchus animi in eo robur, mansuetudine & continentia egregie temperatum, admiratur.

c De fato c. 5
Pl. adv. Colo t. p. 1119. vir fortis & strenuus Senec. Ep 8

Rerum civilium studio plurimum tribuebat. Ac, praeter uxorem, quam duxerat, *Nicarete* etiam pellice utebatur. Filia ei fuit famae parum integrae, quam *Simmias* Syracusanus, ex conjunctissimis eius, duxerat. Quae cum inquinatissimam vitam duceret, eamque parenti dedecori esse nonnemo diceret, Stilpo *non eam*, respondit, *majori sibi dedecori*, *quam ipse sit decori ei*, *esse valere*.

Laert. II, 114 adde Ath. L. XIII. p. 596. Laert. l. c.

*(Eodem spectat, quod Plutarcho

de animi tranq. p. 467. cho relatum, qui dicit, Stilponem, a filia impudica, quo minus viveret omnium ætatis suæ philosophorum jucundissime, minime prohibitum esse. Quin & Metrocli, id exprobranti, *meumne*, respondisse, *hoc est peccatum, an filiæ?* fassoque Metrocle filiæ peccatum id esse, ipsius infortunium. *Quid ais?* respondisse, *nonne peccata sunt lapsus, iisque excidunt homines, quibus potiri debebant?* Cui cum annueret Metrocles *nonne vero*, subiunxisse, *excidere talibus ejus est infortunium qui excidit*: Placidaque & philosophum decente oratione ostendisse, vanum latratum esse Cynicam calumniam.)

Laer. II, 115 Magna eius apud Ptolemæum Soterem gratia fuit, a quo cum Megaræ vi captæ essent, pecuniam ei obtulit, &, ut in Ægyptum se se queretur, invitavit. Pecunia, non omni tamen, accepta, in Ægyptum proficisci noluit, sed Æginam se contulit, ibique, donec Megaris conf. Plut. vit. Demetr. T. I. opp. p. 893. & de An. tranq. T. II, p. 475 Senec. de Const. c. 5. & Ep. 9. discederet Ptolemæus, vitam egit. Demetrius quoque, Antigoni filius Megaris expugnatis, ut domui eius parcerent sui, iusserat, restituerentque, si quæ ablata ei fuissent. Quamobrem rerum ab eo amissarum consignationem cum peteret Stilpo: *Nihil quod suum esset, se perdidisse*, respondit, *doctrinam enim & eruditionem neminem sibi ademisse, eloquentiam quoque sibi esse relictam & disciplinam*. Simulque tanta vi humanitatem ipsi suasit, ut assidue eum Demetrius audire cuperet,

Laer. II, 116 De Phidiæ Minerva ita ab eo interrogatum nonneminem ferunt: *Num Minerva Jovis filia Deus est*? Cumque annuisset ille: dixisse Stilponem: *At ista non Jovis, sed Phidiæ est*. Illoque concedente; *non ergo illa*, dixit, *Deus*. Qua de causa cum in Areopagum esset pertractus, nihil inficiatum ferunt, sed *recte se dixisse*, affirmavisse, *non Deum enim esse Minervam, sed Deam, mares enim Deos esse*. Quod tamen responsum Areopagitis cum satisfaceret minus, urbe excedere iussus est. Risisse autem aiunt illud dictum eius Theodorum, cognomine Θεὸν, *unde hoc noverat Stilpo?* inquientem, *num sublata palla ipsam inspexerat?* Erat nempe Theodorus procacissimus sermone, moderatior Stilpo, unde & a Cratete rogatus, an precibus Dii & adgeniculationibus delectentur? *Noli me*, respondit, *de hisce, o stulte, in publica interrogare via, sed privatim interroga*.

Ingenium ei simplex fuit, neque ulla simulatione fucatum. Cratete igitur Cynico semel ad id, de quo interrogatus fuerat, non respondente, sed fœdum edente strepitum, *noveram*, dixit, *te quicquid potius quam quod honestati consentaneum esset, prolaturum*. Laer. II, 117

*(Temperantia fuit insigni, quo spectat, quod Athenæo de eo relatum. Stilpo, ait, sua confisus temperantia, nihil metuit, cum allium comedisset in templo matris Deum obdormiscens, quamvis alias arceretur delubro quisquis tale quid comedisset. Dormienti autem Dea astans cum diceret, Philosophus es, o Stilpon, & jura tamen violas sacrorum, respondere sibi in somno visus est, præbe, quod edam, & alio abstinebo.) L. X. p. 422

Caricam illi Crates aliquando, & una interrogatiunculam, proposuerat. Eam vero ille statim comedit: cumque exclamaret Crates: *caricam* Laert. l. c.

ricam se perdidisse; non solum, respondit, *caricam*, *sed & interrogatiunculam, cujus arrha illa extitit*.

Laert. l.c. adde Hesych. vit. Stilpon. Eundem Cratetem cum hyemis frigore vidisset torpentem, *videris mihi*, inquit, *o Crates*, ἱματίϐ καινῦ *opus habere*: quod in pronunciatione ambiguum est, atque vel ita accipi potest, quasi *novo* pallio eum indigere dicat, vel ita, quasi *pallio* & *bona mente* eum carere dicat. Rubore igitur suffusum Cratetem ita respondisse:

καινῦ

καὶ νῦ

Atqui ego Stilponem Megaris mala multa ferentem
Vidi: ubi monstrosi esse ferunt habitacla Typhœi.
Hic disputabat juvenum comitante caterva,
Non opera, verbis hic de virtute docebat.

Laert. II. 119. Fertur Athenis hominum ita in se studia vertisse, ut ex officinis ad eum videndum confluerent. Cumque ea de re nonnemo ipsi dixisset: Te, o Stilpo, velut beluam admirantur. *Minime*, respondit, *sed velut verum hominem*.

Cum Cratete disputans, inter loquendum, ut pisces emeret subito abiisse fertur. A quo cum retineretur, quod disputationem destituat accusatus: *Non destituo*, ait, *nam disputationem teneo, te solum relinquo. Nempe manet disputatio, pisces vendentur*.

Stob serm. CV. p. 57. Quid lapide gravius sit? interrogatus, *stultus*, respondit.

CAP. II.
Philosophia ejusdem.

Plut. adv. Colot. p. 1119. Megaricæ scholæ extitit princeps, *eristico* dicendi genere potentissimus, doctrinæque & disputationum subtilitate, sibi ipsi, patriæ, & amicis summum decus conciliavit.

Laert. II. 119. *Universalia* plane tollebat, dicebatque qui *hominem* dicat, eum neminem dicere, quod non hunc aut illum vox significet: quomodo enim uni magis quam alteri, atque adeo huic conveniat? Rursus id, quod videmus, *olus* haut esse, *olus* enim ante multos annos fuisse, atque hoc *olus* proinde haut esse.

Plut. adv. Colot. p. 1120. Unum item de alio prædicari posse negabat, hoc modo ratiocinatus: Si de *equo* prædicetur *currere*, non idem est cum subjecto prędicatum. Alia est *hominis* definitio, alia *boni*. Similiter aliud *equus* est, aliud *currere*, interrogati enim diversam utriusque definitionem reddemus. Certe si *homo* & *bonum* esse, *equus* & *currere* essent idem, quomodo *bonum* de cibo vel medicina prædicari posset, & *currere* de leone & cane? quæ res sunt maxime diversæ. Eorum itaque, quæ sunt in *subjecto* vel de *subjecto* nullam admittit complexionem: sed ea nisi idem cum *subjecto* sint, de eo prædicari, etiam *per accidens*, posse negat. Quamvis vera ex sententiolis ista fuerit, quam per lusum & jocum inter Sophistas sparsit Stilpo, acerbe tamen impugnavit Epicureus Colotes, prolixa contra Stilponem instituta disputatione, quæ eam solam sententiam contineret, quam tamen neque resolvere potuit, neque confutare. Hoc solum dicens, nullam hanc vitam fore, qua unum de altero prædicare haut liceat. Verum evidens esse, Plutarchus affirmat, Stilponem vocibus tantum quibusdam offensum, modum loquendi impugnasse, non quod in usu haberetur abrogatum, vel

vel res ipsas sublatas serio voluisse. Summum bonum mentem esse ajebat, nullis passionibus obnoxium.

CAP. III.

Discipuli ejus.

Laert. II. 113. INventione & eloquentia longissime alios antecessit, ut omnem Græciam fere ad Megaricam scholam adduceret. Eum Philippus Megaricus refert a Theophrasto *Metrodorum*, cui Theoretici cognomen, abstraxisse, ab Aristotele Cyrenæo *Clitarchum* & *Simmiam*; a Dialecticis, *Paonium* quidem ab Aristide, *Diphilum* item Euphanti, & *Myrmecem* Exæneti, ut cum eo disputarent adventantes, sectatores nactum esse. Hucusque Philippus. Præter hos *Phrasidemum* peripateticum, cujus in Physicis maxima autoritas, sibi adjunxit, *Alcimum* item, oratorum sui ævi in Græcia maximum. *Zenonem* porro Phœnicium, Epicureum philosophum, *Cratetem*, & reliquos: &, ut verbo absolvam, quoscunque ipse sibi adjungere voluisset. Narratque Heraclides ipsum *Zenonem* quoque, Stoicæ sectæ autorem, in ejus discipulis fuisse. Laert. II. 120.

CAP. IV.

Mors & scripta ejus

Laert. II. 120. SEnem fatis functum esse Hermippus testatur, hausto prius mero, ut citius moreretur. XX. *Dialogos* eum scripsisse Suidas autor est, *novem* tamen tantum ei Laertius tribuit, neque eos multum adeo gratiæ habentes, quorum en tibi titulos: *Moschus*, *Aristippus* vel *Callias*, *Ptolemaus*, *Charecrates*, *Metrocles*, *Anaximenes*, *Epigenes*, *ad filiam*, *Aristoteles*.

Filium habuit superstitem *Drysonem*, ipsum quoque philosophum *

SECTA ELIACA ET ERETRICA.

PHÆDO.

ELiaca Secta natales PHÆDONI debet, Eliensi, nobili familia orto Illum a Piratis primum contigit rapi, atque lenoni pretio certo adduci. Ad fornicis itaque limen consìdere coactus, a Socrate, forte fortuna isthac transeunte, fuit observatus, qui faciem notans ingenuam, qua plane erat singularis, Alcibiadi & Platoni, referente Laertio, vel, ut Gellius habet, Cebeti persuasit, ut emeret eum. Ab illo igitur tempore philosophiæ studiis animum adiunxit, assiduus Socratis auditor, ita Platoni charus, ut *Dialogorum* excellentissimum *de animi immortalitate* ipsius nomine inscriberet. Laert. II. 105. Suid. Gell. II. 18.

Sectam instituit, quæ a patria ipsius *Eliaca* nomen tulit. Dialogi ei tribuuntur sequentes: *Zopyrus*, *Medus*, *Sinon*, *Antimachus* sive *Senex*, *Nicias*, *Simmias*, *Alcibiades*, *Critolaus*. Horum tamen an vel unicus Phædonem autorem habeat, dubitare Panætium videas. *Medum* Æschini qui tribuant fuere, fuere qui Polyæno adscriberent, cui *Antimachum* quoque vindicant, & *Scythicam historiam*. Laert. I. Laert. II. 64. Laert. II. 105.

PLI-

* De Pyrrhone Laert. IX, 61. [Greek] [Greek] τῦ Στίλπωνος. Eundem tamen Βρύσωνα vocat Suid. v. Σωκράτης.

PLISTANUS.

Laert. l. c. Continuata *Eliaca* secta in PLISTANO fuit, Eliensi, Phædonis successore, quem *Menedemus* excepit, & hunc demum *Asclepiades*.

MENEDEMUS.

CAP. I.

Patria, Parentes & Præceptores ejus,

Laert. II, 125 FUit MENEDEMUS ex iis, qui *Phædonis* scholam conservarunt, *Eliacam* dictam hucusque, a *Menedemo* vero *Eretriaca* nomine insignitam. *Eretriensis* ille fuit, filius Clisthenis, ex Theopropidarum familia, qua tamen generis nobilitate non obstante, architectonicæ operam dedit, paupertati obnoxius, Clisthenes. Tabernaculorum sartorem alii dicunt fuisse, Architectum Hesychius illustris vocat: In utraque arte filium ab eo institutum fuisse addens, *Menedemum*. Quæ causa fuerit, cur *Alexinius* * quidam ei, decretum scribenti, exprobraret, non decere sapientem, inquiens, ut decreta pariter ac tabernacula conficeret.

Laert l. c. Missus autem ab Eretriensibus Megaras, ut in præsidio ibi esset, inde Athenas abiit, audiendi in Academia Platonis causa, qui ita eum doctrina cepit, ut cingulum ponere non dubitaret.

Laert. III, 126. Porro ab *Asclepiade* Phliasio, necessario suo, Megaras ad *Stilponem* traductus, est, atque eum una cum illo audivit. Inde Elidem navigantes in *Anchipyllum* & *Moschum* inciderunt, qui ex Phædonis erant schola.

Sunt, qui ei contemtui fuisse dicant & Platonem, & Xenocratem, & Cyrenæum Paræbatam, magni autem habitum *Stilponem*, de quo, quid sentiret? interrogatus, *liberum esse*, respondit. Laert. II, 134

CAP. II.

Schola & Philosophia ejus.

IN patriam reversus, scholam aperuit, & philosophiam docuit, translata igitur *Eretriam Eliaca* schola, inde ab hoc tempore *Eretrica* nomen tulit.

In schola eius nullus, ut tum fieri amabat, circa eum ordo, nulla subsellia per gyrum disposita, sed prout singulis, ut vel ambularent, vel sederent, obvenerat, ita eum audiebant. Laert. II, 130

Unum esse bonum statuebat, unam virtutem, graviter in eos, qui plura statuerent animadvertens. Unde aliquem, qui plura admittebat bona, irridens, quærebat, *quot igitur bona esse censeret, & an satis esse centum arbitraretur?* Laert. II, 134

Ingenium ei erat versatile, inque orationis compositione tanta vis, ut difficile esset ipsi occurrere: in omnes partes se versare solebat, & ubique quod diceret, inveniebat. Erat autem contentiosa maxime, autore Antisthene in successionibus, ejus eloquentia, solebatque huiusmodi quæstiunculis uti: *Num aliud ab alio differt?* ita sane. *Aliud est autem prodesse, quam bonum: bonum itaque non prodest*. Tollebat propositiones *negantes*, solisque affirman- Laert. l. c.

* Videtur esse is ipse quem Alexinum vocat Laertius L. II. f. 136. & de quo actum supra, Nomen Alexinii tamen Stanlejus non pro viri proprio, sed pro patriæ viri indicio habet.

mantibus locum faciebat: & ex his quoque *simplices* solum, reiectis, quæ tales haut essent, admittebat, *conjunctas* hasce appellans atque *complexas*.

Laert. II, 135 Heraclides Platonicum eum fuisse, & dialectices tamen extitisse contemtorem scribit. Itaque sciscitanti aliquando Alexino an patrem cædere desiisset? *neque cecidi*, dixisse, *neque desii*. Urgente vero altero, ut vel affirmaret, vel negaret quæstionem, eique solvendæ operam daret: *Ridiculum*, aiebat, *est*, *vestras suscipere leges*, *cum in ipso limine queant repelli*.

Laert. II, 136 Nihil eum sive scripsisse, sive composuisse, Antigonus Carystius refert, neque pro certo quidquam definivisse.

Vehemens tamen adeo fuit disputator, ut livida sæpe facie discederet.

CAP. III.

Mores ejus.

Laert. II, 137 ARctissima amicitia *Asclepiadæ* iunctus fuit, nulla re Pyladis in Orestem amori cedente. Ætate autem eum *Asclepiades* superabat, unde vulgi natum dicterium, *Asclepiadem poetam*, *Menedemum histrionem esse*.

Athen. L. IV, p. 168. Cum juvenes essent ambo, & pauperes, ad Areopagi pertracti sunt judicium, ut juxta Solonis legem de qua in vita ipsius actum, rationem redderent, qui fiat, ut omne tempus in philosophorum terentes disputationibus, neque labore, neque patria hereditate eis, de quo viverent, suppeditante, subsistere tamen valeant, neque ulla re indigeant? Tum illi orare, ut ex pistrino præfectis accerseretur aliquis; quod ubi factum esset, ille noctu semper ad pistrinum eos descendere, ibique molendo duas drachmas mereri testatus est. Qua re attoniti Areopagitæ honoris causa CC. drachmarum præmium eis solvi jusserunt.

Nec alii deerant patroni, quorum liberalitate sublevarentur: ferturque *Archepolis* tria millia eis obtulisse, cum tamen amica orta esset contentio, uter secundus acciperet, neuter accepit. Qui maxime tamen eos foverent, *Hipponicus* Macedo, & *Agetor* Lamieus fuere. Horum posterior utrique XXX. minas est largitus. Menedemo *Hipponicus* drachmarum dedit duo millia, in dotem filiabus, quas ex *Oropia* uxore *tres* suscepisse ab Heraclide refertur. Laert. II, 139 / ib. §. 138.

Nempe uxorem uterque duxit, *filiam* Asclepiades Menedemus *matrem*, quam sua defuncta uxore *Asclepiades* secundis nuptiis sibi junxit, Menedemus contra, cum in Republica aliquo esse cœpisset loco, aliam duxit, nobilitate & opibus spectatissimam, sed nihilominus tamen, cum una habitarent domo, priori uxori rei familiaris curam permisit. Asclepiades autem, cum in maximis opibus minima licentia cum Menedemo vixisset, jam longævus, Eretriæ diem obivit. Cumque aliquanto post ad domum comessabundus accessisset quidam catamitus eius, atque a servis limine arceretur, introduci jussit Menedemus, Asclepiadem etiam sepultum eum admittere inquiens. ib. §. 137.

Erat autem Menedemus hospitalis maxime, & quia parum salubris erat Eretriæ aer, frequentia obibat convivia. Ordinem in iis observatum Laert II, 133 φιλοτέκνος.

Laer. II, 139. Athen. L. X. p. 419. tum ita describit Antigonus Carystius. Primum ipse cum duobus vel tribus prandebat, usque dum in vesperam vergeret dies. Si quis interea alius veniret, finito prandio admittebatur. Si quis igitur ante statutum venisset tempus, deambulans percontabatur egredientes; quid esset appositum ac quomodo? Et, si quidem olusculum vel salsamentum (a quibus initium prandium ducebat) appositum audirent, abibant: sin carnes, ingrediebantur in locum sibi destinatum. Lectuli autem storeis æstate, hyeme vervecinis pellibus sternebantur: Pulvinar invitatorum quisque ipse afferebat sibi. Poculum, quod circumferebatur, cotula maius non erat. Bellaria illis fabæ ac lupini, interdum de fructibus, quales anni tempestas præberet, mala punica æstate, vere cicer, hyeme caricæ. Idque Lycophron confirmat Chalcidensis, in Comœdia Satyrica, quam Menedemum inscripsit, in qua ita satyros affatur Silenus.

Boni parentis filii nequissimi,
Vobiscum, uti ipsi cernitis, lasciviam.
Haut simili nos, per Jovem, vel Caria
Cœna, Rhodusve, & grata nobis Lydia
Excepit unquam: bellam, Apollo, cœnulam!

Et paulo post:

- - - - - Crateribusque aquas
Pentobolis circumferebat servulus,
Immotus adstans: quin & execrabilis
Soli, & lupinus, debitus plebe cula
Frequens oberrat, compotator pauperum.

Dum biberent, prandio iam finito, quæstiones Menedemus proponebat, atque mensæ secundæ locum varii sermones tenebant, quibus omnes ad temperantiam & continentiam excitabantur. Eos haut raro usque dum gallicinio interpellarentur, protrahebat, quod ingratiis fiebat hospitum, qui nunquam illis exsatiari posse videbantur.

CAP. IV.

Gesta in Republica.

Contemtui autem initio in patria fuit, *canis* appellatus & *stultus*. Postremo in summa omnium admiratione vixit, adeo, ut reipublicæ summam ei permitterent, ducentorum in annum stipendio, ex qua tamen summa quartam ille partem accipere noluit. Laer. II, 140.

Ex quo autem reipublicæ suscepit administrationem, ita in ea animum habuit defixum, ut, cum thura aliquando Diis offerret, extra thuribulum proiecerit. Quod cum Crates animadvertisset, eique publicæ rei curam exprobrasset, eum in carcerem iussit duci. Cumque ipse ducendo forte fortuna in via occurrisset, *Agamemnonius & civitatis Dux* appellatus ab eo fuisse. Laer. II, 131

Legatione ab Eretriensibus, magno ubique exceptus honore, ad Ptolemæum defunctus est & Lysimachum, Demetriumque, Reges Macedoniæ, in quibus prior Demetrius regnavit, post eum Lysimachus, indeque post huius successorem Pyrrhum Ptolemæus. Laer. II, 140

Accusatus autem apud Demetrium fuit, quasi consilia prodendæ Ptolemæo urbis ageret, quam ille suspicionem epistola diluit, cuius istud initium: *Audio tibi de nobis plurima esse narrata* &c. simul Ibid.

monens,

monens, caveret unum ex his, qui infensi sibi essent, Æschylum nomine. Constat quoque eum apud Demetrium gravissime pro Oropo legatione functum esse,

Ibid. Erat eius inprimis etiam studiosus Antigonus, Macedoniæ Rex, seque ipsius discipulum profitebatur. In eius gratiam decretum Menedemus scripsit simplex, & sine affectatione, cuius istud initium: *Quoniam Antigonus Rex prælio fractis Barbarorum viribus in regnum rediit, ceteraque omnia feliciter ipsi succedunt, visum senatui populoque &c.*

CAP. V.

Virtutes & Apophthegmata ejus.

Laer. II, 128 Menedemum, quod summa esset gravitas eius, Crates irrisit sequentibus:

*Phliasiumque Asclepiadem taurumque * Eretrensem*

& Timon;

Dicturus fastu turget rudibusque cachinnis.

* Staul. γαυρὸν pro ταυρὸν apud Laer. legisse videtur, nam vertit Eretriensem superbum.

Adeo autem gravitate pollebat, ut Eurylochus Cassandreus una cum Cleippide, Cyziceno adolescente, ab Antigono invitatus, non auderet parere, ne Menedemus id rescisceret veritus.

Laer. II, 1. 9. 128. In obiurgando amarus erat & vehemens; Cuius rei specimina Laertio allegantur ex iis, quibus iuvenem, audacius adversus se insurgentem, Hieroclem item, nec non adulterum gloriantem, iuvenem item naclamantem repressit.

Ibid. Consulenti eum Antigono, an ad convivium sibi eundum sit, in quo luxum regnaturum cum maxime nosset, neque eundum esse suadens, neque manendum: hoc solum, ut convivis nuntiaret, autor fuit; * *Regis se esse filium.*

* melius Laert. verba ita accipere, cum Antigono præcepisse, ut Regis filium se esse meminerit.

Stupidum quendam temere eius sermones interstrepentem, & nihil quod ad rem faceret afferentem, an villam haberet? interrogavit. Cumque ille multa se habere prædia respondisset. Perge, dixit, & illorum curam gere, ne rusticitatem exuere cupiens, & illa amittas.

Sciscitanti, an uxor esset ducenda sapienti? *An ego*, inquit, *tibi sapiens videor*. Cumque alter annuisset; *atqui ego*, inquit, *uxorem duxi*.

Cum nimiã nonneminis a quo ad cœnam identidem invitabatur, profusionem haut posset compescere, vocatus aliquando, silentio eum castigavit, nullum alium præter oleas cibum attingens. Laer. II, 129

Hæc vero eius libertas parum abfuit, quin in Cypro dum ageret, apud Nicocreontem, una cum Asclepiade, amico suo, eum in periculum adduceret. Nam, cum ad festum, quod singulis mensibus redibat, invitati a Rege essent; Menedemus, *si honesta quidem*, inquit, *ista solemnia sunt, quotidie celebrari ea oportebat, sin minus, nimium quoque esse, quod tam sæpe celebrentur*. Tum Rex, *hanc diem, ut Philosophos audiret, sese instituisse aiebat*. Menedemus igitur sententiæ insistens, *omni die philosophos audiendos esse defendebat*: quod tanta egit contentione, ut nisi a tibicine opportune evocati fuissent, morte eis libertas fuerit luenda. Unde, cum navi fluctibus plurimum iactarentur, Asclepiadem dixisse ferunt: *Tibicinis docta modulatione servatos se esse, Menedemi vero perire audacia.*

Ordinis in schola sua parum erat curiosus, alias tamen gloriæ avidus, Laer. II, 130

&ani-

& animo elatus. Adeo, ut, cum sub primum contractæ familiaritatis tempus fabrum in ædificando ipse cum Asclepiade juvaret, Asclepiades quidem nudus super tectum lutum ferre coram omnibus visus sit, ipse vero, si quem sensisset prætereuntem, latebras quæsiverit.

Laert. II, 131 Erat etiam aliquanto ad superstitionem proclivior. Hinc, cum aliquando in coqui taberna carnes cum Asclepiade comedisset imprudens morticinas, eo animadverso nauseam & pallorem contraxit; donec Asclepiades obiurgaret, non ex cibo, sed phantasia eum ægrotare demonstrans.

In ceteris magno animo fuit & ingenuæ indolis; corporis robore, etiam senex, plane athletico; adusta facie, haut parum obesus, staturæ mediocris, id, quod ex statua eius apud Eretrienses patere Laertius ait, posita in vetere stadio, atque ita elaborata exacte, ut nudi corporis proportionem referat.

Laert. II, 133 Amabat Aratum & Lycophronem, Tragicum Poetam, Antagoram item Rhodium, summum tamen eius in Homerum studium extitit: proximum Lyricis tribuebat: post quos summum Sophoclis apud eum pretium erat. In satyricis secundas Achæo, primas Æschylo deferebat. Unde eos, qui contra in Republica sentiebant, ita compellabat:

Deprensus est a languido haut raro celer,
Testudo Regem sæpe cepit alitum.

qui sunt Achæi versus, fallique adeo liquet eos, qui nihil eum præter Euripidis Medeam dicunt legisse, quam inter Sicyonii Neophronis poemata habemus.

Laert. II, 136 De Bione, qui vates studiose insectabatur, dicebat, *mortuos illum jugulare*.

Dicente nonnemine, maximum esse bonum potiri desideratis, *multo*, dixit, *majus est, ea solum, quæ deceat, desiderare*.

In disputando vehemens erat, moribus cetera placidissimus. De Alexino, quem disputando acerbissime sæpe exceperat, irriserat amarissime, reipsa tamen optime mereri studuit; ut uxor eius salva Delphis Chalcidem traduceretur, itinere a latronibus infesto, curam gerens.

Amicitias pie sanctequeque coluit, cujus rei argumento est eius in Asclepiadem fides, de qua antea dictum est nobis: solum Persæum constantissimo odio est prosecutus. Haut enim obscurum erat, Antigonum, cum Menedemi gratia Eretriensibus rempublicam restituere voluisset, ab eo, ne faceret, prohibitum fuisse. Quamobrem in convivio aperte in eum invehebatur Menedemus, sic inter cetera inquiens: *Atqui iste quidem philosophus est, vir omnium qui sunt, quive deinceps existent, profecto nequissimus*. Laert. II, 137 Laert. II, 143.

CAP. VI.

Eretria ut valedixerit diemque obierit.

Laert. II, 132. POstremo summa cum Antigono Rege familiaritas civibus suis eum suspectum fecit, quasi proditionem moliretur. Quam cum ipsi Aristodemus dicam scribere non vereretur, fugam arripuit, atque Oropi moratus est primum, in Amphiarai fano. Ibi cum aurei quidam calices furto essent subducti, publico Bœotiorum decreto loco migrare est iussus. Inde igitur in

T patriam

patriam clanculum rediit, uxoreque ac filiabus secum abductis, ad Antigonum Regem se contulit, ibique mœrore vitam finivit.

Laer. II, 143 His tamen contraria Heraclides refert; Nempe Demetrium, senatus principem, urbi identidem suppetias adversus eos tulisse, qui Demetrium Regem ei imponere satagebant. Neque adeo prodendæ urbis unquam ei venisse in mentem; sed calumniam eam fuisse. Quin potius profectum eum ad Antigonum, ut integram patriæ suæ restitueret libertatem, orantem: quod cum impetrare non posset, fame septidua præ mœrore vitam eum finivisse, id quod Antigonus Carystius etiam confirmat. Vixisse annis LXXXIV Heraclidæ testimonio constat.

HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ

PARS IV.

ACADEMICOS

COMPLEXA.

PLATO.

CAP. I.

Patria, Parentes & Ætas Platonis.

INter Sectas, a Socrate derivatas, maxima ACADEMICÆ fuit autoritas, quæ nomen ab *Academia* habuit, loco apud Athenienses, in quo illius philosophiæ professores docebant. Habuit autem ea familia autorem PLATONEM: eandem postea *Speusippus*, *Xenocrates*, *Polemon* & *Crantor* conservarunt. *Vetus Academia* sive *prima* ea est appellata, quamdiu eidem illi præessent. *Crantori* succedens *mediam Academiam* instituit *Arcesilaus*, in qua *Lacydem*, *Teleclem*, *Evandrum* & *Hegesinum* habuit successores. *Nova Academia* autor *Carneades* extitit, ex qua & *Clitomachus* prodiit. *Quartam* nonnulli etiam *Academiam* agnoscunt, a *Philone* & *Charmide*, imo & *quintam*, ab *Antiocho* fundatam.

Plato Atheniensis citra controversiam fuit: nec fidem merentur, qui Thebanum eum, Cynocephali natum, garriunt (a). Collytei pagi parentes eius fuisse Antileonti (b) est proditum. Natus autem Plato, iuxta Phavorinum (c) in Ægina insula, in domo Philiadæ, Thaletis filii, patre eius cum ceteris eo misso, ut agros sortiretur, post recuperatam Æginam, quæ ab Atheniensibus defecerat, sub Peloponnesiaci belli initia. Rediitque cum parentibus Athenas, expulsis a Lacedæmoniis, Æginæ subvenientibus, Atheniensium colonis.

Generis eius summa erat nobilitas. (d) Pater enim eius *Aristo*, Aristoclis filius, ex Codri, Melanthidæ, posteris erat, qui, ut Thrasyllus autor est, ad Neptunum genus referebant. Melanthus autem Messana profugus Athenas venit: ubi; cum Xanthum (e) dolo interemisset, regnum accepit. post Thy-

a Laer. III, 1 Tzetz Chil. 11. 390
b Laert. III, 3.
c Laer. l.c. Suid. Πλάτ
d Laer. III, 1. fuse Meurs. de Reg. Athen. III, 10.
e Bœotorum ducem, cum quibus tum bellū Athenienfibus.

Thymœtem, ultimum Theseidarum. Mater Platonis *Perictione* fuit, quæ *Potona* (*f*) aliis audit, cuius cum Solone cognationem hoc modo Laertius & Proclus (*g*) deducunt. Duo erant Excestidæ filii Solon & Dropides. Dropides Critiam suscepit, Soloni in carminibus suis memoratum (*h*).

Dic Critiæ faciles ut patri præbeat aures,
Si certum cupiet tutus habere ducẽ.

Critia genitus Calæschrus fuit, ab hoc rursum Critias, qui in XXX tyrannis fuit, & Glaucon, (vel ut Apuleius vocat, Glaucus). Glaucon Charmidæ & *Perictiones* pater fuit. *Perictione* ex Aristone Platonem, sextum inde a Solone, genuit. Solon ad Neptunum & Neleum, Nestoris parentem, genus referebat. Ita Laertius, a quo in eo solo discedit Proclus, quod Critiæ prioris filium Glauconem faciat, & Callæschri fratrem, id enim diserte Critiam firmare ait, apud Platonem in Charmide, ubi Glauconem, Charmidæ patrem, patruum suum appellet. Hac vero ratione maternum pariter ac paternum genus a *Neptuno* Plato derivavit.

Fuere, ut Apuleius loquitur, qui Platonem *augustiore conceptu prosatum dicant*. Aristander, (*a*) cum ceteris Platonicis plerisque, a matre eum ex spectro, Apollinis habitum præferente, conceptum arbitratur. Speusippus, (*b*) in libro, quem Platonem inscripsit, sive περὶ δεῖπνα * & Clearchus in laudatione Platonis, Anaxilides item, in secundo de philosophis libro, nec non Plutarchus, Suidas atque alii referunt, (*c*) vulgatam apud Athenienses fabulam fuisse, esse eum *Apollinis* filium, qui in visione *Perictionæ*, emendatissimæ formæ feminæ, oblatus, *ei se miscuerit*, (*d*) ex quo ea concubitu gravida sit facta. *Aristoni* (*e*) interea marito identidem Venerem cum ea coniungere frustra conato, donec in somnio ei appareret Apollo (*f*), simulque voce moneretur divina, ut decem mensibus ab uxore abstineret, donec partum edidisset. Abstinuit igitur, indeque Tyndarus:

Non est mortali genitus, mihi crede, parente
Sed genitore Deo satus prodivit in auram.

Sunt inter eos, quod Hieronymo relatum, qui ex virgine natum existimarunt. Inter Athenienses autem nihil tritius fuit fabula a Phœbo Æsculapium genitum esse & Platonem, alterum corporribus, animis alterum sanandis. **

Post Platonem alios *Aristo* filios ex *Perictione* suscepit duos, *Arimaretum* & *Glauconem*, & filiam *Potonam*, Speusippi matrem. Omnia vero ista clariora erunt sequentem considerantibus tabulam, genus eius repræsentantem:

f Laert. III, 2.
g ad Timæum Plat. p. 25.
h apud Procl. l. c.
Apul. de Dogm. Plat. sub init. & m. 34.
a l. c. apud Orig. c. Celsum L. VI.
b ap. Laert. III, 2.
c Plut. Sym pos. VIII, 1.
d Apuleius l. c.
e Laert. III, 2.
f Plut. l. c.
adv. Jovinian. L. I. T. IV. opp. p. 186 b.
Laert. III, 4 Suid.

T 2 Neptu-

* τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περὶ δεῖπνα forte legendum Πλάτωνος περὶ δεῖπνα. Inter scripta Speusippi Platonis memoratur ἐγκώμιον. Stanlei. Ed. Basil. & Codex Reg. habent Πλάτωνος περιδείπνῳ, h. e. in sepulcrali Platonis cœna.

** Nempe id sepulcro ejus ab Atheniensib. inscriptum. v. Olympiodor. in vit. Plat. Eos ipsos tamen versus, quibus id dicitur, sibi tribuit Laert. III, 46.

Neptunus —— *Chloris*, * nata Tiresia

Periclymenus

Penthilus †

Borus

Andropompus

Melanthus

Codrus —— Uxor Atheniensis

Neleus

Execestides *

Solon | Dropides

Critias

Callæschrus

Aristocles | Glauco | Critias ex XXX tyrannis unus

Aristo —— Perictione | Charmides

Plato, Adimantus, Glauco | Potone --- Eurymedon

Adimantus Jun. ** | Speusippus Platonis successor.

* Ita Schol ad Pindar. Nem. X. v. 61 adde Apollod. L. 1. c. 9. p. 41. Sed is Amphionis filiam dicit.

† Pausan. Corinth. c. XVIII. p. 158.

Laer. III, 1. Proclus ad Plat. Tim. p. 25.

** hæres Platonis quæ conjectura est Menagii.

Annum eius natalem quod attinet, (ne Eusebii attingam errorem qui in annum IV. Olympiadis LXXXIIX, quo Archon Stratocles fuit, & Chronici Alexandrini, quod in sequentem annum eum reiicit;) Laertius quidem octogesima octava Olympiade eum natum docet, innuens, ut puto, eius initio id factum esse, dum Archon adhuc esset Aminias. Scilicet idem alibi Laertius ait, Isocrate sex annis Platonem fuisse minorem, Isocratem enim Lysimacho, Platonem Aminia Archonte natum dicit, sub quo & mortuus est Pericles, & tertius agebatur belli Peloponnesiaci annus. Aminias ille Aminion dicitur veteri Grammatico ad Euripidem, (a) Epaminon Atheneo

Laert. III. 4.

(a) in argument. Hippolyti.

(b) Epa-

Ath. L. V p. 217. E. Diod. Sic. L. XII. p. 1021 (*b*), Epaminondas Diodoro Siculo (*c*) cuius varietatis causa particula ἐπὶ sive addita sive omissa esse videtur, quorum utrum rectius factum non facile est definire:

d Salmas. Exerc. Pl. p. 111. a F. Salmasius (*d*) verum nomen Ἀμείνων esse defendens plane affirmat nunquam a Græcis Archontem nisi addita particula ἐπὶ nominari, e Petav. Misc. Exercit. c. VII. Salmasii tamen sententiam defendit Menag. ad Laer. III, 4. sed ille Petavio (*e*) confutatus est error, cum quo facit marmor Arundelianum, in quo præpositio ἐπὶ Archontum nominibus addi haut solet.

Athen. L. V. p. 217. A, B. Nec multum dissentit Athenæus, qui anno proxime præcedente Platonem natum ait, Archonte Apollodoro, qui successor in hoc magistratu Euthydemi fuit, eo munere functi tertio anno Olympiad. LXXXVII, additque quartum decimum annum implevisse Platonem Euphemo Archonte, Olympiadis XC. anno quarto. In anno enim mortis ipsius exacte conspirant Laertius & Athenæus, ad annum primum Olympiad. CVIII. eam referentes, Archonte Theophilo, qui Callimacho in eo munere successor fuerat datus. In hoc solo Athenæus in diversa abit, quod LXXXII. computatis Archontibus, totidem annos Platoni tribuat, cum annis tantum LXXXI. eum vixisse constet.

Dies eius *natalis*, juxta Apollodorum, *Thargelionis septima* fuit, apud Delios Apollinis memoriæ sacra. Idem Floro apud Plutarchum relatum est, qui addit, sacerdotibus & Prophetis ἑβδομαγενῆ dictum *Apollinem* esse, ut qui *septima die* sit editus. Atque hinc fabula nata videtur parentem Platonis esse *Apollinem*, quam nihil divinæ ipsius naturæ obesse Plutarchus censet. Laer. III, 2 Plut. Sympos. VIII, 1. &c.

Incidebat autem, anno Olympiadis XXCVIII. primo, Neomenia Hecatombæonis mensis postridie Kalendas Augusti nostri: Sique adeo eas sequamur hypotheses, quas in Socratis vita exposuimus, cap. I. deprehensa eius anni littera Dominicali E. *Thargelionis septima*, juxta calculum Julianum, anticipando hic adhibitum, in *diem Veneris* incidet, quæ sit mensis *Maii XXX:* juxta Gregorianum, in *diem Veneris*, quæ sit *Junii IX*, anno periodi Julianæ 4286.

Atque ista quidem fide Historicorum nixi disputavimus, cum quibus tamen minime consentiunt Astrologi. Jul. Firm. Astron. L. VI. c. 31. p. 872. Schema enim Platonis natalitium hoc modo Julius Firmicus repræsentavit:

„Horoscopus inquit, si in ♒ fuerit inventus, & in eius parte ♂ & „♀ & ☿ sint partiliter collocati, in „occasu vero Jupiter positus ♌ habent signum; & in anaphora Horoscopi ☉ constitutus signum ♓ „teneat; ☽ vero in ♊ collocata, & „in quinto genituræ loco constitu-

 „ta ho-

„ ta, horóscopum trigonica radia-
„ tione respiciat;& ♄ nonum ab Ho-
„ roscopo locum tenens in libræ si-
„ gno sit constitutus; hæc genitura
„ divinarum & cœlestium institu-
„ tionum reddit interpretem, qui
„ docili sermone, & divini ingenii
„ potestate, compositus, ac cœlesti
„ quodammodo institutione forma-
„ tus, vera disputationum licentia,
„ ad omnia secreta divinitatis acce-
„ dat, hæc enim Platonis genitura
„ fuisse, vera narratione historiæ
„ suggeritur. Ita Firmicus, cuius schema calculo ceterorum minime est consentaneum, competens scilicet in medium *Februarium* & *Martium* mensem, quo sol piscium signum peragrare solet.

Hinc patet ingentem committere anachronismum eos, qui Platonem in Ægyptum abiisse dicunt, Jeremiæ Prophetæ ævo, quod ad XXXVI Olymp. refert Eusebius, eumque ibi audivisse. Nempe captivitatis Babylonicæ tempore, Jeremiam in Ægyptum deportatum fuisse constat, a Joanne, Chareæ filio. (Jerem. XLIX.) Judæos autem Babylonem Nebucadnezar abduxit, ea ætate, qua Romæ Tarquinius Priscus regnavit, in Ægypto Vaphres, ad quem Judæorum confugerunt reliquiæ: quod XLVII. contigit Olympiade, CLX. ante Platonis natalem annis. Hanc igitur opinionem, antea a se defensam, postea in libris retractationum revocavit, atque ex instituto confutavit in iis, quos de civitate Dei scripsit libris, Hipponensis Episcopus. (August. de Doct. Crist. II, 28.) (Id. de Civ. Dei, VIII, 11.)

CAP. II.

Ejusdem educatio, exercitia & studia.

INfans dum adhuc esset Plato, matris Perictiones sinu gestatus, Hymettum, Atticæ montem, apum mellisque abundantia celebratissimum, Aristo, pater eius, petebat, ut Musis ibi Nymphisque sacra faceret, uxore & filio comitantibus. Sacris autem dum essent intenti, infantem mater in proximis myrtis, densis atque opacis, reposuit. (Ælian. V. H. X, 21. Olympiodorus vit. Plat.)

Ad eum itaque *in cunis dormientem*, apum sese applicuit examen, Hymettii mellis artificum, eumque circumvolitantes, & suavi circumstrepentes susurro, mel parvuli labellis inseruere. Quare audita prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ei pollicebantur eiusque facundiæ iam in infantia extitit præsagium. (Valer. Maxim. I. 6. VI.)

Parentes avi Aristoclis nomen ei indidisse Alexandro relatum. (*a*) Speusippus vero (*b*) domesticis instructus documentis pueri eius ingenium, & admirandæ verecundiæ indolem laudat, (quæ tanta fuit, ut ne ea quidem ætate ridere immodice sit deprehensus(*c*),) & pubescentis primitias labore atque amore discendi imbutas refert, & in viro harum incrementa virtutum, & ceterarum, convenisse testatur. (a Laer. III, 4. b Apulei. de Dog. Pl. p. 35. c Laer. III, 26.)

Prima litterarum rudimenta a *Dionysio* Grammatico, cuius etiam in Anterastis meminit, accepit. Palæstricis exercitatus apud *Aristonem*, Argivum palæstritam, fuit, quæ magna ea ætate in existimatione fuerunt, ut quæ ludorum partem Olympicorum absolverent. Eis vero tantum profecit, ut ludis Pythiis in isthmo luctatus quibusdam tradatur. (Laer. III. 4.)

Ut

Ut annis vero atque virtute, ita egregie corporis quoque forma & robore incrementa cepit, quæ causa fuit, ut *Platonem* vocaret Ariston, quod nomen ad corporis amplitudinem pertinet: alii tamē ad humeros latius patentes, Neanthes ad frontis (a) amplitudinem, alii ad eloquii ubertatem referunt. Sed quæcunque ejus nominis fuerit occasio, ei quod a parentibus inditum fuerat, cessit. Sarapidem quoque dictum Hesychius autor est. (b) Emendatissima autem erat corporis forma, nisi quod gibbus in sincipite compareret, & vocis laboraret balbutie, (c) * ut Timotheo est observatum. (d)

Picturæ quoque, ut Dicæarchus testatur, studiosus fuit, multumque Poesi sese impendit, quin & poemata plurima concinnavit: Dithyrambica primum, post Epica, quæ cum Homericis comparata, (e) multum eis inferiora judicans, cremavit. Inde ad tragœdias scribendas se contulit, perfectamque tetralogiam composuit, (h. e. dramata quatuor, ut facere amabant, invicem certantes Poetæ, quatuor diversis festis, Dionysiis puta, Lenæis, Panathenæis, Chytris, ** quorum ultimo Satyrica in scenam proferebantur eaq; mimis, ut agerentur, tradidit, in Olympicis præmium meriturus. Verum die ante quam repræsentanda esset, semel audito Socrate in Olympico theatro (ante Bacchanalia †) ita Sirene ejus est captus, ut non eo tantum tempore certamen declinaverit, sed penitus Tragicæ nuntium miserit poesi, crematis, quæcunque in eo genere elaborasset (f), Homericum illud adiiciens.

Huc ades o Vulcane, Plato nam te eget in hac re.

Ab eo autem tempore, quo egit annum ætatis XX, qui in Olympiadis XCII. annum IV. incidit, Socrati se adjunxit, & philosophiæ operam navare cœpit.

Sunt, qui dicant (g), pauperie adactum militiam secutum fuisse, in Socratem vero cum incidisset, & rebus homini maxime necessariis esset imbutus, divenditis armis ad philosophiam se ipsius autoritate contulisse, quod tamen, neque immerito, in dubium Ælianus vocavit.

Pro patria eum militiam esse secutum,

a μετώπου Suid. εὐρύτητι & Senec. Ep. 59. Hesych. vit. Plat. utrumq; iungit.
b Σαραπιν.
c ἰσχνόφωνος quod præter gracilitatem vocis, quo sensu a Laertii interpretibus & Ficino sumitur, vocis vitium hæsitantis notat Arist. Prob. XI, 30. nisi ap. eum pariter ac Laertium legi malis ἰσχόφωνος.
d apud Laert. III, 5.
e Ælian. V. H. II, 30. Eustath. ad Homer. Il. E. p. 392.
f Laert. III, 56.
f Laert. III, 5. Homer. Il. v. 392.
g Ælian. III. 27.

* Quocunque modo vocem ἰσχνόφωνος explices, difficile est eam conciliare cum suavitate oris apum portento indicata: cum singulari eloquii suavitate, quam Valerius Max. I. [illegible] cum μέγα φωνῆεν, quam Plutarch. de Plac. philos. I, 7 cum Ἀτθίδος εὐγλώσσου στόματι quod Epigramma vetus ei tribuit. Nisi hæc omnia ad elocutionis tantum, non ad pronunciationis elegantiam, pertinere dicas.

** Stanl. habebat *quatuor diversis festis Lenæis, Panathenæis, Chytris, quartum Satyricum fuit*, quatuor numerans, non vero nominans. Supplevimus ex Laertii loco ad marginem allegato.

† ante Bacchanalia) Hæc parenthesis nata ex eo, quod diversos autores ob oculos haberet Stanleius, Nempe Diogen. Laert. III, 6. de Platone dicit: μέλλων ἀγωνίσασθαι πρὸ τοῦ Ὀλυμπιακοῦ θεάτρου, Σωκράτους ἀκούσας κατέφλεξε τὰ ποιήματα. Ælianus vero II, 30. καὶ ἔμελλεν ἀγωνιεῖσθαι δοὺς ἤδη τοῖς ὑποκριταῖς τὰ ποιήματα. πρὸ τῶν Διονυσίων δὲ παρελθὼν ἤκουσε Σωκράτους &c. Hinc igitur Stanleius in præcedentibus dixerat Platonem in Olympicis certare tragœdia voluisse. Et subiungit, in theatro Olympico, ante Dionysia, Socratem audientem, consilium mutasse; Sed haut dubie apud Laertium legendum πρὸ τοῦ Διονυσιακοῦ θεάτρου Σωκρ. ἀκούσας, quod jam suboluit Viris doctis. Luculento argumento vera hæc lectio esse probatur ex Philostrato Vita Apollonii L. V. c. 7. ubi in Olympicis tragicorum certamina usu recepta non fuisse affirmatur:

cutum; constat ex responso, quo Crobyli Sycophantæ convitium diluit. (h) Ter eum militasse Aristoxenus (i) autor est, & Ælianus: (k) ad *Tanagram* nempe primum, inde ad *Corinthum*, postremo ad *Delium*, ubi primas fertur tulisse. Atque ita Aristoxenus quidem, quem falsum tamen esse ex temporum ratione facili negotio evincitur. Primum enim ad *Tanagram* a Lacedæmoniis pugnatum est Olympiadis XXC. anno IV, decimo septimo ante Platonis natalem anno. Secundum anno Olympiadis XXCIX, primo, quo quartum ætatis annum vix expleverat. Ad *Delium* quoque pugna anno primo Olympiadis anno, cum quadrimus esset, contigit. Ex postremis autem Aristoxeni verbis ἔνθα κ̀ ἀρισεῦσαι, quibus *primas eum tulisse* in pugna ad Delium docetur, colligas licet, ad Socratem ista pertinere, qui ter militiam fuit secutus & ad Delium primas poterat ferre, nisi ejus modestia, ut Alcibiadi decerneretur, fuisset effectum.

h Laert. III. 24. & Infra c. XI.
i ap. Laert. III 8.
K Aelian. V. H. VII. 14.
l Is tamen *Tanagra* tantum & *Corinthi* oppugnationi cum ait interfuisse.

Vid. Vic. Socr. c. VII.

CAP. III.

Præceptores, qui in Philosophia eum instituerunt, atque itinera illius studio suscepta.

Socratem ea nocte, quæ diem præcessit, qua commendatus ipsi Plato fuit, per somnum vidisse dicunt cygni pullum, ex altari, quod in Academia Cupidini consecratum est, provolantem, & in gremio suo residentem, postea pennis cœlum petentem, cantu musico aures hominum Deorumque mulcentem. Quod cum die subsequente somnium amicorum nonnulli exponeret Socrates, Aristo intervenit, filiumque Platonem in disciplinam ei tradidit. Quo conspecto Socrates; ex corporis lineamentis de candore ejus & ingenua animi indole conjecturam faciens, *hic cycnus est*, exclamabat, *amici*, *Cupidinis in Academia*.

Apulei. Dogm. Plat init. Laert. III. 5. Suid.

Socratis convictu octo usus est annis, quo tempore, quod & ceteris Socraticis positum in more, quæ a Magistro audivisset scripto tradidit. Ex iis Dialogos composuit, multa tamen adeo intertexens de suo, ut Lyside, dialogo ejus, coram Socrate lecto, exclamaverit *quam multa, O Hercules de me mentitur adolescens*! Haut pauca enim Plato, de quibus nunquam in mentem venerat Socrati in litteras retulit.

Laert. III. 35.

Eo, quo Socrati capitis causa agenda fuit, tempore, Olympiadis nempe XCV. anno I, in senatu fuit, collegarum ætate minimus. Ex eo autem, quod senator fuit, XXX. annos tum implevisse colligitur, ea enim ætas huic dignitati consequendæ Solonis lege fuit præscripta. Hoc ipso vero error revincitur Hermodori, qui anno ætatis duodetrigesimo Megaras eum, Socrate defuncto, fugisse dicit; eorum item destruit sententiam, qui in natali ejus metachronismum committunt. Cum autem in Socratem animo judices essent maxime iniquo, oratoris cathedra conscensa Plato, defendere eum conatus est, ita fere exorsus: Quamvis *eorum*, Athenienses, *qui locum hunc occupare solent*, *sim minimus natu*: exclamantibus vero cunctis, *imo eorum*, *qui loco hoc abeunt*, parere coactus est. Socrati damnato Plato pecuniam obtulit, qua libertatem posset redimere, quod

Laert. III. 9.

Laert. II. 42.

tamen facere ille nolebat. Circa id tempus autem congregatis Socratis amicis, ut mortem ejus una lamentarentur, Plato animos addidit, non desperandum ipsis inquiens esse, vel se enim Scholæ regendæ idoneum esse. Hisque dictis Apollodoro propinavit, qui malle se cicutam a Socrate propinatam accipere dixit, quam ea conditione propinanti respondere. Timens autem post Socratis, quem acerbissime, Plutarcho teste, luxit, excessum, Atheniensium sævitiam, ad Euclidem Megaras cum ceteris Socratis familiaribus se contulit, a quo, donec detumuisset tempestatis ira, hospitio humanissime fuit exceptus. (Plut. de Virt. Mor. p. 449. D. Laert. II, 6.)

Heracliti secta fuisse imbutum, antequam Socratem sequi cœpisset, Apuleius autor est, verosimile tamen est magis, quod Laertio observatum, eum post Socratis fata Cratylum, Heracliti sectatorem, Hermogenemque audivisse. (De Dogm. p. 35. Laert. III, 6.) „ Parum „ putans, ut Augustinus ait, per„ ficiendæ philosophiæ sufficere sei„ psum, ac Socraticam disciplinam, „ quam longe lateque potuit, pe„ regrinatus est, quaquaversum „ eum alicujus nobilitatæ scientiæ „ percipiendæ fama rapiebat, „ ad extremos usque, Cicerone teste, (a) orbis terrarum fines. (August. de C. D. L. 8. c. 4.) Atque adeo Italiam primum petiit, ubi Pythagoricam disciplinam est amplexus, quam, etsi oratione diligenti & magnifica instructam videbat, rerum tamen continentiam & castitatem magis cupiebat imitari. (b) Quamvis ipsi quidem Pythagoræi quicquid est naturalis philosophiæ inde eum derivasse affirment. (c) *

Pythagoræorum autem ingenium adiutum aliis disciplinis sentiens, ad Theodorum, Cyrenas, ut Geometriam disceret, est profectus. Inde Ægyptum, Artaxerxis Mnemonis ea ætate imperio obnoxiam, olei vendendi prætextu, (d) vero autem scopo Astrologiæ discendæ, accipiendorumque a barbaris sacerdotibus numerorum & cœlestium, ut Cicero ait, (e) & prophetarum ritus ut addisceret, (f) petiit. „ Eam vero regionem pe„ ragravit, (g) dum a Sacerdotibus „ ejus gentis Geometriæ multipli„ ces numeros, atque cœlestium „ observationum rationem perci„ pit. Quoque tempore a studiosis „ juvenibus certatim Athenæ, Pla„ tonem doctorem quærentibus, pe„ tebantur, ipse Nili fluminis in„ explicabiles ripas, vastissimosque „ campos, effusam barbariem, & fle„ xuosos fossarum ambitus, Ægy„ ptiorum senum discipulus, lustra„ bat. „ Tota lustrata Ægypto (h) postremo in Saitico consedit nomo, a sapientibus institui cupiens, quid de universo statuant, initiumne habeat an minus? an item de præsenti sive ex toto moveri, sive ex parte, rationi consentaneum putent.

Ab

a De Finib V. 29. ubi de itineribus Platonis. non tamen ea præcise verba invenio.

b Apulej. de dogm. Plat. p. 35.

c Porphyr. Vita Pythag. Apulej. l. c.

d Plut. Solon. p. 79. E.

e Cic. de fin. l. c.

f Apulej. l. c.

g Val. Maxim. VIII. 7 Extern. 3.

h Epist. Socratic. 16.

* Ejus rei autorem Stanleius Porphyrium allegat, in cujus vita nihil tale est, nisi quod p. 205. Platonem & alios quosdam Philosophos utilissima quæque ex Pythagorica doctrina in suos usus vertisse dicitur. Physica vero a Pythagoræis habere Platonem narrat Anonymus vitæ ejus scriptor apud Photium Cod. CCLIX. qui ab Holstenio post Porphyrium exhibetur, quod Stanleio fraudi fuisse videtur. Sic enim ille: ὅτι τὴν μὲν θεωρητικὴν καὶ φυσικὴν Πλάτωνά φασι (οἱ Πυθαγόρειοι) παρὰ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Πυθαγορείων ἐκμαθεῖν.

Messen. p. 360.

Ab his Pausanias animorum eum ait accepisse immortalitatem, eam enim juxta cum ejusdem in varia corpora transmigratione eos statuisse Herodotus testatur. Sunt, qui Euripidem eum in Ægyptum secutum dicant, quem cum a morbo, in quem inciderat, marina curatione sacerdotes liberassent, dixisse fertur:

Mare universa proluit mortalium mala.

Verum parum istis consentanea sunt, quæ de morte ejus traduntur, quam ante Socratis excessum obiisse eum constat, Olympiade XCIII.

a Cic. Caton. Mai. c. 16.

Ex Ægypto Platonem Tarentum rediisse L. Camillo, Appio Claudio Cons Ciceroni (a) affirmatum, quibus fastis uso, me quidem ignorare fateor, in iis enim, qui hodie in autoritate sunt, ejus nominis consules, quamdiu Plato vixit, nulli reperiuntur.

b Apulej. Dogm. Plat. p. 35.
c Cic. l. c.
d Cic. de fin. V. 29.
e Val. Max. IX. 7. Ext. 3.
f Cic. de fin. l. c.
g Apulej. l. c.

Et certe ea ætate Tribuni plerumque urbi Romæ præfuerunt. Hic vero Eurytum Tarentinum, & Seniorem Archytam fuit sectatus, (b) cujus sermonibus de voluptate interfuit: (c) reliquos item Pythagoreos, Echecratem, Timæum, *Acrionem*, (d) qui corrupte *Ario* Valerio Maximo (e) dicitur, Coetumque, Locros. Ita cum Socratem expressisset, adjungebat Pythagoreorum disciplinam, eaque, quæ Socrates repudiabat addidicit (f). Ad Indos quoque, & Mogos intendisset animum, nisi cum bella tunc vetuissent Asiatica. (g)

CAP. IV.

Quos secutus auctores fuerit.

De Peren. Phil. l. 17. V. 2.

AUgustino Steucho, Eugubino, affirmatum, reconditam magis sapientiam ex Hermete Trismegisto Platonem derivasse, maxime eam, quæ de Deo, ipsum bonum qui sit, agit. Quod tamen Eugubinum conjectura potius, ducta ex mora, quam in Ægypto fecit Plato, quam certa autoritate nixum dixisse existimo. Ut diceret vero induxere libri, qui hodie vulgo, perperam tamen, Hermetis Trismegisti nomine circumferuntur, quorumque malam fidem affatim nobis in Exercitationibus contra Baronium doctiss. Casaubonus demonstravit; ex Platonis libris & sacris scripturis, uti verosimile est, ab impostore quodam compilatorum.

Exerc. I. n. 18.

a ap. Euseb. præp. IX. 6.
b L. 2. c. Apion. p. 1079. B. cap Clem. Al. Str. l. p. 342. C
d Justin. Paræn. p. 81. D.
e Clem. Al. l. c.
f Euseb. Præp. l. c. & XIII 12.
g Theodorit. Therap. VI p. 90 91.
h August. de Civit. D. VIII. 11.
i Laer. l. iii. 9. & VIII. 84. qui tamen non Philolai, sed a Philolao Pythagoricus libros Platonem emisse ait.

A Mose autem lucis aliquantum accepisse Platonem, gravioribus autoribus diversarum gentium, diversorumque sacrorum, est affirmatum. Ex Judæis Aristobulo (a) *Plato* inquienti, *nostras leges in haut paucis secutus est, a quo curiose eas excussas fuisse, allegationes ejus* * *sunt argumento*. Josephus (b) item *Plato*, inquit, *nostrum maxime legislatorem est secutus*. Et ex Philosophis Numenius (c) *quid est Plato*, inquit, *nisi Moses Atticissans*? Ex patribus similia apud Justinum Martyrem, (d) Clementemque Alexandrinum (e) legere est, Eusebium (f) item, Theodoritum (g) & reliquos (h).

In Siciliam profectus Pythagoræi Philolai libros emit, (i) numero tres, de naturali philosophia primum,

* Id quidem textus Eusebii non dicit. Sed hoc tantum, curiose Platonem Leges Mosis expendisse. καὶ φανερός ἐστι περιειργασμένος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ λεγομένων.

mum, ante quem alius nullus in ea Schola evulgatus fuit. Sunt, qui eos a Dionysii familiaribus Platonem accepisse, minarum quatuor Alexandrinarum pretio, dicant. Alii Dionysium a juvene quodam, Philolai discipulo, acceptos Platoni donasse referunt. Alii denique ad Dionem eum misisse ajunt, qui Syracusis eos emeret, a quo etiam G minis, vel, ut Gellius ait (k), mille denariis fuerint comparati. Nempe abundabat opibus Plato, acceptis a Dionysio, talentis plus quam XXC. Ex illis vero Philolai libris, eorum, quæ in Timæo habet, partem haut exiguam derivasse Laertio affirmatur, Gellioque, (l) quod ita eum Sillis suis perstringendi occasionem Timoni (m) dedit.

k Gellius lib. 17. l Gell. l. c. m ap. Gell. l. c.

Teque Plato, nam te discendi exciverat ardor.
Vi magna argenti paucos emisse libellos.
Haut piget, his tinctus cæpisti scribere tanta.

Affirmat & Alcimus in IV. ad Amyntam libris (n) plurima Platonem ex Epicharmi Comici scriptis decerpsisse. Sic enim in primo illorum librorum Alcimus loquitur: „Constat autem & Platonem complura sibi de Epicharmi libris assumere. Considerandum autem esse „Plato asserit, sensibile esse, quod „in qualitate, aut in quantitate „nunquam persistit, sed diffluat „semper, atque immutetur. Veluti si numerum ex summa abstuleris, neque æqualia, neque „eadem, neque quantitate neque qualitate, relinquentur. „Porro ista sunt, quorum semper „generatio est, nunquam vero substantia prodiit. Intelligibile vero cui nihil vel accedit vel decedit. Hæc autem sempiternorum „natura est, quam similem atque „eandem semper esse contingit." Sic Plato apud Alcimum. Et sane ea est doctrina Platonis loco non uno, & in *Timæo* maxime, ubi fuse explicatum dedit, quid sit id, quod nunquam est, neque initium habuit unquam: quid illud item, quod initium habet, non vero essentiam. Primum intellectu comprehendi ait per rationem, alterum sensu atque opinione. Locus tamen, quem Alcimus respicit, in *Theateto* esse videtur, in quo dialogo de scientia agitur. Examen autem eo instituit definitionum, scientiæ nonnullarum, a veteribus traditarum, atque inter alias Protagoræ definitionem, qui scientiam sensum esse docuit. Contra quam prolixam disputationem instituit, cujus huc redit summa: Animum alia mediante corpore, alia sine eo percipere. Prioris generis calorem esse, lucem, ariditatem, dulcedinem. Alterius, esse & non esse, simile esse & dissimile, esse idem & diversum, unum esse & multa. Inde consequens esse rerum essentias sensum non assequi, neque adeo veritates, unum enim essentiam cum veritate esse atque idem. Atque hanc Platonis doctrinam ab Epicharmo Alcimus derivat, qui de sensibilibus atque intelligibilibus diserte in eam sit locutus sententiam. Laert. III. 10.

n ap. Laert. III. 9.

A. *Nempe Di semper fuerunt, atque nunquam intercident.*
Hæc, quæ dico, semper nobis rebus in iisdem se exhibent.
B. *Extitisse sed Deorum primum perhibetur chaos:*

en vers. Grotii Excerpt. Comic. & Trag. p. 478.

A. Qui-

A. *Quinam vero? nam de nihilo nil pote primum existere.*
Ergo nec primum profecto quidquam, nec fuit alterum.
Sed quæ nunc sic appellantur alia fient postmodum.
Sume numerum, quemquem libeat, vel parem vel imparem:
Si quem huic cupias aggregare calculum, aut subducere,
An tibi hic idem videtur? non mihi vero quidem.
Sic & aliquid ad cubitalem si addas magnitudinem,
Aut si contra demas, eadem jam mensura non erit:
Quia non sic habebat ante: Pariter nunc considera
Homines: horum videas illum crescere hunc decrescere.
Quotquot sunt, mutationi tempore omni subjacent:
Et naturam quisque variat, uno nec manet in statu:
Ipse heri, tuque aliud fuimus, aliud sumus hoc tempore,
Iterumque alii: nunquam eidem sumus, ut ratio prædicat.

Laert. III. 10. Addit idem Alcimus: „ Ajunt „ sapientes animam alia quidem „ sentire per corpus, puta videndo „ atque audiendo, alia vero ipsam „ per seipsam animadveetere, nul„ lo corporis officio utentem, quo„ circa eorum, quæ sunt, alia sen„ sibus percipi, alia intelligentiæ „ ratione comprehendi. Quare Pla„ to quoque dicebat, oportere eos, „ qui cuperent rerum initia colli„ gere, ipsas primum species, quas „ ideas vocat, secundum seipsas di„ stribuere: puta similitudinem & „ monadem, multitudinem atque „ magnitudinem, statumque & mo„ tum. Secundo ipsum per seipsum „ honestum ac bonum, justum, at„ que hujusmodi cetera, subiicere. „ Tertio examinare quæ sibi mu„ tuo cohæreant ideæ, puta scien„ tiam, aut magnitudinem, sive do„ minationem, simul & illud cogi„ tare, ea, quæ sunt apud nos, ex „ illorum participatione eis æqui„ voca fieri. Exempli causa, justa „ dicimus, quæ ex justo partici„ pant, honesta, quæ ex honesto. „ Estque unaquæque species æter„ na, ac præterea intelligentia om„ ni perturbatione vacua. Quocir„ ca & ideas in natura velut exem„ plaria dixit existere. „ Hæc Alcimus, quorum pars prior ex Platonis *Theæteto* videtur desumta, posterior ex *Parmenide*, Epicharmi vero de Diis & Ideis verba, cum quibus Platonica ista contendit Alcimus, sequentia sunt: Laert. III. 14. ex Vers. Grotii.

A. *Tibicinalis ars res ne aliqua est?* B. *Quippeni?*
A. *Tibicinalis hæc ars an homo est?* B. *Neutiquam.*
A. *Videamus, ipsum quid putas tibicinem?*
B. *Hominem: num recte?* A. *Recte. nonne existimas*
Rem sese habere pariter etiam de bono?
Nempe ut bonum ipsum res sit: at si quis bonum
Istud didicerit, is jam dicatur bonus?
Nam sic tibicen est, qui didicit tibiis,
Saltator, qui saltare, tum qui texere,
Textor, similiter qui aliud quicquid volueris:
Ars ipse non est scilicet sed artifex.

Pergit Alcimus: „ Plato in opi„ nione de ideis ita ait: Si quidem

est

„ eſt memoria, ideas etiam exiſtere „ neceſse eſt: memoria enim rei quie„ tæ eſt & permanentis, permanens „ autem exceptis ideis eſse nihil. „ Quo enim pacto, inquit, conſer„ varentur animantes, niſi idea ſua „ ſuſtineantur, & mente accepta na„ turali? Meminere autem ſimili„ tudinis & pabuli, docentque quod „ ſit animalibus omnibus inſita ſi„ militudinis intelligentia, quocir„ ca & ea, quæ pertinent ad ſpeciem „ ſuam, cognoſcunt. „ Ita Alcimus.

In Ariſtor. de animal. Quem autem ille Platonis locum reſpiciat, ego ignoro quidem, Scaliger legebat: πλάτων ἐν τῇ περὶ ἰδεῶν ὑπολήψει φησὶν εἴπερ ἐστὶ τὰς ἰδέας &c. omiſsa voce, μνήμη, quaſi dubium Alcimus proponeret, an utraque opinionum de ideis ſit Platonis? Puto tamen Alcimo non libri titulum verbis illis ſignificari, cum nec alias ubi allegat Platonem, librum nominet, ſed doctrinam, quam ipſe ex Platonis opinione de ideis colligit. Suntque illa, quæ de memoria dicit propoſita Platoni in *Philebo*: nempe ſenſum motum eſse, corpori juxta & animo communem, illo quidem a ſenſibus externis impreſſionem recipiente, hoc vero agente & judicante; memoriam item ſenſuum apothecam quandam eſſe, & repoſitorium. Animum enim, quoties ſive apud ſeipſum, vel a corpore adiutus recordatur, ſuſceptarum impreſſionum recordari cenſendum.

Laert. III, 16. Ex verſ. Grot. I. c. p. 4. 476. Platoni autem dictis ab Alcimo iſta Epicharmi accommodantur:

Eumae, generi ſapere non uni
datum eſt:
Sed quidquid anima, mente ſimul eſt præditum.
Gallorum uxores volucrium conſidera:
Non illa partus edunt vitæ compotes,
Sed ovis incubantes animam adfabricant:
Et hujus norunt principem ſapientiæ
Naturam ſolam, quæ magiſtra ipſis fuit.

Et rurſum;

Mirandum non eſt iſta me ſic dicere:
Atque ipſos ſibi placere, & ingenio optimo
Factos videri: quandoquidem canis cani
Pulcherrimum videtur, bos itidem bovi,
Et aſinus aſino, ſus ſui pulcherrimum.

Hæc ſunt, quæ Laertius ex Alcimo citavit. Alia ejus generis in ejuſdem quatuor libris ejus continebantur quibus ille, quantum adiutus Epicharmi ſcriptis Plato fuerit, docebat. Nec ipſe ſuę minus conſcius ſapientiæ Epicharmus extitit, ut ex iſtis verſibus ejus colligitur; quibus non defore ſibi ſectatorem prædicit: Laert. 17. Grotii l. c. p. 47.

Ut reor, imo ut conſtat adeo plane pro certo mihi;
Clara erit quondam præceptorum memoria.
Quæque carminibus prolata nobis, alius veſtiens
Pulchro amictu, purpuraque, dictis variegantibus.
Ipſe invictus alios facile reddet expugnabiles.

Formam Reipublicæ Platonem ex Protagoræ *Antilogicis* delineaſse Ariſtoxenus (a) autor eſt, alii a Socrate eum Politica accepiſse inquiunt. Laert. III. 17. (a) male apud Stanlei. eſt *Phavorinus*.

Denique moralis doctrinæ partem haut poſtremam ex Sophronis mimographi libris habere Platonem, relatum eſt: quos, cum diu neglecti jacuiſsent, Athenis primum inve-

invexit, iidemque sub ejus demortui capite reperti fuisse dicuntur.

CAP. V.

Schola Platonis.

Laert. III, 7.

ATHenas ubi rediisset ex Ægypto, in *Academia* consedit, suburbano gymnasio, arboribus consito, & ab *Hecademo* Heroe appellato. Hinc Eupolis

Academi *in umbra & ambulacris est Dei.*

Et Timon:

Hos inter Dux ille Plato celsissimus ibat,
Cujus ab ore melos manabat, quale Hecademi.
Arbustis lepida modulantur voce cicada.

Et ab *Hecademo* isto *Hecademia* primum fuit appellata. Occasionem autem vitæ hic agendæ illam nactus est Plato: Pauper cum esset, solum in *Academia* hortum possidebat, qui fuit minima pars bonorum, quæ sectatores ejus tenuerunt. Ex horto enim trium circiter aureorum nummorum proventus quotannis redibat. Postea vero reditus mille etiam nummos superarunt aureos. Temporis nempe successu auctus est liberalitate hominum sanctorum, & eruditionis amantium, qui, diversis temporibus morientes, testamento hæredes scribebant philosophiæ operantes, ut relictarum facultatum ope vitam philosophicam quiete & tranquille agere possent. Cum tamen eum locum, corporis noxium esse sanitati dicentes, mutare Platonem medici juberent, & in *Lyceum* scholam transferre, id se facturum negavit, ne in Atho * quidem summitatem vitæ producendæ causa se commigraturum dicens. Et sane febri quartana ob loci ejus noxium aerem laborare cœpit, quæ XVIII. menses perduravit, tandem tamen sobrietate eam & cura corporis vicit, integro magis, quam quo usus antea fuisset, robore recuperato.

Suid. & πλατ. Laert. III, 20.

Ælian. V. H. IX.

* ubi longævi homines v. Lucian. μακροβ.

Mela II, 2. Plinius VI, 2.

Primum autem in *Academia* philosophiam docuit, inde se in hortum *Coloneum* contulit. In scholæ quam in Academia habebat limine inscriptum erat, *nemini Geometriæ ignaro ingredi fas esto*, qua non linearum tantum proportionem & mensuras, verum internas etiam affectiones complectebatur.

Laert. III, 5. quod tamen Pythagoræ alii tribuunt.

CAP. VI.

Sectam ut institueret.

ACademiam ubi ista ratione occupasset, *sectam* instituere cœpit, collectis tum aliorum placitis, tum suis additis inventis, quæ *Academica* appellata a *loco* est, quo docere solebat. Miscuit igitur Heracliteorum, Pythagoræorumque ac Socraticorum doctrinas, in his, quæ ad *intelligentiam* pertinent, *Pythagoram* secutus, in iis, quæ *sensibus* obnoxia sunt, *Heraclitum*, in *Politicis* Socratem. „Cumque „studium sapientiæ, ut Augustinus ait, in actione & contemplatione versetur, una pars ejus „activa, altera contemplativa dici „potest. Quarum activa ad agendam vitam, id est, ad mores instituendos pertinet, contemplativa „autem ad conspiciendas naturæ „causas, & sincerissimam veritatem. Socrates in activa excelluisse „memoratur: Pythagoras vero magis contemplativæ, quibus potuit, intel-

Laert. III, 8.

De Civit. D. VIII, 4.

„Intelligentiæ viribus instituisse. „Proinde Plato utrumque jungendo philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit; unam *moralem*, quæ maxime in actione versatur: alteram *naturalem*, quæ contemplationi deputata: tertiam *rationalem*, qua verum disterminatur a falso: quæ licet utrique, id est, & actioni & contemplationi sit necessaria, maxime tamen contemplatio perspectionem sibi vindicat veritatis. Ideo hæc tripertitio non est contraria illi distinctioni; qua intelligitur omne studium sapientiæ in actione & contemplatione consistere. Atque ut tragœdiam primum quidem chorus solus agebat, postmodum Thespis, intervallis chori concessis, actorem in scenam produxit unicum, donec duos produceret Æschylus, tertium Sophocles adderet; eodem modo philosophiæ initio una facies extitit, *physica* enim absolvebatur, *Ethicam* postea addidit Socrates, eamque *Dialectica* adjecta Plato perfecit.

Laert. III. 56.

Partium vero harum ex mente Platonis & Academiæ veteris explicatarum, vix melius rationem quis reddat generalem, quam istis Ciceronis verbis:

SECT. I.

Ethica.

Acad. Qu. I. 5.

AC primam quidem illam partem bene vivendi a natura petebant, eique parendum esse dicebant; neque ulla alia in re, nisi in natura, quærendum esse illud summum bonum, quo omnia referrentur: constituebantque, extremum esse rerum expetendarum, & finem bonorum, adeptum esse omnia e natura & animo, & corpore & vita. Corporis autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus; valetudinem, vires, pulchritudinem, in toto: in partibus autem, sensus integros, & præstantiam aliquam partium singularum: ut in pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce: in lingua etiam explanatam vocum expressionem. Animi autem quæ essent, ad comprehendendam ingeniis virtutem idonea: eaque ab iis in naturam, & mores, dividebantur. Naturæ celeritatem ad discendum & memoriam dabant, quorum utrumque mentis esset proprium, & ingenii. Morum autem putabant studia esse, & quasi consuetudinem: quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant; in quibus erat philosophia ipsa, in qua quod inchoatum est, neque absolutum, id est virtus, quasi perfectio naturæ, omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima, ergo hæc animorum. Vitæ autem (id enim erat tertium) adjuncta esse dicebant, quæ ad virtutis usum valerent.

SECT. II.

Physica.

Acad. Qu. I. 6.

DE natura autem (id enim sequebatur) ita dicebant, ut eam dividerent in res duas: ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se præbens, ea, quæ efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, vim esse censebant: in eo autem, quod efficeretur, materiam quandam: in utroque tamen utrumque, neque enim materiam

ipsam

ipsam cohærere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia. Nihil est enim, quod non alicubi esse cogatur. Sed quod ex utroque, id jam corpus, & quasi qualitatem quandam nominabant: Earum igitur qualitatum sunt aliæ principes, aliæ ex iis ortæ. Principes sunt unius modi & simplices. Ex iis autem ortæ, variæ sunt, & quasi multiformes. Itaque aer quoque (utimur enim pro Latino) ignis & aqua & terra, prima sunt. Ex iis autem ortæ animantium formæ earumque rerum, quæ gignuntur e terra. Ergo illa initia, &, ut e Græco vertam, elementa dicuntur; e quibus aer, & ignis, movendi vim habent, & efficiendi, reliquæ partes accipiendi, & quasi patiendi: aquam dico & terram. Quintum genus, e quo essent astra mentesque, singulare, eorum quatuor, quæ supra dixi, dissimile Aristoteles quiddam esse rebatur. Sed subjectum putant omnibus sine ulla specie, atque carentem omni illa qualitate (faciamus enim tractando usitatius hoc verbum, & tritius) materiam quamdam ex qua omnia expressa, atque effecta sint: quæ tota omnia accipere possint, omnibusque modis mutare, atque ex omni parte: eoque etiam interire, non in nihilum, sed in suas partes, quæ infinite secari ac dividi possint, cum sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat; quæ autem moveantur, omnia intervallis moveri, quæ intervalla item infinite dividi possint. Et cum ita moveatur illa vis, quam qualitatem esse diximus, & cum sic ultro citroque versetur; & materiam ipsam totam penitus commutari putant, & ita effici, quæ appellant qualia, e quibus in omni natura cohærente, & continuata cum omnibus suis partibus effectum esse mundum, extra quem nulla pars materiæ sit, nullumque corpus: partes autem esse mundi omnia, quæ insint in eo, quæ natura sentiente teneantur: in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterno. Nihil enim valentius esse, a quo intereat, quam vim animum esse dicunt mundi, eandemque esse mentem, sapientiamque perfectam: quem Deum appellant, omniumque rerum, quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quandam, procurantem cœlestia maxime; deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines: quam interdum necessitatem appellant, quia nihil aliter possit, atque ab ea constitutum sit inter quasi fatalem & immutabilem continuationem ordinis sempiterni: nonnunquam quidem eandem fortunam, quod efficiat multa improvisa hæc, nec opinata nobis, propter obscuritatem, ignorationemque causarum.

SECT. III.

Dialectica.

Tertia deinde philosophiæ pars, quæ erat in ratione, & in disserendo, sic tractabatur ab utrisque: quanquam oriretur a sensibus, tamen non esse judicium veritatis in sensibus. Mentem volebant rerum esse iudicem: solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex, & uniusmodi, & tale, quale esset, hanc illi ideam appellabant. Sensus autem omnes hebetes, & tardos esse arbitrabantur, Acad. Qu. l. 1.

nec

nec percipere ullo modo res eas, quæ ſubiectæ ſenſibus viderentur, quæ eſſent aut ita parvæ, ut ſub ſenſum cadere non poſsent, aut ita mobiles, & concitatæ, ut nihil unquam unum eſset conſtans; ne idem quidem, quia continenter laberentur, & fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant. Scientiam autem nuſquam eſse cenſebant, niſi in animi motionibus atque rationibus. Qua de cauſa definitiones rerum probabant, & has ad omnia, de quibus diſceptabatur, adhibebant; Verborum etiam explicatio probatur, id eſt, qua de cauſa quæque eſsent ita nominata; quam etymologiam appellabant. Poſt argumentis; & quaſi rerum notis ducibus, utebantur ad probandum, & ad concludendum id, quod explanari volebant: in qua tradebatur omnis dialecticæ diſciplina, id eſt, orationis ratione concluſæ,

Atque hæc ſunt, quæ generatim de vetere Academia Cicero tradit. Specialiora plura Plutarchus, Laertius, Apuleius collegerunt. Alcinoo ea de re dicta deligemus, ut quibus rationem eius doctrinę luculenter maxime atque exacte reddat. Cui tamen dicta, quod paulo prolixiora ſint, appendicis loco Platonis vitæ ſubiungenda duximus.

CAP. VII.

Inventa Platonis.

ET doctrinam & linguam varie variis auxit rerum verborumque inventis, utque Dialectica omittam, de quibus poſtremo actum loco fuit, primus modum *differendi* per *quæſtiones* & *reſponſiones* inveniſſe dicitur Phavorino. Id tamen Alexameno Stirio, ſive Tejo, tribuere maluit Ariſtoteles, eoque arguendi modo Socratem quoque uſum fuiſſe, ex ipſius Platonis Dialogis colligitur. Laertius primum *Dialogorum* autorem Eleatam Zenonem extitiſſe ait. Suo tamen judicio addit Platonem id genus expoliviſſe, ut non ſolum ornatæ & expolitæ orationis, verum & ipſius inventionis, digniſſime ſibi primatum vindicet.

Laert. III. 24. Laert. III. 48.

Majore jure *Analyticæ methodi* perhibetur inventor, quæ rem, de qua quæritur, ad principia ſua reducit, methodorum optima. Eam Leodomanti Thaſio tradidit, atque adjumento illo multa in Geometricis invenit. Eſt autem Analyſis, prout ab Euclidis ſcholiaſta definitur, „ ſumtio quæſiti tanquam conceſſi, „ per ea, quæ conſequuntur in aliquod verum conceſſum. Exempla ejus in quinque propoſitionibus, quibus librum XIII. exorditur Euclides, ſunt obvia, ut alia apud Apollonium Pergæum, & Pappum Alexandrinum, jam taceam.

Laert. III. 24. Procl. in Euclid. L. 3. p. 58.

ad Lib. XIII. prop. I. p. 401.

Inter Geometrica ejus inventa cubi duplicatio prætereunda haut eſt, cujus inventi & occaſionem, & modum, Plutarchus Philoponuſque expoſuere. Peſte laborantes Delios, ajunt, Delphicum conſuluiſſe oraculum, & ab eo reſponſum tuliſſe, ceſſaturum malum, ſi aram ſuam, quæ cubus erat, duplicarent. Eos igitur, ad quos aræ pertinebat cura, quatuor ejus latera duplicaſſe, Plutarchus refert, adeoque non duplo, ſed octuplo majorem eam feciſſe. Philoponus alium eos cubum ejuſdem mplis altari ſuperpoſuiſſe ait, atque ita figuram aræ alteraſſe, quæ cubica non amplius fuerit, ſed in *Μίλα*; h.e. *columnam*

Plut. de Socr. Genio p. 579. B. Philopon. in Analyt. poſt l. 7.

quadrilateram, abierit. Nempe priore modo cubica non dupla evasit, posteriori modo dupla, sed non cubica. Peste perseverante interea, ad consulendum oraculum denuo accesserunt. Respondit Apollo suo eos minus præcepto satisfecisse, quo jusserit aram condi cubicam, duplo priore majorem. Ad Platonem igitur, rerum Geometricarum consultissimum, interrogandum se contulere, ut oraculi ex eo sententiam discerent, modumque cubi duplicandi, ita, ut ex figura ejus nihil periret. Plato rideri a Deo Græcos respondit, philosophiæ artiumque studii negligentes, eorumque illum insultare ignorantiæ, hocque præcipere serio, ut Geometriæ studiis vacare incipiant. Ceterum cubum duplicari alia ratione haut posse, quam si duæ proportionales mediæ inveniantur inter duas lineas rectas, proportione dupla. Specialius vero Platonis methodum duplicandi cubi expositam habemus ab Eutocio, in Commentario ad primam propositionem libri secundi Archimedis, de sphæra & Cylindro. Addebat Plato Gnidium Eudoxum, vel Heliconem Cyzicenum, quod præstitum curperent præstituros. Cetera Deum ea aræ duplicatione non adeo delectari, sed velle, ut Græci intestinis omissis desidiis, miseriisque cum illis conjunctis, Musarum castra sequerentur, sedatisque turbulentis animi motibus, innocue atque benigne invicem conversarentur. Addit Philoponus discipulis suis istud problema Platonem proposuisse, eosque multa de eo argumento in litteras retulisse, quamvis earum nihil temporum injuriam evaserit. Et certe in eo problemate præter Platonem Archytas laboravit Tarentinus, & Menæchmus, Eratosthenesque, cum Philone Byzantino, atque Herone: Apollonius item Pergæus ac Nicomedes, Diocles denique & Sporus. Valerius Maximus ait Platonem, „sacræ *aræ** VIII. 12.
„conductores, ad Euclidem Geo- * ita pro *arcis* quod in editis est, legisse Stanlejus videtur.
„metram ire jussisse, scientiæ ejus „cedentem, imo professioni.„ Sed error is est Valerii, Platone enim Procl. l.
Euclides Geometra ætate multum fuit inferior: alter vero Euclides, Platonis æqualis, in Geometricis præstitit nihil, ut ante nos Henr. Savilio observatum.

Alia multa mathematica invenisse Platonem, de quibus in scriptis ejus superstitibus frustra quæras, summumque eo doctrinæ genere extitisse, ex tribus Theonis Smyrnæi libris colligas licet, quorum primo Arithmetica, secundo Harmonica, tertio, typis nondum exscripto, Astronomica continentur. Libri illi varia continent, plane singularia, neque obvia alibi, Scopumque eum sibi propositum esse autor fatetur, ut introductioni inserviant, ad intelligenda Platonis scripta necessariæ.

Sunt & voces quędam, quarum pri- Laert. III. 24.
ma inventio Platoni adscribitur, *Antipodum* nempe, quam primus in philosophiam invexit, ad significandas gentes, quæ pedes sibi invicem in diversis partibus habitantes opponunt; Στοιχείου item h. e. *elementi*, quam ejus ęvo cum voce ἀρχὴ, quam *principium* vertimus, confundebant omnes, inde a Thalete, Philosophi. Eas tamen ita invicem Plato distinxit, ut ἀρχὴν *principium* esse dicat,

quo prius nihil existit, ex quo generetur, στοιχεῖα vero composita dicat. Similiter poematis vox, ab ejus inde temporibus tritissima, ante eum in usu haut fuit. Primus etiam τοῦ ἀριθμοῦ τὸν προμήκη dixit, qua phrasi numeri majoris productum ex multiplicatione ejus per minorem significavit. Ei quoque autori ἐπιφανείας vox, pro *superficie*, usurpata, debetur, quam vox ἐπίπεδον *planum* antea notabat. Atque ita Laertius quidem, Proclus contra, neque Platonem, neque Aristotelem, illa voce, ubi de planitie sermo est, uti affirmat, sed voce ἐπιπέδου. „Plato, „ inquit, divinus, Geometriam theo„riam planorum definit, stereome„triæ eam opponens, quasi idem sit „ planum & superficies. Perinde & „ Aristoteli factum. Euclides tamen „ & qui eum sunt secuti, superficiem „ planum constituunt. Θεοῦ πρόνοια *providentia Dei* quoque, quam toties in ore Christiani habent, vox est a Platone primum usurpata.

In Euclid L. II. p. 32.

Primus Philosophorum contra Lysiam scripsit, Cephali filium, idque in Phædro fecit. Laert. l. c.

Grammaticæ quoque vim primus expendit.

Primus item omnes, qui ante eum fuere, impugnavit, unde Democriti nullam apud eum fieri mentionem, mirandum est.

CAP. VIII.

Distinctiones ejus.

Rerum divisiones ab eo propositas, ita digestas ab Aristotele, in quibusdam scriptis ejus deperditis, exhibet Laertius: Laert. III. 82. sq.

Bonorum tria sunt genera.
- Animi, ut iustitia, fortitudo, temperantia &c.
- In corpore: pulcritudo, corporis sanitas.
- Externa; amici, patriæ prosperitas, opes.

Amicitiæ tria sunt genera.
- Naturalis, parentum in liberos, cognatorum item, quod genus amoris in brutis quoque est animantibus.
- Socialis, quæ conversatione contrahitur, absque cognatione, qualis Pyladem inter & Orestem.
- Hospitalis adversus hospites, qua item plane peregrinos, litteris nobis commendatos, excipimus.
- Amatoriæ quartum genus nonnulli constituunt.

Formæ Reipublicæ sunt quinque.
- Democratica: ea est, ubi penes populum summa est rerum, atque ab eo magistratus & leges constituuntur:
- Aristocratica: in qua nec apud ditiores nec indigentiores, neque nobiles, sed optimos cives rerum summa est.
- Oligarchica; ubi iuxta censum suffragiis rectores eliguntur, sunt enim pauciores, quam pauperes, divites.
- Regalis.
  - Electione, iuxta Leges, ut Carthaginiensis: civilis enim ea.
  - Successione in familia quadam, ut Lacedæmoniorum & Macedonum, qui certæ familiæ adstringuntur,
- Tyrannica: quæ est, ubi cives fraude subiugantur, vel vi.

Justitiæ tria genera.	Adversus Deum: qui enim sacra juxta leges obeunt, ritusque sacrorum observant, justi sunt in Deum.
	Adversus homines: qui rem concreditam restituunt, justi in homines sunt.
	Adversus mortuos: adversus quos justi sunt, qui sepulchrorum curam habent.
Scientiæ genera tria.	Practica: ut tibiis vel cithara cantare, quæ in oculos incurrens efficit nihil.
	Mechanica: ut architectura, navium structura &c. effectum in oculos incurrentem producens.
	Theoretica: ut Geometria, Harmonica, Astronomia, quæ neque agit, neque efficit quidquam. Geometra Lineam cum linea comparat: Harmonicus sonos: Astronomus stellas & mundum.
Medicinæ genera quinque.	Pharmaceutica; morbos medicamentis adhibitis sanans.
	Chirurgica: incisione vel cauterio id præstans.
	Diætetica: Diæta idem efficiens.
	Nosognomonica: Morbos discernens.
	Boethetica: morbos arcens.
Lex duplex.	Scriptæ: quales sunt, quibus Resp. gubernantur.
	Non scriptæ: consuetudine nixæ: qualis quod nemo forum nudus ingredi debeat, vel muliebri habitu, quod scripta lege nulla prohibetur, non scripta tamen impeditur.
Oratio quintuplex.	Politica: qua utuntur in sermonibus, qui Reipublicæ præsunt.
	Rhetorica: qua legislatores in foro utuntur, ad confirmandum, laudandum, vituperandum & accusandum.
	Uulgaris: qua populus utitur in communi sermone.
	Dialectica: quæ est eorum, qui quæstionibus & responsionibus brevibus argutantur.
	Artificialis: qua artifices & mechanici in variis utuntur generibus suis.
Musica triplex.	Voce sola } peracta.
	Voce & manibus: ut si ad citharam canatur } peracta.
	Sola manu, ut si fides tractes. } peracta.
Nobilitatis IV. genera.	Ex Majoribus, bonis, justis & honestis.
	Ex Majoribus, republica gubernanda & principatu illustribus.
	Ex Præcessoribus dignitate acquisita conspicuis, ut imperio in exercitum, vel corona ex publicis ludis: huc pertinent ei, qui orti sunt ab his, quos nobiles vocamus.
	Ex indole sublimi, quæ præstantissima est nobilitas.
Pulchritudo triplex.	Commendabilis, ut forma emendata.
	Utilis, ut instrumentum, domus &c.
	Commoda, ut ea, quæ ad leges constituendas pertinent.
Animæ partes tres.	Rationalis, quæ est principium judicandi, ratiocinandi &c.
	Concupiscibilis, qua cibum, coitum & similia appetimus.
	Irascibilis, quæ audaciæ, gaudii, doloris, iræ est causa.

Pruden-

Virtutis perfectæ ſpecies IV.	Prudentia, principium recte rem quamvis aggrediendi. Juſtitia, principium æqualitatem obſervandi in publicis privatiſque negotiis. Fortitudo, principium pericula fortiter ſubeundi, ut metu ne fugias. Temperantia, principium deſideria coercendi, ut ne voluptati indulgeas, ſed moderate vivas.
Imperium V. modis obtinetur.	Lege: quale eorum eſt, quibus in civitate juxta leges magiſtratus committitur. Natura: Ea enim non in hominibus tantum, ſed ceteris etiam animantibus imperium in feminas tenent mares. Conſuetudine: quale magiſtrorum eſt in diſcipulos. Succeſſione: quale apud Lacedæmoniorum Reges eodem genere ortos, eademque in Macedonia lex obtinet. Vi: quale eorum eſt, qui regnum invito populo arripiunt.
Oratoriæ ſex eſſe ſpecies	Adhortatio: Si bellum adverſus aliquem ſuadeamus. Dehortatio: Si diſſuadeamus bellum. Accuſatio: ſi injuriam accepiſſe ab aliquo oſtendamus, quem damni noſtri cauſam eſſe probemus. Defenſio: ſi quis probet injuriam ſe alteri nullam feciſſe. Encomium: ſi laudibus alterum proſequamur. Vituperium: ſi malum quem eſſe oſtendamus.
Recte quem dicere his IV modis; ſi dicat	Quod dicere oportet: nempe res, quæ & dicenti proſint, & audienti. Quantum dicere oportet; ſi nec plus dicatur, nec minus quam res exigit. Ad eos, ad quos oportet: ut ſi ad ſenes, perperam agentes, dicamus ea, quæ conveniunt ſenibus, ad juvenes, quæ juvenes decent. Tempore, quo oportet: neque prius, neque ſerius quam decebat, quod ſi obſervetur minus, recte dici nihil poteſt.
Beneficentiæ IV eſſe genera.	In facultatibus, ſi indigentiæ alicujus pro facultatum noſtrarum modo ſubveniamus. In corpore; ſi vulnerato ſubvenias. In cognitione: ſi inſtruamus, vel boni aliquid doceamus. In ſermone: ſic enim, qui alterum defendat, eum verbis beneficium in eum eſſe.
Finem rem quadruplici modo nanciſci.	Legali: quando finis rei lege vel decreto imponitur. Naturali: Qualem dies, anni & horæ habeant. Artificiali: qualem domus ſtructura obtineat. Accidentali: qui caſu, & non expectatus, rei obtingat.
Potentiarum IV genera.	In mente: cogitandi, coniiciendi. In corpore: ambulandi, dandi, accipiendi &c. In multitudine: militum v. c. opum &c. quo genere principes potentiſſimi dicuntur.

Quâ facere & pati bona aut mala possumus: qualis potentia morbum subeundi vel sanitatem recuperandi, eruditionem acquirendi &c.

Humanitatis genera III.
- In compellando: ut illi, qui obvios omnes compellant, salutant, prensant.
- In adiuvando: si alterius necessitatibus libenter quis subveniat.
- In convivando & conversando.

Consilii prudentia, doctrina & experientia comparata.

Felicitas IV. partibus absolvitur.
- Sensuum integritate: quæ partibus corporis continetur, ut oculis recte auribusque, gustu item & olfactu utaris.
- Rerum successu, si ea, quæ animo intendis, consequaris ex voto.
- Famæ integritate inter homines; si bene de aliquo homines sentiant.
- Opum abundantia, rerumque ad vitam necessariarum, ut subvenire amicis & publica magnificentiæ monimenta statuere quis possit: omnia ista qui possidet simul, eum felicem esse.

Artium species tres.
- Metalla effodiendi, & ligna cædendi.
- Varia forma variam ὕλην induendi, ut si ex ligno vel ferro quis conficiat aliquid.
- Utendi rebus diversarum formarum, quemadmodum frænis utitur ars equestris, ars militaris armis, musica instrumentis.

Bonum IV modis dicitur.
- Primo cum Virum *bonum* dicimus, ab ea, quam habet, bonitate.
- Secundo cum *bonam* virtutem dicimus vel justitiam, quæ ipsa sunt bona,
- Tertio cum *bona* cibum, exercitium, medicinam dicimus, quæ alterius bono conducunt.
- Quarto, quando *bonum* dicimus tibiarum cantum, histrioniam &c.

Rerum aliæ sunt
- Malæ, quæ semper nocere possint, ut ignorantia, imprudentia, injustitia &c.
- Bonæ, prioribus contrariæ.
- Indifferentes, quæ modo nocere, modo prodesse possunt, ut ambulare, sedere, edere, vel plane nocere nequeunt, ut quæ nec bonæ sint nec malæ.

Rempublicam recte tribus modis se habere
- Si Leges sint bonæ.
- Si Leges serventur.
- Si sine Legibus consuetudine ductus vitam agat, ut decet.

Contrarias sibi res esse tripliciter, vel ut
- Bonum malo: ut justitia injustitiæ, sapientia imprudentiæ &c.
- Malum malo: Prodigalitatem avaritiæ, injusta tormenta justis contraria esse.
- Neutris neutra: sicut grave levi, velocia tardis, candida nigris.

Bonorum alia
- Nos habere, ut justitiam, sanitatem.
- Participare, nam quod in seipso bonum sit non habere, participare tamen ex eo nos posse.
- Subsistere, quæ nec habere, nec participes eorum esse possimus: ut esse virtuosum, justum, sed quæ esse oporteat.

Præte-

Consultationem triplicem esse, vel enim pertinere ad tempus
- Præteritum: v. c. quid Lacedæmoniis nimis audentibus evenerit?
- Præsens: ut si metus hominum, infirmitas valli, commeatus defectus expendatur.
- Futurum: v. g. Legatis ex suspicione injuriam non esse faciendam, ne omni Græciæ id dedecus afferat.

Vocem vel esse
- Animatam, ut rerum viventium, eamque vel
  - articulatam, ut hominis.
  - inarticulatam, brutorũ animantium.
- Inanimatam, ut sunt soni omnes.

Res sunt vel
- Divisibiles, quales compositæ sunt omnes, syllabæ, symphonia, animata, aqua, aurum. quæ itidem sunt vel
  - Homogeneæ partibus similaribus constantes, numero tantum a toto diversis, ut aqua, aurum & omnia liquida.
  - Heterogeneæ, quæ partibus constant dissimilaribus.
- Indivisibiles, quæ compositæ non sunt, punctum v. g. tonus.

Res sunt vel
- Absolutæ, ad quas designandas nihil insuper requiritur, v. g. homo, equus &c.
- Relativæ, quæ aliud quippiam comprehendunt, ut majus (quam alia) velocius, pulchrius &c. Nam majus ad aliquid minus refertur, & sic porro.

Atque istæ rerum primæ divisiones juxta Platonem, prout ab Aristotele proditum, extitere.

CAP. IX.

Ternum Platonis in Siciliam iter.

Laert. III. 18. Athen. XII c. ult. Apulej. de dogm. Plat. p. 36. Plato Epist. ad Dionis propinq. Plut. vit. Dion. p. 959.

TEr in Siciliam navigavit, primo ut insulam & Ætnæ videret craterem, augeretque scientiam eorum, quæ ad Rempublicam pertinent, ac philosophiam, aliis itineribus comparatam. Incidit hoc iter in annum ætatis ejus quadragesimum fere, cum Syracusis regnaret Dionysius major, Hermocratis filius. Plutarchus peculiari providentia potius, quam casu, eum in Siciliam delatum ait: nempe bonum aliquem Dæmonem, ad libertatem Syracusanis viam e longinquo sternentem, in Dionis, tum quidem juvenis admodum, eum familiaritatem adduxisse, utque hospitii jure ei conjungeretur effecisse. Multum autem ejus civitatis luxum, convivia, pervigilia aversabatur: assiduus Dioni, cum eo de rebus differens, quæ homini maxime convenirent, utque ita se componeret, diligenter suadens, quo ipso evertendæ tyrannidi auspicia dedit, quibus ea profligata paulo post fuit. Dio, juvenis licet, ingenio inter omnes Platonis familiares maxime excellebat, acerrimus virtutis sectator, quod & Platonis, & gestorum ab eo, testimonio liquet. Quamvis enim effeminatam valde, & luxu diffluentem, in Regis familia educationem nactus fuisset; mox tamen, ubi philosophiam, optimam ad virtutem ducem, degustare cœpisset, amore ejus animum suum sensit accendi, concepta etiam ex suo candore atque ingenua indole, spe, fore ut pariter ab ea Dionysius

Plato Ep. VII. Plut. Dione l. c.

quoque afficiatur. Atque ea causa fuit, cur Platonem ab eo ad colloquium admitti per otium peteret. Atque ab eo etiam persuasus Platonem accersivit tyrannus, neque alios tamen, tum quidem, quam de fortitudine miscuerunt sermones, Plato ab ea virtute neminem magis, quam tyrannum alienum esse ostendebat, atque inde ad sermones de justitia transire parabat, nonnisi justos beatitudine frui, miseros injustos esse defensurus. Qua tamen oratione offensus Dionysius, ut qua se peti cummaxime sentiret, & ei a præsentibus applaudi ægre ferens, postremo commotior factus, Platonem, quæ causa esset suscepti in Siciliam itineris? interrogavit. Cumque Plato, quærendi Viri boni causa se suscepisse iter, respondisset; Dionysius, eum vero nondum invenisse videris, subiecit. Laertius (III, 18.) de tyrannide eum apud Dionysium disseruisse ait, id optimum non esse defendentem, quod maxime nobis conducere videtur, nisi virtuti etiam maxime sit consentaneum. Quibus Dionysius accensus sermonibus, anilis inquit ea oratio mihi esse saporis videtur.: *tua vero*, Plato regerebat, *tyrannici est*. Qua libertate in furorem actus Dionysius ad mortem rapi Platonem præcepit, tuum, inquiens, caput mox præscissum videbo. *Hoc vero*, aiebat Xenocrates, tum forte præsens, *ne-mo ausit, nisi meum mihi ante præsciderit*. (Laert. IV. 11.) Dio vero iram Dionysii jam penitus accensam sentiens, * in triremi Platonem dimisit, qua Pollis, Lacedæmonius dux, quem Polidem Laertius, Poolidem Tzetzes † vocat, eo tempore ad Dionysium legatione functus, in patriam remeabat. A Pollide igitur Dionysius clam petiit, ut nave vectum interficeret Platonem, vel venderet saltem, nullam ei facturus injuriam, ut qui servus non minus quam liber beatus sit futurus justitia sua. Sunt, qui affirment, eo Dionysium offensum fuisse, quod interroganti quodnam optimum *ferrum* esse crederet? respondisset, *illud optimum esse ex quo Aristogitonis & Harmodii* (a) *confecta fuerant arma*; (ap. Tzetz. l. c.) alii, quod eruditione se superari a Platone sētiret. Verum omnia ista tanquam inania figmenta Tzetzes reiecit, a philosophastris quibusdam, & nugivendulis, excogitata, veramque causam extitisse affirmat eam, quod suspicaretur, Dioni Platonem occupandi regni autorem esse. A Pollide Æginam (b) Plato delatus est, ubi a Charmandro, Charmandritæ filio, capitis accusatus est ex lege, qua sancitum fuerat, primū quemque Atheniensium, in eam insulā delatum, causa indicta capitis subire debere supplicium, cujus legis, ut testis est Phavorinus, Charmander autor extiterat. Cum vero præsentium nonnemo per jocum phi-

(a) qui Hipparchum, Hippiæ fratrem, Atheniensium tyrannum interemere, quo facto Pisistratidæ civitate fuerunt expulsi.
(b) Laert. III, 19.

* Stanlei. cum interprete Plutarchi vertit hoc sensu; *non existimans porro iram Dionysii processuram*. Sed plane hæc non conveniunt sequentibus, quæ potius suadent omnia a Dionysii furore metuisse Dionem, ideoque Platoni fuga consuluisse. Rectius ergo phrasin Græcam τῦτο τὸ λεγόμενον τῆς ὀργῆς γεγονέναι interpreteris ad verbum, *hanc consummationem ira esse πέρας*: i. e. iram consummatam, quæ magis excandescere nequeat, cui fuga proinde Plato esset subducendus.

† Æliani nomen pro Tzetza irrepserat in textum Stanleii. Perperam; nihil enim de Polide apud Ælianum. Apud Tzetzem vero locus extat Chil. X, Vers. 259 ubi qui πόλις Laert, Plutarcho πόλλις est, πῶλις appellatur.

philosophum eum esse dixisset, absolutus est. Sunt, qui dicant in concionem eum, ut causam diceret, fuisse adductum, vel verbum proferre noluisse, summa omnia animi fortitudine subeuntem. Tum ergo mutato consilio eos consensisse, ut tanquam mancipium venderetur. Dion. l. c. Plutarchus refert, Pollidem eum in Ægina vendidisse, ex decreto Æginetarum, quod omnes Athenienses, isthac deprehensos, tanquam mancipia pretio ementibus addici jubebat. Plut. & Laert. l c. Platonem igitur Cyrenaicus Philosophus, tum forte præsens, Anniceris, XX, vel, ut alii malunt, XXX minis redemit, eumque Athenas ad necessarios suos dimisit. Quibus pecuniam reddere statim paratis, non solos esse respondit Anniceris, ad quos Platonis pertineat salus, pecuniamque se recepturum negavit. Relatum aliis Dionem pecuniam misisse, quam tamen ille accipere nolens, hortulum ea in Academia emerit. Pollis, a Chabria victus, & prope Helicem submersus paulo post fuit, famaque est, spectro admonitum eum esse, * Philosophi causa hæc ei evenire. Dionysius autem, ut res gesta sit, certior factus, litteris a Platone, ut famæ suæ parceret, oravit. Cui Plato rescripsit, sibi quidem id otii philosophiam non indulgere, ut Dionysii possit meminisse.

Plut. Dion. p. 962. sq. Luxu itaque ceterorum Siculorum atque Italorum repudiato, ex virtute vivere instituit Dion, usque ad mortem maioris Dionysii, pedem ob id hac isthac ei opponentibus, in familia Dionysii, qui tyranni moribus vivebant. Ipse vero non solum sese, sed & alios quosdam id genus vivendi amplexos videns, paucos licet, spem inde concepit, fieri posse, ut & iunior Dionysius, qui post patrem tyrannidem suscepit, iis adscriberetur, maximo tum suo, tum publico omnium Siculorum emolumento. Idque agens, assiduis monitis ad virtutem eum invitavit, quibus passim Platonicas admiscebat sententias: quæ causa fuit, ut nosse eum summopere Dionysius cuperet. Quamobrem multis ille, Athenis tum agens, litteris solicitatus fuit: quarum aliæ a Dionysio, aliæ a Pythagoræis, in Sicilia degentibus, erant perscriptæ, Platonem, ut Syracusas veniret, invitantes, ut regeret principem juventutis, opibus suis ad luxuriam inclinatum. Plato igitur ut ipse testatur, ne philosophari tantum sententia, ignava opera esse videretur, metuens, atque præcipua parte perpurgata omni Siciliæ medelam iri allatum sperans, postremo cessit. Inductus, ut Laertius ait, pollicitatione Dionysii, qua locum, populumque in quo *politiam* suam instituere posset, ei obtulerat, quod tamen promissum minime implevit. Laert. III, 21. Hinc factum, ut ambitionis crimen Platoni improperaret Athenæus. Athen. L. XI. p. 507. D. Interea temporis, ne Dionysii animus mutaretur veriti, qui infenso adversus Dionem animo erant, ut exulem Philistum Patriæ restitueret, ei persuasere, virum doctum, sed tyrannicis innutritū sententiis, quem velut antidotum quoddam Pla-

* Vel prava lectio, vel confusio verbi *παύσαι* cum *παρ' αὐ* hic fraudi fuisse videtur Stanleio, nempe hoc tantum Laertius dicit, *Deo irato* ob philosophum id mali Pollidi contigisse.

Platonis opponerent philosophiæ. Sperabat tamen Dio, adventu suo Platonem Dionysii licentiæ fræna esse allaturum. Gell. XVII, 21.

In Sicilia ubi jam appulisset, quod factum Gellius ait inter initia, regni Philippi, CCCC ab urbe condita & pugna Chæronensi anno, magno honore a Dionysio fuit exceptus. Plut. Dione p. 963. Currus enim regius eum, e nave egressurum, expectabat, quo in aulam etiam fuit delatus. Sacrificia Rex ipse pro adventu eius obibat, ut qui cum maximo regni sui coniunctus emolumento esset. Modestia, quæ tum in conviviis regnare incipiebat, aulæ mutatio, Regisque ipsius benignitas, magnam apud omnes emendationis spem excitabant. Ipsi aulici ita operam philosophiæ navabant strenue, ut passim arena impleretur palatium, in qua geometricæ figuræ describerentur. Paulo post adventum Platonis, cum inter solenne sacrificium media in arce præco, more solito, precatus esset, ut diutissime Dionysii regimen Dii tuerentur, proximus ei Dion, annon, inquit, finem tandem contra me orandi facies? Eam rem ægerrime cum amicis suis Philistus tulit, qui metuebant, ne ita Dionysii animum tandem sibi devinciret Plato, ut resistere ipsi nulla amplius vi queant, maxime cum exiguo illo tempore tantæ in eo mutationis autor extitisset. Hinc omnes ad accusandum Dionem conspirabant, eum nempe id agere, ut Platonis eloquentia Dionysio regnum extorqueat, in suos ex sorore nepotes transferendum: Scilicet hoc eum velle, ut regnum *Academia* ille permutet, in qua Geometria beatum eum facere debeat, præsente beatitudine Dioni nepotibusque eius relicta. His aliisque eius generis calumniis ita accensus in Dionem Dionysius fuit, ut ex improviso, lembo iniectum, ad triremem deducere iuberet, nautis in mandatis dato, ut in Italia eum exponerent, idque quarto post Platonis adventum mense evenit. Verebatur autem Plato una cum ceteris Dionis amicis, ne & ipsi, tanquam complices criminis eius, pœnas subire cogerentur. Plato Ep. ad Dion. & amic. Imo & fama percrebuit, capitis a Dionysio damnatum esse Platonem, tanquam primum omnis mali autorem. Contra ea vero Dionysius, ne metus eorum gravioris mali causa existeret, veritus, humanissime eos tractabat, Platonem confirmabat, bonoque animo esse jussum, ut apud se maneret, orabat. Inque ipso castro eum habitare, in hortis palatium eius contingentibus, volebat, loco, quo ne ipse quidem janitor, nisi cum eius venia egredi posset, adeo eum observabat, amicitiæ specie, exacte, ne in Græciam rediret, atque Dioni, quid actum secum esset, referret. Plut. l.c. Plat. Ep. 7. Sed nihilominus tamen Dionysius, frequentius cum Platone conversatus, quod bestiis quoque evenire solet ingenio ferocientibus frequentiori ut usu consuescant, adeo captus est eius sermonibus, ut vehementer eum amare occiperet. At tyranni erat iste amor, neminem enim a Platone nisi se solum volebat amari, cui offerebat summam in regno suo potestatem, modo Dioni semet in amore præferre dignaretur. Atque illo affectu, Platoni molestissimo, non minus quandoque efferuescebat, quam muliebri amore æstuantes, corrivalem ubi

metuunt, ita, ut subito nonnunquam rixari cum eo occipere, mox, reconciliatus iterum, veniam ab eo peteret. Et sane magno in Platonis philosophiam ardore ferebatur. Sed tamen, parte altera, non exigua apud eum illorum autoritas erat, qui ab illa eum averterent, exitio hoc ipsi fore inculcantium, si ei plus, quam satis esset, perget indulgere. Cum bellum vero interea temporis conflatum esset, in patriam Platonem dimisit, inde eum proximo vere, modo pax subsecuta fuisset, una cum Dione Syracusas sese revocaturum pollicitus. Sed ista tamen etiam promissa ejus irrita fuere, quod apud Platonem quidem belli pertinacia excusabat, eo finito Dionem se revocaturum promisit, quem animo interea tranquillo ut esset, neque adversus sese quippiam moliretur, vel apud Græcos famam suam labefactaret, hortabatur. Idque etiam Plato ut obtineret, curavit, eamque ob rem Dionem philosophiæ præceptis in Academia imbuit. Vivebat autem in urbe Dion, in domo Calippi, cum quo inveterata ei intercessit amicitia. Domumque sibi in rure comparaverat, ad quam animi causa quandoque diverteret. Atque eam quidem, in Siciliam reversus, Speusippo donavit, cum quo intimam familiaritatem contraxit, Platone autore, qui amœnum Speusippi ingenium oblectando Dioni, ut erat modestus & continens, maxime iudicaverat idoneum. Ludos autem suis sumtibus publicos Atheniensibus Plato, juvenumque choreas paraverat. Quos cum instituere ad hoc munus dignaretur Dion, impensasque solveret ipse, ea liberalitate, qua Plato non invitus eum de Atheniensibus mereri patiebatur, non minus amoris, quam honoris Plato apud omnes fuit consecutus.

Interea temporis Dionysius, ut ignominiam deleret, qua apud Philosophos, ob causam Platonis, laborabat, viros doctos undiquaque invitabat, atque inani sapientiæ ostentatione inepte passim Platonis, quas edidicisset, sententias proferebat. Hinc factum, ut in ejus animum Platonis desiderium rediret, pœnitentiaque duceretur, quod recte eo, dum liceret, uti non novisset, neque, quantum potuisset, ejus institutione profecerit. Cumque incerti motus, more tyrannorum, eum inquietarent, atque mutabiles; subito reddi sibi cœpit velle Platonem. Et cum pax facta esset, ad Platonem misit, denuo eum invitans: non tamen ad Dionem, quem una se vocaturû promiserat, eum enim posthac accersiturum se esse ajebat. Id vero Platonem ut parere invitationi nollet permovit, (licet, ut pareret, Dion vehementer urgeret,) causam allegantem senectam, & quod promissis Dion satisfaceret minus. Interea Archytas cum aliis Tarentinis, quos Plato ante suum ex Sicilia discessum Dionysio commendaverat, ad Dionysium identidem veniebant, apud quem alii quoque commorabantur ex Dionis familiaribus. Dionysius, post iteratam quoque invitationem, repulsam ferens, idque non sine dedecore suo fieri existimans, tertia vice triremem ipsi misit vittatam, aliasque naves, & una cum iis Archidemum, quem Platoni amicissimum eorum, quos in Sicilia reliquerat, judicabat,

Plat. Ep. Plut. l. c. p. 964.

Plut l c p. 965.

Plat. Ep.

Plat. II, III, VII, x.

Plut. l. c. bat, aliosque nonnullos ex Siculorum nobilissimis. Præterea Archytæ Pythagoræo omnibus modis persuaserat, ad Platonem ut scriberet, Pl. Ep. 7. p. 339. salvum eum venire posse, eiusque rei causa suam se interponere fidem. Illi quamprimum ad Platonem venissent, toto animo Philosophiæ se addixisse Dionysium affirmabant, ista ei a Dionysio epistola reddita:

DIONYSIUS PLATONI.

(Præmissis illis, quæ pro more epistolarum præmitti solent:) „Nihil mihi antiquius neque prius „contingere possit, quam ut ver„bis meis obtemperans quantocyus „ad me in Siciliam venias. Quan„tum ad Dionem autem primo atti„net, omnia ex sententia tua pera„gentur. Puto enim te æque peti„turum, ipse vero omnibus an„nuam. Si venias tamen minus, „nihil pro Dione te impetraturum „scito, neque in alia re ulla, ne„que in iis, quæ te ipsum maxime „spectant.

Addiderant alias epistolas Archytas, & reliqui Itali ac Tarentini, discendi ardorem in Dionysio commendantes; id quoque addentes, & Platoni, & eius amicis omnibus noxæ id fore, si obsequentem Plut. l. c. hac parte se præbuerit minus. Ad Dionem quoque litteras assidue conjux & soror mittebant, quibus Plato l. c. & amicorum Athenienſium accessit importunitas, ut vicerit tandem Dio, cesseritque Dionysio Plato, Dionem & Tarentinos amicos prodere nolens, nullas excusatione moras amplius texens. Sicque ter- Plut. Dione p. 965. tio, ut ipse scribit, freto Siculo se commisit.

Rursum ut tentaret diram superare charybdin.

Advenienti albis quadrigis Dionysius occurrit, iisque acceptum sedere iussit, ipse agens aurigam: Plut. l. c. Ælian. V. H. IV, 18. quo oblectatus spectaculo ex Siculis nonnemo, suavis ingenii homo, & in Homericis scriptis versatus, Hiados versus quosdam paululum immutatos protulit:

Faginus ingenti stridet sub pondere pressus
Axis, dum vehitur vir præstantissimus, alter.

Quemadmodum autem ipse adventu eius impense lætabatur Dionysius, ita non minus eo Siculi gaudebant, magna spe animis concepta, atque id desideriis studiisque expetentes summis, ut, Philisto supplantato, de tyrannide philosophia triumpharet. Certabant studio Platonis cum viris feminæ. Sed &, quod maximum erat, ipse Dionysius plus in eo quam ceteris amicis omnibus spei se repositum habere publice præ se ferebat. Cum enim reliquos omnes suspectos haberet, solum Platonem nulla præmissa, an armatus veniret, investigatione, admittebat: quamvis amicissimum esse Dioni non ignoraret. (*a*) Magnam præterea (*b*) auri vim eidem offerebat, quam tamen ille recusavit. Est tamen Onetor quidam, (*c*) qui affirmet XXC. eum a Dionysio talenta accepisse, quibus ditatus Philolai sibi comparaverit libros. „Quæ occasio extitit cuiusdam Aristippi dicterii: (*d*) *prudenter vero*, inquiebat, *liberalitatem exercet Dionysius, nobis, multa postulantibus, exigua, Platoni, nihil petenti, maxima donat.* „Et rursum, cum vitio ei verteretur, quod ipse pecunias, libros Plato a Dionysio acciperet, nempe, aiebat, ego

a Ælian. V. H. IV, 18
b Plut. l. c.
c ap. Laert. III, 9.
d Vit. S vita Aristip. c. V.

ego pecunia, Plato libris opus habet. Adeo verum non est, quod Xenophon Platoni improperat, eum ad Dionysium, ut Siculæ particeps luxuriæ fieret, abiisse: vel, quod Tzetzes ait, eum coquinariæ operam navasse, & cum Dionysio ut hospitem quotidianum, & parasitum, vixisse. Nempe tam erat ab omni, quod sordidum esset, placendi studio alienus, ut in convivio, quo omnes purpura indutos saltare jusserat Dionysius, ipse quidem id se facturum negaverit, versu addito:

Erud Aeschin.

Vid. §. vit. Aristippi l. c.

Effeminata veste non possum tegi.

Sunt & qui eius esse dicant, quod Aristippo tribuunt alii. Dionysio nempe dicenti:

Quisquis tyrannum accesserit libentius

Fit servus illi, sit licet liberrimus.

Ex tempore respondisse fertur:

Non serviet, si liber ante venerit.

Plat. Epi VII. Plut. l. c.

Commoratus aliquamdiu in Sicilia Plato, Dionysium promissi admonuit, de Republica juxta leges suas condenda. At recantavit promissum Dionysius. Cumque Dionis quoque causam Plato urgeret, primo moras nectere, postea offendi quoque ea re cœpit Dionysius, tanto tamen offensam studio dissimulavit, ut nemo id animadverteret, eodem enim, quo antea, honoris genere eum afficere pergebat, sic eum a Dionis amicitia tandem se abstracturum sperans. Vicissim Plato quoque, utut ab initio neque dictis, neque factis eius, fidem constare, fraudibusque eum ubique indulgere, animadvertisset, id tamen dissimulavit similiter, animoque æquissimo omnia tulit, maxime in omnibus ei se credere præ se ferens. Atque ita invicem simulatione certavere, omnium oculos sese existimantes fallere posse. Eo tempore Helicon, Cyzicenus, ex Platonis familiaribus unus, solis defectionem prædixit, cui prædictioni cum respondisset eventus, magno id ei apud tyrannum honori fuit, qui argenti talento ob id eum est remuneratus. Tum Aristippus, cum aliis philosophis jocatus, se vero, inquiebat, rem longe magis mirabilem paulo post eventuram prædicere posse. Cumque omnes, quid rei id esset, nosse averent; Platonem, inquiebat, & Dionysium brevi inimicos fore animus præsagit: idque similiter evenit. Nempe reditus Dionis, quos ei in Peloponnesum transmittere quotannis consueverat, retinere Dionysius velle cœpit, nepoti suo, filio Dionis, eos se inquiens asservare. Id cum male haberet Platonem, mitti petebat, ut qui morari in Sicilia diutius, ubi modis tam indignis haberetur Dion, haut posset. Ei vero amice Dionysius respondit, ut maneret orans; nam rebus suis conducere minus putabat, pati, ut Plato, dimissus, quid rerum moliretur, divulgaret. Cum persuadere tamen Platoni, ut maneret, haut posset, se curam gesturum promisit, ut necessaria itineri eius appararentur. At Platoni quidem in navi cursoria iter ingredi propositũ fuerat, quem, cum itineri acrius intentum Dionysius animadverteret, humanissimis eum proxime secuta die compellavit verbis. „ Ut, „ quæ inter me & Dionem intercedunt, lites denique componantur, „ in tui potissimum gratiam patiar, „ ut vivens in peloponneso reditus suos

Plat. Epi VII. p. 346.

„ suos accipiat, ibique non ut exul „ degat, sed ita ut in Siciliam commeandi, ubi ipsi, & mihi, & vobis „ amicis illius visum fuerit, habeat „ facultatem. Sponsor ipse eris, „ tuique & ipsius amici, quotquot „ in Sicilia degunt. Accipiet igitur „ reditus suos Dion, sed tua manu, „ neque enim alia ratione tuto fi„ dem haberi posse puto, quæ maior „ apud me tui est atque tuorum. „ Annum itaque expectes velim, ut „ eius pecunias tecum auferas, quo „ ipso rem Dioni gratissimam fece„ ris.„ Consensit Plato diei spatio ad deliberandum antea accepto, remque omnem ad Dionem perscripsit. Verum vix portu egressæ fuerant naves, ut Platoni evadendi viam reliquam esse nullam Dionysius sentiret, cum ecce oblitus promissi, Dionis bona vendidit.

Plato Ep VIII. p. 348 Circa id tempus seditio inter milites Dionysii fuit exorta, cuius Heraclides, ex Platonis familiaribus, autor ferebatur. Dionysius, ut caperetur, nihil non fuit molitus: sed deprehendere poterat nusquam. Cumque in horto aliquando deambularet, Theodotem ad se advocavit: Platone vero casu sub idem tempus ibi obambulante, postquam privatim cum Dionysio aliquamdiu collocutus Theodotes esset, ad Platonem conversus, *id age*, inquit, *o Plato, ut persuadeam Dionysio, Heraclidem adduci ad se, ut patiatur, quo defendat a se, qua ipsi tribuuntur, crimina. Utque, si audituum in Sicilia ferre nolit, cum uxore, & liberis in Peloponnesum abire patiatur, eumque vitam ibi degere sinat reditibus suis, donec res novas contra Dionysium moliri deprehensus fuerit, fruentem. Hac data fide, ad Heraclidem misi, mittamque iterum, ut huc veniat hortaturus. Si veniat autem, sive priori sive posteriori invitationi mea obsecutus, noxam enim sive in urbe, sive extra eam, accepturum nullam mihi cum Dionysio convenit, idque is ita fore recepit; missurus eum, si ita sit visum, extra imperii hujus fines, donec de fide ipsius planius sibi fuerit satisfactum.* Tum Dionysium affatus, *nonne*, inquit, *his omnibus consentis, Dionysi? consentio*, respondebat ille, *neque, si domo tua se contineat, damni quidquam admittet.* Sequente die, quæ XX. ante Platonis ex Sicilia discessum extitit, magna festinatione ad Platonem Eurybius & Theodotes, perturbatissimi, advolavere. Priorque Theodotes, *præsens*, inquit, *eras, ô Plato, cum inter me & Dionysium de Heraclide conveniret?* fuisse se respondit Plato. *Atqui*, excipiebat ille, *ab eo tempore lictores misit Dionysius, qui eum apprehendant, in quos non longe hinc absens ne incidat vereor. Ad Dionysium igitur age eamus, & omne, quod possumus, apud eum experiamur.* Una igitur vadebant, cumque in conspectum eius venissent, reliquis silentio plorantibus, ita exorsus est Plato: *Metuunt Dionysi, boni isti viri ne in Heraclidem quid statuas, hesternis promissis tuis adversum, eum enim non multum abesse puto.* Quibus verbis ira accensus Dionysius est, furore identidem faciei immutante colorem. Pedibus igitur eius advolutus Theodotes; dextra prehensa, ne quid tale committeret, oravit. Continuata vero oratione Plato, *bono animo esto*, inquit, *Theodotes, neque enim quicquam Dionysius committet, ad-*

versum

versum iis, quæ luce hesterna est pollicitus. Torvum autem in Platonem intuens Dionysius, *tibi quidem* inquit, *nihil sane promisisse me memini*. *Imo promisisti*, regerebat Plato, *per Deos*, *te non facturum ea*, *quæ ut omittas, Theodotes modo orat*. Præsentes autem cum & Archedemus esset, & Aristocrates, Dionysius, quod & antea exprobraverat Platoni, pro Heraclide intercedenti, *maiorem ipsi esse Heraclidæ & reliquorum, quam sui curam* aiebat, eisque testibus appellatis, eum interrogabat, *annon recordaretur*, *se autorem fuisse sibi Græcarum civitatum restituendarum*, *cum Syracusas primum venisset? Se vero recordari*, aiebat Plato, *semperque in ea sententia fuisse optime ita consulturum rebus suis Dionysium: an unicum vero hoc sit*, *quod a se ipsi datum esset consilium?* quærebat: Cui Dionysius iracunde respondit, magnoque contemtu, amareque ridens interrogavit, *an tanquam puerum igitur in istis semet instituisse ille putaret?* Tum Plato, *ejus vero*, inquit, *ipse optime memineris*. *Quomodo vero*, ille subiecit, *an tanquam Geometriæ magister*, *an alio modo*? Ultra tamen respondere verebatur Plato, ne suo id itineri impedimento esset metuens, verum abiit statim. Dionysius autem insidiis Heraclidem circumvenire statuit, verum ille fuga in Carthaginensium provinciam sibi consuluit.

Plat. Ep. VII, p. 349. Dedit autem illa cum Platone dissensio Dionysio prætextum, ut de Dionis facultatibus minime restituendis consilium caperet. Primum igitur arce Platonem amandabat, palatio proxima, in qua moratus hucusque fuerat, feminis decendialia solennia in his ipsis obeunda esse causatus hortis, quos Plato habitabat. Atque eo quidem tempore extra arcem, apud Archedemum, Platonem diversari iussit, quo eum Theodotes etiam ad se invitavit, de Dionysii moribus conquestus. Certior autem redditus Dionysius ad Theodotem ivisse Platonem, denuo inde offensæ arripuit occasionem, nuntioque misso, ex eo sciscitatus est, *an apud Theodotem fuisset*. Platone se apud eum fuisse fatente, subiecit nuntius, se in mandatis a Dionysio habere, ut nuntiaret Platoni, male eum facere, qui Dionis sibi præferat amicos. Ab eo tempore nunquam in aulam Platonem Dionysius invitavit, quem Theodotæ & Heraclidæ aperte favere, sibi inimicum, existimabat. Plato interea extra arcem militibus, quos in corporis custodia Dionysius habebat, expositus fuit, qui jam olim infenso adversus eum animo fuerant, neque id latebat Dionysium, eo quod tyrannide ut se abdicaret, & sine corporis viveret custodibus, autor ei extitisset. Neque monere Platonem desistebant, quotquot ex amicis ad eum videndum accedebant, calumniis eum inter milites male differri, quasi ipso impulsore Dion & Theodotes de Sicilia, adversus Tyrannidem vindicanda, consilia agerent, minarique nonnullos, vitam se ei ademturos esse, si qua opportunitas patrandi facinus eis offeratur. Quæ res permovit Platonem, ut de fuga cogitare inciperet, id quod hac ratione perficere conatus est. Tarentum ad Archytam misit, aliosque amicos suos, quibus periculum, quod suo impendebat capiti,

Plat. Dion. l. c. Plat. Ep. VII, l. c. Laert. III, 21.

nun-

nuntiabat. Illi igitur, legati ornatum munere, provinciæ nomine, Lamascum, qui Lamiscus Laertio appellatur, cum triremi miserunt, qui Platonem reposceret, quod Archyta sponsore, Syracusas ut veniret, Plato fuisset adductus. Erat que litterarum Archytæ hæc fere summa:

ARCHYTAS DIONYSIO.

Nos, Platonis amici omnes, Lamiscum ablegavimus, & Photidem, viri reposcendi causa, juxta ea, de quibus te inter ac nos convenit. Si recordari volueris, qua precum importunitate a nobis hoc extorseris, ut Platonem invitaremus, & quibus promissis in omnibus facilem te nos habituros, libertatemque veniendi abeundique, prout visum ipsi fuerit, te concessurum ei esse pollicitus sis, bene est. Recordare quæso, quanti adventum ejus feceris, utque omnibus eum prætuleris aliis. Si quæ inde inter vos dissensio orta est, rectius feceris, si humanitate omni dimissum nobis restitueris. Quod faciens rem iustam facies nobisque gratissimam.

Plato & Plutarch. ll. cc. Dionysius igitur, ut seipsum exculparet, neque se iratum Platoni esse ostenderet, convivio eum magnifice excepit, multisque auctum amoris testimoniis, domum dimisit. Inter cetera autem ei aliquando dicebat: *Vereor*, Plato, *ne male de me, amicis tuis redditus, loquaris*. Respondit Plato subridens, *id vero Dii prohibeant, ut ea dicendi in Academia inopia laboremus, ut de te loquendi nobis imponatur necessitas*. Cum in eo iam esset, ut discederet, rogavit Dionysius, *ut exploraret, quo animo laturus sit Dion, si alii uxorem ipsius elocaverit*; Fama enim tum erat, minus ipsi placere coniugem, nec vitam cum ea ipsum quiete agere posse. In Peloponnesum igitur Plato, ex Sicilia redux, delatus est, ludorum Olympicorum tempore. Laert. III, 25. Omnis itaque Græciæ oculos a ludis ad se, tanquam dignum magis convertit spectaculum. Heic Dionem quoque invenit, qui spectandorum sacrorum certaminum causa accesserat, eique omnia, quæ gesta erant, narravit. Dion ulturum se iurabat iniurias quas Plato subiisset, quod tamen, ne faceret, ille suadebat. Athenis redditus ad Dionysium scripsit, cui omnium luculenter reddidit rationem, nisi quod de Dionis uxore obscure scriberet adeo, ut nemo, quid sibi vellet, eo, ad quem epistola prescripta erat, excepto, intelligere posset. Nempe cum Dione se locutum esse scripsit, de eo, quod nosset Dionysius, negotio, multumque eum offensurum Dionem, si proposita perficeret. Quæ causa fuit, cur differret tantisper tyrannus, sororem Areten, quæ Dioni in matrimonio iuncta erat, alii tradere, quod spes adhuc superesset reconciliationis; qua penitus non ita multo post sublata, invitam licet, & reluctantem in familiarium cuiusdam, Timocratis, amplexus, ire iussit. Hæc causa fuit, cur bello experiri Dion contra Dionysium vellet, nequicquam id dissuadente Platone, sive quod gratitudo in Dionysium, a quo humanissime erat acceptus, sive quod provecta Dionis ætas ita eum animaret. Quamvis Ælianus dicat, eum Dioni belli Æl. V. H. III 17. istius suscipiendi autorem fuisse; Plut. l. c. quod Plutarchus tamen Speusippi instigationibus tribuit.

CAP.

CAP. X.

Platonis in Republica autoritas.

Laert. III. 24.

IN patria dum ageret, privatam in Academia degebat vitam, longe a publicis semotus negotiis, quamvis summa eorum facultate polleret, ut ex scriptis eius patet. Nempe causa fuit, quod lex, qua viverent Athenienses, ipsi quidem minus probaretur.

Laert. l. c. Ælian. II. 42.

Cum fama ejus majora indies incrementa acciperet, ad Arcadas usque atque Thebanos prolata, Legati ab iis missi sunt, oratum vehementer, ad se uti veniret; non tantum juventutis animos philosophiæ præceptis ut imbueret, sed, quod majoris erat momenti, *Megalopolin* legibus ut conderet, civitatem, nuper ab Arcadibus conditam, cuius exstruendæ occasio fuerat clades maxima, a Lacedæmoniis accepta, Olympiadis CIII. anno I. Valde ea invitatione Plato est delectatus. Interrogatis autem legatis, ut sint adversus *aequalitatem* in Republica animati, eosque ab ea tantopere abhorrere sentiens, ut adduci ad eam nulla ratione valerent, ipse sequi noluit, sed Aristonymum, familiarem suum, substituit.

Plutarch. ad princip. inerud. initio.

Sed & *Cyrenæi* ab eo leges civitati suæ ordinandæ postulabant, repulsam tamen ab eo tulere, dicente, difficile esse leges præscribere hominibus, rebus secundis utentibus. Variis tamen populis, importunius idem flagitantibus, cessit. *Syracusiis* enim tyranno eiecto, leges dedit, * ut & *Cretensibus*, quibus leges *Magnesia* condita, libris duodecim digestas, misit. *Eleis* (a) Phormionem, *Pyrrhais* Menedemum, (b) familiares suos misit, eiusdem rei perficiendæ causa.

a male in textu Stanleii est: *Ilienfibus* vid. Plutarch. adu. Colot. p. 1126.

b Plut. l. c.

Quæ quidem satis esse putem ad tuendam contra eos Platonis autoritatem, qui improperant ei, (c) quod Reipublicæ delineaverit formam, severæ adeo disciplinæ, ut nulli eam genti potuerit persuadere, Atheniensibus, qui neque Draconis neque Solonis leges respuerant, Platonicas ridentibus.

c Aten. L. XI. p. 508. A.

CAP. XI.

Virtutes Platonis, & apophthegmata ad morum studium pertinentia.

COelibatum Plato sobrie casteque coluit, adeo, ut iam senex, vulgi opinioni daturus aliquid, *naturam* sacrificiis placaverit, expiandi criminis continentiæ causa. Gravitatis porro erat adeo sibi semper æqualis, ut juvenis, eius disciplina institutus, ubi patriæ domui redditus esset, patremque voce concitata magis loquentem audivisset, nunquam se hoc apud Platonem vidisse affirmaret. (b) Cibum in die semel tantum capiebat, & si bis caperet, parcissime id faciebat. Solus dormiebat: plurimumque contrariam isti vivendi rationem improbabat. Prudentiæ eius, patientiæ, animi magnitudinis, & ceterarum virtutum sequentia specimina habemus.

a Laertium & Suidam ad hunc locum citat Stanlejus, at horum tamen apud neutrum istorum, sive velam invenio sive vestigium.

b Senec. de Ira II. 22.

Plutarch. vit. Lysandri p. 441.

Certantibus Antimacho, Colophonio, & Nicerato Heracleota carminibus, in Lysandri honorem, præmium Niceratus reportaverat: quam rem moleste ferens Antimachus, poe-

X

* De satis a Platone legibus, quas Syracusii & Magnetes adoptarent, non memini me legisse, sit igitur fides apud Stanlejum.

poema a se compositum discerpsit. Plato igitur, tum juvenis, atque Antimacho ob poetices studium conjunctissimus, eum solatus est, *ignorantiam morbum esse* inquiens, *proprium indoctis, perinde ac cecis propria est caecitas*.

Senec. de ira III, 12. Servo suo iratus, ponere illum statim tunicam & praebere scapulas verberibus jussit, sua manu ipse percussurus. Postquam intellexit irasci se, sicut sustulerat, manum suspensam detinebat, & stabat percussuro similis. Interrogatus deinde ab amico, qui forte intervenerat, quid ageret? *Exigo*, inquit, *paenas ab homine iracundo*.

id. ib. Laert III, 38 Laert III, 39. Val. Max. IV, 1. Ext. Alio tempore ob servuli peccatum quoddam commotior, *tu*, inquit, *Speusippe*, (Xenocrati tamen haec dixisse Laertius autor est) *servulum istum verberibus objurga, nam ego irascor*. Cuidam item servorum, *jam vapulasses*, dixit, *nisi iratus essem*: Veritus nempe, ne ipse modum vindictae dispicere non posset, sibi autem deforme futurum existimans, si commisisset, ut parem reprehensionem culpa servi & animadversio sua mereatur.

Laert. III, 22. Cum capitis causam diceret Atheniensium Imperator Chabrias, solus in partibus ejus comparere ausus est Plato, ne uno quidem ex reliquis civibus idem facere sustinente. Occurrens igitur ei Crobulus Sycophanta, ad carcerem Chabriam secuturus, ita affatus est: *tune vero etiam venis auxilium laturus aliis? an nescis Socratis tibi quoque asservari cicutam?* Cui Plato respondit, *pro patria pugnans, hoc capite subire pericula non dubitavi, idemque pro amico nunc facere nihil haesito*.

Olympico dum interesset certamini, in hospites quosdam incidit, quibus ignotus erat, sed quorum tamen sibi animos affabilitate sua mirum in modum devinciebat, tota die cum illis convivando & confabulando absumta: qua tamen neque Socratis, neque Academiae vel verbulo faceret mentionem, hoc solum dicens, Platonis sibi esse nomen. Iidem cum Athenas venissent, humanissime ab eo excepti fuerunt. Illis vero *age*, dicentibus, *Plato, nominis tui virum, Socratis discipulum ostende nobis, in Academiam viam monstra, illi commenda, ut & ipsi virum cognoscamus*: Ille pro more subridens, *se esse virum* dixit. Ea igitur re in maximam admirationem illi rapiebantur, quibus nempe adeo cum tanto viro versari licuisset familiariter, adeo ab omni fastu alieno, atque jactatione, fassi non sermonibus tantum de rebus ad philosophiam spectantibus, sed vulgari quoque confabulatione mirum eum devincire animos hominum valere. Aelian. V. H. IV, 9.

Solebat, quoties e schola discederet, dicere: *Videte pueri, ut otio ad rem aliquam honestam utamini*. Plutarch. de fortuna p. 139.

In convivio eos reprehendebat, qui musicos adducerent, eos sermonum impedire commercium dicens. (*a*)

Tesseris (*b*) ludentem juvenem videns, severe increpabat. Eoque dicente, mene vero ob rem exigui adeo momenti reprehendas? *Plato consuetudinem haut exiguirem momenti esse*, respondit.

a aliud judicium Homeri, quod sequitur Plut. lib. de Musica sub fin. & Athenaeus dipnos. XIV, p. 627

b Laert. III, 39.

Rogatus (*c*), an dictorum factorumque ipsius quoque, ut priorum, aliqua sit extitura memoria, *primum dixit comparare oportere nomen, tum multum fore*. Cum

c Laert. III, 21.

c Laert. III, 3x. d Laert. III, 39. Cum equum inscendisset (d), statim iterum descendit, *vereri se*, inquiens, *ne ἱπποτυφίᾳ abripiatur*, h. e. *fastu prætumido*, ad quem vocem ex re equestri ita accommodabat.

Laert. l. c. Ebriis ut & iracundis in speculo sese ut intuerentur, identidem autor erat, hoc enim ab istis vitiis eos deterriturum.

Id. Ib. Potare usque ad ebrietatem nusquam decere aiebat, præterquam in diebus festis Dei, largitoris vini.

Id. ib. Somnus item immodicus ei displicebat, unde in legibus dicit, *dormiens nemo ullius pretii est*.

Id. ib. Veritatem jucundam esse magis quam quicquid est fabularum. De veritate item aiebat in libro de legibus: *Præclarum quiddam est veritas, o hospes, atque durabile. Verum id hominibus persuadere non est facile.*

Valer. Max. IV, 1. Extern. 2. Xenocratem, de se multa impie locutum, audiverat, quam sine ulla cunctatione criminationem respuit. Instante vero certo vultu indice, causamque quærente, cur fides sibi non haberetur? adiecit, *non esse credibile, ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur*. Postremo cum ad jusiurandum inimicitias ferentis malignitas confugisset, ne de periurio eius disputaret, *nunquam Xenocratem illa dicturum fuisse, nisi ea dici expedire sibi judicasset*, dixit.

Senec. de Ira I, 16. *Neminem prudentem punire aiebat, quia peccatum sit, sed ne peccetur.*

Ælian. V. H. XII, 29. Agrigentinos, in ædificiis magnificos, in conviviis luxuriosos videns, *Agrigentini*, inquit, *ædificant quasi semper victuri & comedunt quasi statim morituri*.

Ex Stob. cit. Stanl. Hominem improbum alterius causam agere audiens, *cor eum in lingua* dixit, *habere*.

Antonius serm. 54. Cum ei nunciaretur, esse, qui male de eo loquantur, *parum interest*, respondit, *ego sic vivam, ut nemo eis fidem habeat*.

Ex Stob. Stanl. Juvenem claro genere ortum, qui rem familiarem dilapidaverat, ad diversorii limina confidentem videns, aqua & pane pastum, *si*, inquit, *ea temperantia olim cibum sumsisses, non esset tibi nunc ita vivendi imposita necessitas*.

Stob. serm. 16. p. 157. Ad Antisthenem, longa oratione usum, *ignoras*, inquit, *dicendo modum non ex loquentis, sed ex audientis voluntate esse adhibendum*.

Id. serm. 17. p. 436. Ad juvenem fastu adversus parentem usum, *annon cessatis*, inquit, *contemnere eum, sine quo ipse altum sapere non posses*.

Discipulorum nonnemini, corporis nimium intento curæ, *quid vero*, inquiebat, *tantopere in carcere tuo ornando laboras?*

De captivo vinculis constricto, *mortuum*, aiebat, *esse in proprio corpore, vivere in alieno*.

Eum, qui seipsum alterius causa non curet, omnium felicissimum esse, aiebat, *neutrum enim talem frunisci*.

Cumque quidam, cui nomen Leoni, inter cives loco minime obscuro qui esset, ob clamores in senatu nimios reprehensionem incurreret, *hoc*, inquiebat, *est Leonem esse*.

Mirantibus discipulis eius, Xenocrati, austero per omnem vitam, dictum quoddam excidisse jucundius: *an mirum*, aiebat, *inter spinas rosas & lilia excrescere?*

Laert. IV, 6. Eidem Xenocrati, quod tetri cum nosset hominem esse, ut Gratiis litaret, autor extitit.

Frequenter in ore & istud habebat: *Laborem otio prafer, nisi quietem gloria pratuleris.*

Juvenes ad vitam virtuti consentaneam ita fere excitare solebat: *Diversam virtutis & voluptatis considera indolem: momentaneam in hoc mundo voluptatem aterna mox sequitur tristitia, & pœnitentia. Virtutis vero exiguum laborem aterna voluptas excipit.*

Multum interesse, aiebat, *ut ita instituantur juvenes, quo in bonis rebus delectationem capere assuescant, alias enim escam, qua ad malum inveniuntur fore voluptatem.*

Laert. III, 40. *Philosophiam verum animi* affirmabat *esse firmamentum, cetera ornatus tantum causa accedere. Menti vero sana nihil jucundum magis obtingere, quam veritatem si & loquatur, & audiat, qua nihil sit magis durabile.*

Interrogantibus, quæ optima sit hæreditas liberis relinquenda? *ea*, inquit, *cui neque tempestas metuenda, neque hominum vis neque Iupiter ipse.*

Demonico, de filio educando eum consulenti, dixit: *Eadem cura liberi, qua planta sunt educandi: Res illa laboris est, hac voluptatis. Cura tamen gerenda, ne in hoc securi, in illo solertes nimium existamus.*

Philedono, improperanti sibi, quod non minus in discendo quam in docendo studium poneret, atque quamdiu discipulum agere vellet? interroganti, *tamdiu*, respondit, *quam virtutis & sapientia incrementa capere me haut puduerit.*

Quod inter doctum indoctumve intercedat discrimen? interrogatus, *idem*, inquit, *quod Medicum inter & agrotum.*

Principum maximum bonum aiebat *esse familiares, adulatorias artes non callentes.*

Prudentiam vero principi aque ac animam corpori necessariam esse. Tum demum felicissimam Rempublicam fore, ubi vel Philosophi imperent, vel imperantes philosophentur. Nihil enim noxium esse magis, quam opes & arrogantiã cum ignorantia coniunctas. Subditos tales esse oportere, quales principes esse videantur. Magistratus munus pro publico non privato bono habendum. Non partem Reipublica, sed totam maxime spectandam esse.

Timotheum, Cononis filium, a conviviis militaribus maximis impensis instruendis revocare cupiens in Academiam eum ad frugale convivium invitavit, quale sequi soleat placidus somnus, corporisque commoda temperies. Secuta die Timotheus, observato quid intersit, Platonis convivas melius valere altera die, dixit. Atque in Platonem ubi incidisset, *tua*, inquit, *cœna, o Plato, jucunda aque est proximo mane quam nocte, qua sumta est*, ad sermones respiciens excellentissimos eo tempore habitos. Plutarch. Sympos. VI procœ. p. 686 Aelian. V. H. lib. 18.

Hinc & quam vere Poeta locutus fuerit, liquet, qui derisus, quod solo spectatore Platone fabulam egisset, *at*, inquit, *solus ille omnium mihi instar Atheniensium est.*

CAP. XII.

Testamentum & mors ejus.

CÆlibatum ad vitæ usque finem colens, hæredes ex posteris suis nullos habuit, hæredemque adeo Adimantum scripsit, qui filius fuisse videtur Adimanti, fratris sui natu minimi, testamento, quod ita Laert. III, 41. Laertio repræsentatur:

Hac reliquit Plato atque legavit:

Hephæstiadum fundum, cui ab aqui-

aquilone vicina via est, quæ ducit a templo Cephisiadum: ab austro Heracleum Hephæstiadum: ab ortu solis Archestratus Phrearius: ab occasu Philippus Cholidensis. Hunc autem nemini licitum sit aut vendere aut alienare, sed sit Adimanti filii, quantum fieri potest. Eneresiadumque fundum, quem emi Callimacho, cui ab aquilone vicinus est Eurymedon Myrrhinusius, ab austro Demostratus, Xypeteron, ab ortu Eurymedon Myrrhinusius, ab occasu Cephissus. Argenti minas tres, argenteam phialam, pendentem drachmas CLXV, Cymbium, ponderis drachmarum XLV. Annulum aureum, & inaurem auream ambo drachmas IV & III obolos: Euclides lapicida mihi debet minas tres, Dianam dimitto liberam. Servos relinquo Tychonem, Bictam, Apolloniadem, & Dionysium. Suppellectilem & vasa, quorum catalogus est apud Demetrium. Nemini autem quicquam debeo. Curatores erunt Sosthenes, Speusippus, Demetrius, Hegias, Eurymedon, Callimachus, atque Thrasippus.

De Dogmat. Plat. p. 26. Quod quidem, si suppostitium non est testamentum, vera non sint oportet, quæ Apuleio affirmantur, patrimonium in hortulo, qui Academiæ junctus fuit, & in duobus ministris, & in patera, qua Diis supplicabat, eum reliquisse. Auri tantum, quantum puer nobilitatis insigne in auricula gestaret.

a Laert. III. 40. Mortuus est (a) tertio decimo Philippi Regis Macedonum anno, qui primus Olympiadis CVIII. extitit, ætatis vero ejus juxta Hermippum, (b) Ciceronem, Senecam & alios LXXXI, non vero, ut apud Athenæum (c) est editum, LXXXII. Numerum autem eum exacte Plato implevit, ipso natali suo vita functus. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, (d), immolaverunt defuncto, amplioris fuisse sortis, quam humanę rati, quia consummasset perfectissimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt.

b ap. Laert. III, 22. & plures alii, ibi observati Menagio. c Athen. L. V. c. 18. d Senec. Ep. 58.

Senio autem solo confectus obiit, quod temperantię ejus Seneca (e) tribuit & assiduitati. Hermippus (f) in nuptiali convivio eum diem obiisse dicit, scribentem Cicero. (g) Sunt igitur oppido in eum injurii illi, qui cum Pherecyde (h) affirmant morbo pediculari eum interiisse. In eum epitaphia reperiuntur sequentia:

e Senec. Ep. 58. f ap. Laert. l. c. g De Senect. c. V. Hieron. Ep. ad Nepot. l. an. de vita Cler. h apud Laert. III, 40. Laert. III, 43.

Iustitia cunctis præstans vitaque modesta,
Hoc situs in tumulo est divus Aristoclees.
Si quenquam ad magnos sapientia vexit honores;
Hunc citra invidiam vexerat ipsa virum.

Alterum:

Corpus habet, gremio contectum, terra Platonis,
Mens at habet superum tecta beata Deum.
Divinum quem jam veneratur, quisquis honestus,
Et probus est, cujus vel procul est regio.

Tertium:

Quid monimenta super volucrum Regina volasti,
Tu mihi dic superum quam tueare domum.
Diva ego sublati in cœlum feror umbra Platonis,
Corpus at infirmum hoc Attica terra tenet.

Platonis statuam in Academia a Persa Mithridate positam esse, autor

est Platonis, cum tali inscriptione. MITHRIDATES RHODOBATÆ FILIUS PERSA HOC SIGNUM PLATONIS A SILANIONE FACTUM MUSIS DEDICAVIT.

CAP. XIII.

Amici & Discipuli Platonis.

SCholæ Platonicæ fama ex omnibus partibus discipulos excivit in quibus fuere:

Laert. III. 46. Plut. de adul. & amici disc. p. 71. Laert. IV. 6. *Speusippus*, Atheniensis, Platonis ex sorore nepos, quem suo exemplo ad meliorem vivendi rationem adduxit.

Xenocrates Chalcedonius, charissimus Platonis discipulus, gravitatis eius & magni animi strenuus imitator. Eum Athenæus unicum Æschinis auditorem primum extitisse ait, solumque pauperiem eius sublevasse, postea tamen ab eo seductum Platonis artibus fuisse.*

Laert. V. 2. *Aristoteles* Stagirita, quem cum equi pullo: Plato contendere solebat, quod eum ingrato animo sibi adversaturum provideret, perinde ac pullus lactatus matrem calce petere solet. Laert. IV. 6. Erat autem Aristoteles indole vivida maxime, tardissima Xenocrates, unde Plato de illis dixit: *cui equo quem asinum jungo?*

Laert. III. 37. *Philippus* Opuntius, qui leges Platonis in cera descripsit: ei Platonis *Epinomidem* nonnulli tribuunt.

Hestiæus Perinthius.

Laert. III. 46. Plut. Vita Dion. Laert. l. c. *Dion* Syracusanus, quem summo affectu Plato amplexus est, ut ex ipsius in eum epigrammatibus constat. Eum ad summum honoris apicem provectum videas, omniumque oculos in præclara eius gesta conversos, ut caveret vitium, monuit, quod homines, ut sibi maxime placere studeant inducat, quodque solitudinem inprimis soleat comitari.

Laert. l. c. Ælian. III. 19. *Amyclam* porro, vel ut Æliano dicitur, *Amyclum*, Heracleotam.

Erastum & Coriscum, Scepsios.

Timolaum Cyzicenum.

Evæona Lampsacenum,

Arist. Pol. III. V. *Pithonem*, vel ut apud Aristotelem est, *Parona*, & *Heraclidem* Ænios.

Hippothalen & Callippum Athenienses.

Demetrium Amphipolitam.

Heraclidem Ponticum.

Mulieres duas, *Lastheniam* Mantineam, & *Axiothеam* Phliasiam, quæ virili veste incedebat.

Theophrastum, ut affirmatum quibusdam.

Ex oratorum censu *Hyperidem*, *Lycurgum*, *Demosthenem*. Dicit autem *Lycurgum* Philistus egregia indole fuisse, multasque res præclare gessisse, quas qui Platonis discipulus non non fuisset, patrare neutiquam valeret. Lucian. Demost. Encom. fin. Demostheni autem Antipatrum fugienti cum suasisset Archias, ut eius deditıtius fieret, vitam stipulatus, ille quidem respondit, *absit ut male vivere malim, quam bene mori*, *Xenocratem qui audivi & Platonem, de animi immortalitate disputantes*.

Mnesistratum Thasium.

Plut. Timi Rasp. Laert. VIII. 86. Quibus a Laertio recensitis *Aristidem* addas Locrum.

Eudoxum Gnidium, qui in magno apud Platonem convivio, primus morem invenit accumbendi in circulo.

Her-

---

* Imo potius Æschinem unicum Socratis discipulum, Platonem ab eo ad suam scholam traduxisse, Athenæus ait L. XI. p. 507.

Cic. ad Att. XIII 21. Zenob. Suid. v. λόγοισιν Ἑρμόδ. ἐμπ.

Hermodorum, de quo proverbiũ: *Hermodorus verbis mercatũ exercet.*

Heracleodorum, quem Demosthenes per litteras reprehendit, quod bonas artes negligat & vitam agat parum decoram, Platonis licet auditor extitisset.

Athen. Dipnos. XI, p. 508. D.

Euphræum, qui tantum gratia apud Perdiccam, Macedonum Regem, valebat, ut in regiæ autoritatis partes quodammodo venerit.

Evagona Lampsacenum. (*a*)

Timæum Cyzicenum. (*b*)

Charona Pellenæum, (*c*)

Isocratem oratorem, (*d*) cui conjunctissimus vixit Plato. Estque editus a Praxiphane *Isocratis & Platonis Dialogus*, in agro huius habitus, cum hospitem apud eum *Isocrates* ageret.

Astera, *Phædrum*, *Alexin*, *Agathonem* (*e*), juvenes, quos singulari affectu Plato complectebatur, uti ex eius in illos epigrammatibus patet.

Aristonymum, *Phormionem*, *Menedemum*, familiares eius, de quibus jam supra mentionem iniecimus.

(Et hi quidem ipsum Platonem audivere: Ceterorum Platonicorum qui post eius ætatem philosophiam ipsius amplexi sunt, catalogum nuper diligenter concinnatum exhibuit, Cl. Fabricius Bibliothec. Græc. Lib. III. c. 3.

a Ille idem cum Evæone de quo paulo ante apud Athenæum, tantum l. c. scribitur Evagon, nec satis liquet quæ scriptura sit præferenda. b Athen. XI, p. 509. c id. ibid. d Laert. III, 8. e Laer. III, 31.

CAP. XIV.

Æmuli Platonis & obtrectatores.

Quemadmodum vero Platonis sapientia discipulos & admiratores ei conciliabat parte una quamplurimos, ita parte altera æmulationem quoque ciebat longe maximam inter commilitones eius, ex Socratis Schola. In his censendi.

Laert. III, 33

Xenophon, qui infensissimo in eum animo extitit. Æmulatione mutua accensi idem argumentum tractarunt, *Symposium* scribentes, *Socratisque apologiam*, & *commentarios morales*. De *Republica* item scripsit alter, alter *Cyri institutionem*, quem Plato librum tanquam meram fabulam notat, nunquam Cyrum talem extitisse, qualis eo delineatur affirmans. Et quamvis uterque de Socrate scripserit, alterius tamen mentionem non facit alter, nisi quod semel Platonem alleget Xenophon in *memorabilium* Socratis *tertio*.

de Legib. L. III. p. 694.

p. 972. B. Conf. vit. Xen. c. VII. Laert. III, 34.

Antisthenes porro, in eo cum esset, ut scriptum quoddam suum recitaret, Platonem sibi adesse auditorem cupiebat. Interrogante autem Platone quid sit, quod recitaturus esset? *Quod*, inquit, *contradicere alteri sit nefas*. In id vero subiiciebat Plato, quomodo incidisti argumentum? eique ostendens quod ipse contradicat sibi, eo ipso Antisthenem ut Dialogum scriberet monuit, quem *Sathona* inscripsit.

Aristippus in adversariis eius etiam extitit, quæ caussa est, quod in *Phædone* eũ tecte perstringat, quod non longe Athenis apud Æginam degens, dum Socrates moreretur, ad eum visendum non accesserit tamen. Librum autem *Aristippus de Veterum Luxu* scripsit, in quo id propositum habuit, ut viris magnis detraheret, atque inter ceteros quidem Socrati, magistro, Platoni item & Xenophonti condiscipulis suis.

vid. s. vit. Aristipp. c. VIII.

Cum *Æschine* quoque male Platoni convenit. Sunt qui referunt illum, in aulam Dionysii delatum, contemtum a Platone, humanius exceptum ab Aristippo fuisse. Contrarium tamen epistola Æschinis loquitur, edita a Leone Allatio. Quæ

vid. s. vit. c. ...

Epist. Socr.

Ep. ...

Critonem & Socratem in carcere disputasse Plato refert, ea Idomeneus inter Socratem & *Æschinem* gesta affirmat, Critoni vero adscripta esse a Platone, quod minus *Æschini* faveret. Et sane in omnibus scriptis suis *Æschinis* non nisi bis meminit Plato, id que quidem obiter fecit. Semel in *Phadone* ubi inter eos numeravit, qui Socrate moriente fuerunt præsentes: rursum in *Apologia* ubi de patre Lysaniæ orationem instituit.

Athen. XI, p. 507.

Phado, si fides Athenæi calumniis, adeo Platonis malignitate male habitus fuit, ut coram judicibus id egerit, ut eum in servilem conditionem detruderet iterum, ex qua Socratis liberatus beneficio fuerat. Fraude tamen patefacta, consilium mutavit.

Præter condiscipulos, æmulum habuit *Diogenem* Cynicum, acerbum Legum Platonis irrisorem, ut & doctrinę quam de ideis proposuerat. De legibus Platonis interrogavit, *scriberet ne leges?* idque se facere affirmante Platone, *nonne Rempublicam jam scripsisti?* Diogenes regessit. Ita est, Platone inquiente. *Quid igitur*, subiecit, *opus ut denuo scribas?* De ideis vero differente Platone, ac *mensalitatem* & *cyathitatem* nominante, equidem dixit, o Plato, *mensam* & *cyathum* video, *mensalitatem* vero & *cyathitatem* non video. Cui Plato, *nec mirum*, ait. *quibus enim mensa cyathusque conspicitur oculos* habes, *quo autem cyathitas intelligitur & mensalitas, animum non habes*.

Laert. VI, 53.

Laert. III, 34.

Molon hostili adversus eum animo, *non id* dixit *esse mirandum, quod Corinthi sit Dionysius, sed hoc magis quod in Sicilia Plato esset*.

Senec. de vit. beat. c. 18. Laert. III, 31.

Ex odiis vero huiusmodi privatis multæ ortæ sunt imputationes otiosæ, confictæ quidem, latissime tamen ab invidis eius sparsæ. Qualis erat, *aliter loqui eum aliter vivere*. Quod amore præpostero Astera, Dionem, Phædrum, Alexidem, Agathonem & Archæanassam amplexus fuerit, Colophoniam meretricem. Quod calumniator, invidusque extiterit, superbus item, ficuum gulosus amator. Quod pessimus fuerit philosophorum, tyrannorum parasitus, ut alia eius generis non magis probabilia taceam. Hinc occasio Comicis nata eum perstringendi: *Theopompo* in *Autochare*.

Athen. XI, p. 505. sq. Tzetz. Chil. X. Hist. 336 sq. Laert. III, 26. perstringit Platon. modum numerum esse negantem.

Unum nec unum erit,
Unum duo vix sunt, Platoni si fides.

Anaxandrida in *Theseo*:

Quando vorabat oleas noster ut Plato.
Timoni ut conficta Plato astutus miracula finxit

Alexio in *Meropide*:

In tempore ipso tu venisti, verum ego
Sursum ac deorsum tristis ut Plato feror,
Misera, labore frustra lassis cruribus.

Et rursum in *Ancylione*:

Ignota nobis narras plane cursitans,
Platonis instar, nosces nam cape & nitrum.

Amphidi in *Amphicrate*:

S. Atqui bonum illud quod nancisci cogitas,
Te posse propter hanc, certe id minus scio.
Platonis illud quam bellum bonum o here,

H. ad-

H. *adverte ergo.*

Et in *Dexidemide*:

Aliud nil potes quam mœrere, mi Plato,
Et fronte semper corrugata, ut cochlea.

Cratino in *Pseudhypobolimaeo*

Homo es profecto, mentemque & sensus habes,
Juxta Platonem, vix scio, verum arbitror.

Alexidi in *Olympiodoro*:

Homo fuit quidem, mortale quod in me fuit,
Mortale quod non fuit, in auram evanuit.
Num hae Platonis ex schola?

Et in Parasito;

Aut cum Platone solitarium loqui.

Platoni quoque eiusque familiaribus quibusdam ab *Ephippo* in *naufrago* exprobratur, quod pecunia corrupti per calumniam multis obtrectent, sumtuoso vestitu superbiant, & soliciti magis de corporis sint ornatu, quam qui luxu diffluere soleant maxime. Athen. L. XI. p. 509.

CAP. XV.

Scripta ejus.

Dialogi formam Platonis scripta habent. Jam supra autem *de Dialogi* actum inventione, iam de natura eius atque indole.

Dialogus vero ex quaestionibus responsionibusque sive philosophicis sive politicis componitur, ingenium eorum qui loquentes introducuntur oratione emendata apte referens. Dialectica ars est disserendi, cuius ope, quaecunque res, de qua inter disputantes agitur, vel adstruatur vel destruatur.

Duo autem dialogorum Platonicorum genera habemus, vel *Hyphegetici* sunt enim, vel *Exegetici*; qui ita subdistinguuntur:

- Hyphegetici
  - Theoretici
    - Logici
    - Physici
  - Practici
    - Ethici
    - Politici
- Exegetici
  - Gymnasti-ci
    - Mæeutici
    - Physici
  - Agoni-ci
    - Endictici
    - Anatreptici

Non ignoramus alias Dialogorum obvias esse distinctiones, alii enim *Dramatici*, alii *Narrativi* sunt, *mixti* generis alii, verum tragoediae magis quam philosophiae id genus dialogorum idoneum est. Laert. III.

In Platonis autem Dialogis, habemus.

- Physicum: Timæum
- Logicos: *Politicum*, *Cratylum*, *Parmenidem*, *Sophistam*
- Ethicos: *Apologiam Socratis*, *Critonem*, *Phædonem*, *Phædrum*, *Symposium*, *Menexenum*, *Clitophontem*, *Epistolas*, *Philebum*, *Hipparchum*, *Rivales*
- Politicos: *De Republica*, *De Legibus*, *Minoem*, *Epinomidem*, *Atlanticum*
- Mæeuticos: *Alcibiadem*, *Theagem*, *Lysidem*, *Lachetem*
- Pirasticos: *Eutyphronem*, *Menonem*, *Ionem*

Char-

Endicticum { *Charmidem*, *Theatetum*, *Protagoram*, *Euthydemum* }

Anatrepticos { *Hippiam* 1., *Hippium* 2., *Gorgiam* 1., *Gorgiam* 2. }

Laert. II. 110. Cum vero magnus dissensus sit, sic pergit Laertius, utrum Plato dogmaticus sit, quod affirmatum aliis, aliis negatum; necessarium putem ut ea quoque de re aliquid addamus. Δογματίζειν h. e. *dogmaticum* esse, est doctrinam imponere, ut νομοθετεῖν *imponere legem*. Doctrina vero duplici sensu accipitur, vel pro eo quod decernitur, vel pro ipso decreto. Id quod decernitur *propositio* est, *decretum* impositionem importat. Plato igitur quæ vera putat exponit, quæ falsa credit confutat, judicium de dubiis suspendit. Quæ vera censet affirmantes inducit ex quatuor illis unum, vel *Socratem* nempe vel *Timæum*, hospitem item *Atheniensem*, & peregrinum *Eleatem*. Sunt autem duo illi peregrini non Plato & Parmenides, ut visum nonnullis, sed fictæ personæ sine nomine. Quæcunque autem *Socrates* & *Timæus* proferunt, dogmata sũt Platonis. Illi in quibus errorem revincit *Thrasymachus* sunt *Callicles*, *Polus*, *Gorgias*, *Protagoras*,

Laert. II. 110. *Hippias*, *Euthydemus* & similes.

In argumentando plerumque inductione utitur utriusque generis. Est autem inductio argumentandi genus, quo ex certo veris similis colligitur veritas, atque infertur. Sunt autem inductionis duo genera alterum quo e contrariis, alterum quo e consequentibus infertur. E contrariis, si is, qui interrogatur de omnibus contra seipsum respondeat. Exempli loco sit istud; *Cum tuo parente meus vel idem est vel non idem, sique adeo non idem sit meus pater cum tuo, cum sit alius a patre, parens meus non est*. Et istud; *Si homo creatura animata non sit, lapis erit, lignum, vel aliquid simile. Sed neque lignum est neque lapis, animam habet enim, & seipsum movet, animata igitur creatura est. Si animal est autem, animalque vel canis est vel bos, erit & homo animal & canis & bos*. Id vero genus inductionis ex contrariis non adstruendo, sed destruendo idoneum est. Inductio ex consequentibus gemina est rursum, una, quando singulare, quod quæritur, inducitur ex singulari; altera, quando ex particularibus universale infertur. Primum oratoribus, alterum Logicis magis est accommodatum. Prioris generis exemplum est; *si quæratur an Sempronius homicidii sit autor? idque probetur ex eo, quod illo ipso tempore sanguine cruentatus fuerit deprehensus*. Hæc Rhetorum est inductio, Rhetoricæ enim est singularia tractare, non universalia, neque enim in Iustitiam inquirit, sed de singularibus quibusdam ad eam pertinentibus. Dialecticum est alterum inductionis genus, quando ex singularibus universale inducitur, ut, *si de immortalitate animi quæratur, & an ex mortuis vivi existant?* hoc enim demonstratur a Platone in Phædone, ex principio universali, quod contraria ex contrariis existant. Id ipsum vero, generale cum sit, ex sin-

singularibus infertur, qualia sunt *quod ex somno vigilia, ex parvo magnum, & sic alia contraria ex contrariis sequantur.* Atque hoc genere inductionis utitur in opinionibus suis confirmandis.

Laert. III. 11. Est autem Thrasyllo affirmatum, *Tetralogias* Dialogorum, ut Tragici dramatum suorum, Platonem edidisse. Suntque genuini ejus Dialogi LVI, si in X dividas dialogos de Republica quæ scripsit. *Tetralogias* illi absolvunt IX, *Legibus* a *Libris de Republica* distinctis. Prima *Tetralogia* argumentum commune tractat, quæ vita sit philosopho conveniens, indicans. Quivis liber titulos habet duos, alterum a præcipua persona, alterum ab argumento quod tractat.

Tetralogia I.
- *Euthyphron, de pietate, Pirasticus.*
- *Socrates, Apologia, Ethicus.*
- *Crito, de eo quod agendum est, Ethicus.*
- *Phædo, de anima, Ethicus.*

II.
- *Cratylus, de rectitudine nominum, Logicus.*
- *Theætetus, de scientia, Pirasticus.*
- *Sophista, de eo quod est, Logicus.*
- *Politicus, de Regno, Logicus.*

Tetralogia III
- *Parmenides, de Ideis, Logicus.*
- *Philebus, de voluptate, Ethicus.*
- *Symposium, de bono, Ethicus.*
- *Phædrus, de amore, Ethicus.*

IV.
- *Alcibiades 1, de natura humana, Maeuticus.*
- *Alcibiades 2, de precatione, Maeuticus.*
- *Hipparchus, de lucri studio, Ethicus.*
- *Rivales, de philosophia, Ethicus.*

V.
- *Theages, de philosophia, Maeuticus.*
- *Charmides, de temperantia, Pirasticus.*
- *Laches, de fortitudine, Maeuticus.*
- *Lysis, de amicitia, Maeuticus.*

VI.
- *Euthydemus, contentiosus, Anatrepticus.*
- *Protagoras, Sophista, Endicticus.*
- *Gorgias, de Rhetorica, Anatrepticus.*
- *Menon, de Virtute, Pirasticus.*

VII.
- *Hippias 1, de honesto, Anatrepticus.*
- *Hippias 2, de mendacio, Anatrepticus.*
- *Ion, de Iliade, Pirasticus.*
- *Menexenus, Oratio funebris, Ethicus.*

VIII.
- *Clitophon, Exhortatio, Ethicus.*
- *Respublica, de justitia, Politicus.*
- *Timæus, de natura, Physicus.*
- *Critias, Atlanticus, Ethicus.*

IX.
- *Minos, de Lege, Politicus.*
- *Leges, de ferenda lege, Politicus.*
- *Epinomis, Nocturnus conventus vel Philosophus, Politicus.*
- *Epistolæ XIII*, quibus præmittebat τὸ εὖ διάγειν, earum ad Aristodemum scripta I, ad Archytam II, ad Dionysium IV, ad Hermiam, Erastum & Coriscum I, ad Leodamanta I, ad Dionem I, ad Dionis familiares II, atque ita Thrasyllus.

Alii, in quibus est Aristophanes Grammaticus, ad trilogias dialogos ejus reducunt, collocantes in earum

I. *Rempublicam. Timæum. Critiam.*

II. *Sophistam. Politicum. Cratylum.*

III. *Leges. Minoem.*

Epino-

IV. { *Epinomidem.* *Theatetum.* *Euthyphronem.* *Apologiam.*

V. { *Critonem.* *Phædonem.* *Epistolas.*

Ceteros dialogos singulos & sine ordine ponentes.

Laert. I II. 62. Sunt qui, ut indicatum nobis, ab *Alcibiade majore* ducant initium, sunt alii qui a *Theage*, alii item qui ab *Euthryphrone*, porro qui a *Clitiphonte* vel *Timæo*, sunt qui a *Phædro* exordiantur, quem primum esse ajunt ab eo litteris mandatum, quod ipsum etiam argumentum confirmat, juvenile quid sapiens: quæ causa etiam est, quod Dicæarchus levem nimis eam scriptionem judicet, cui Cicero suffragatur, amori nimiam autoritatem eum tribuere, existimans. Sunt denique qui *Theatetum*, sunt alii qui *Apologiam* ceteris præmittant. Tusc. Quæst. IV. 34.

Suiipsius nullam in omnibus scriptis suis mentionem iniecit, nisi quod in *Phædone* semel, rursumque in *Socratis Apologia* id faciat. *Phædonem* cum recitaret surgentes omnes, uno Aristotele excepto, abiere. Quanta vis sit ejus Dialogi, quo animos demonstrat esse immortales, Cleombroti Ambraciotæ docet exemplum, a quo, simul ac lectus ille fuisset, tantum mortalis vitæ hujus conceptum est tædium, ut ex muro præcelso in mare præcipitem se dederit. Ut paret ex illo Callimachi in eum; Cic. Tusc. Q. I. 34.

Phœbe vale, dicens, de rupe Cleombrotus alta
Ambraciota Stygis, vivus adivit aquas.
Funere nil dignum passus: solumque Platonis
De vita mentis perpete legit opus.

Dialogi, quos omnes pro spuriis habent, ut de Epinomide jam nihil dicam, quem, ut cap. præc. notatum, Opuntio Philippo adscribunt nonnulli, † sunt sequentes: *Midon* sive *Hippostrophus*, *Eryxias* sive *Erasistratus*, * *Alcyon*, *Acephali S. Sisyphi*, *Axiochus*, *Phæaces*, *Demodocus*, *Chelidon*, *Septima*, †† *Epimenides*. Ex his *Alcyon* Leoni adscribitur a Phavorino, (& Nicia Nicæensi, soletque hodie inter Luciani opera excudi ** Ὅροι h. e. *Definitiones*, a Laertio prætermissæ, Platoni tribuuntur ab Ammonio, in καὶ ἄλλοι, quos Latine a se versos Marsilius Ficinus edidit, *Speusippi* nomine. Sane ex Platone illæ definitiones videntur esse collectæ, quamvis Speusippi ὅροι Laertius etiam commemoret. Platonis esse non dubitat Isaacus Casaubonus, in observationibus ad Theophrasti characteres. Præterea cum Platonis scriptis edi solent Dialogus *de virtute* seu doctrinalis, qui Æschini tribuitur apud Suidam, nec non Dialogus *de justo*. Ejus nomine quoque Dialogus de *vacca* supposititius citatur a Thoma Bradvvardino (*a*), & *institutionum libri* a Magis circumferuntur, a Pico Mirandulano (*b*) jampridem explosi.) A. Gell. L. XI. c. 2. Laert. IV. 5.

Ideam sermonis ejus inter poema & prosam mediam esse, observatum Aristoteli. Nominibus usus est variis, * ut non facile sit indoctis scripta

a de causa Dei c. Pelagium
b L. I. adv. Astrol. p. 284 ap. Laert III. 37. Id. III 63.
* Hinc nata Lexica Platonica de quibus vid. Menag. ad Laert. III. 63. & cl. Fabricium Biblioth. Gr. L. III.

† *Phædonem* quoque sunt qui Panætio Stoico [illegible] v. Anthologiam L. I. tit εἰς λόγους κοινῶν. Alcibiades Xenophonti a quibusdam tribuitur V. Muret. Or. VI.

* *Eryxiam* & *Erasistratum* distinguit, Æschinique pariter ac *Axiochum* tribuit Suid.

†† Nempe cum esse qui Platoni adscriptus commemoratur Laertio, visum Mureto Orat. IV & Fabro ad Phædri fabulas p. 10.

** Non duos Dialogos *Chelidonem* & *Septimam* sed conjungendas illas voces esse suadet ad Laertium H. Stephanus.

pta ejus intelligere. *Sapientiam* proprie rerum intellectualium esse putavit; *Scientiam* eorum, quæ vere sunt, circa Deum animamque a corpore separatam versantem. *Philosophiam* proprie *sapientiam* vocat, appetitio quæ sit ac desiderium divinæ sapientiæ. Communi vero sensu apud ipsum *sapientia* omnis dicitur peritia, & *sapientes* omnes artifices. Eadem sæpe nomina diverso ponit usu. Voce φαῦλος, quæ proprie *malum* notat, pro *simplici*, utitur, quod & Euripides fecit in Lycimnio de Hercule, quem vocat.

φαῦλον, ἄκομψον, τὰ μέγιστ' ἀγαθόν.

Neglectum, inornatum, atque ut plurimum probum,

Pro eo, quod *non inhonestum est* etiam, itemque pro *exiguo* eadem voce utitur. Diversa quoque nomina ad significandam rem eandem adhibuit. *Idea* ipsi & *genus* & *speciem* notabat. *Exemplar* & *principium* ei erat & *causa*. Contrariis sæpe etiam expressionibus rem significavit eandem. Nam *sensibile* & *quod est* & *quod non est*, dicit. *Quod est*, eo, quod factum sit revera: *quod non est*, ob continuam mutationem. *Ideam* appellat, quod neque movetur, neque manet. *Idem* & *unum* & *multa*. Similibusque passim in aliis uti observatur.

Methodus in differendo tribus absolvitur. Primo declarat, quid sit eorum quidvis, de quo dicitur: Deinde, cujus rei causa dicatur, an tanquam ad rem primario spectans, an quod simile sit, an ad sententiam defendendam an adversam impugnandam? Tertio, quod recte dictum sit, demonstrat.

Laert. III, 65.

Notæ libris ejus vulgo istæ appinguntur:

× Platonicas voces & figuras notat

※ διπλῆ, doctrinas & opiniones significat Platoni proprias.

·×· περιεστιγμένον expressiones selectas.

>· διπλῆ περιεστιγμένη emendationes.

÷ ὀβελὸς περιεστιγμένος res superfluas.

Ↄ· Ἀντίσιγμα περιεστιγμένον significatum & usum duplicem.

↓ Κεραύνιον, philosophicam institutionem.

✱ ἀστερίσκος sententiarum concordiam.

— ὀβελὸς Improbationem. Hucusque Laertius.

Duæ autem Platonis, præter eas, quæ inter opera ejus sunt editæ, prostant *epistolæ*, altera apud Laertium est in vita Archytæ.

PLATO ARCHYTÆ εὖ πράττειν.

VIII, 80. Commentarios, a te allatos magna voluptate accepimus, multum autorem admirati, dignum profecto majoribus suis, antiquis illis & optimis viris. Feruntur nempe isti Myræi fuisse, ortum ducentes ex illis Trojanorum, qui Laomedontis tempore exilio mulctati fuere, optimis viris, ut a majoribus accepimus. Mei, de quibus scribis, commentarii limam nondum subiere. Quo tamen non obstante quales habeo tibi mitto. De iis vero in publicum non emittendis consentire nos puto, ut meis monitis nihil sit opus. Vale.

Alia extat a Leone Allatio inter Socraticorum epistolas publicata:

Nihil eorum, ut Syracusas mitterem, ad manus fuit, quæ per te Archytas sibi curari volebat, mittam tamen quamprimum id fieri poterit. Philosophia aversionis, an probandæ an improbandæ non satis scio,

scio,& conversationis cum pluribus mihi causa extitit: non immerito, ut puto, quoniam omni stultitiæ genere distrahuntur, sive puplica sive privata obeant negotia. Si immerito tamen, vix ut aliter vivam in mea potestate positum scias. Hæc causa est, cur ex urbe, tanquam ex sævissimarū bestiarum spelunca, me proripuerim, domicilio non longe ab Ephestiadibus & in vicinis hisce locis posito. Timonem non homines odisse, sed bestias amare haut potuisse, nūc demum animadverto, quæ causa fuit, ut solus degeret, non sine periculo tamen, ut verosimile est. Hæc ut visum fuerit, accipies, meo animo sedet sententia vivere longe ab urbe remotum, & nunç & deinceps, quamdiu hanc vitam Deus me vivere iusserit.

(His addi possunt Epistolæ Platonis nomine in codicibus quibusdam MSS. editæ, ex quibus primus eas protulit in dissertatione de scriptis Socratis, Leoni Allatio opposita Gottfridus Olearius, eas hoc loco exhibere visum est:

I.

Κρήνης (a), ᾧ δέδωκα τὴν ἐπιστολὴν, ἔστι μὲν δῆλος ϗ σοὶ φίλος, ἐπειδὲ ϗ ἀρχὴ τῆς γνώσεως ἀφ᾽ ἡμῶν γέγονε, καλῶς ἔχειν οἶμαι, ϗ νῦν ὥσπερ ἑτέραν ἀρχὴν ποιȣμένον τῆς συστάσεως, παρακαλέσαι πρὸς τὴν ἐπιμέλειαν αὐτȣ̃. τυγχάνει γὰρ βȣλόμενος στρατεύεσθαι. πράττων τὶ τῶν κατ᾽ ἀξίαν αὐτȣ̃. σχεδὸν δὲ βραχὺς ὁ μετὰ ταῦτα λόγος. ȣ̓́τε γὰρ ἡμᾶς ἀγνοεῖς, ὡς ἔχομεν πρὸς Παράμονον ϗ (b) Κρήνην ȣ̓́τε (c) τὸν νεανίσκον ὅτι σώφρων ϗ μέτριος ϗ εἰς πᾶσαν ὁμιλίαν ὡς εἰπεῖν ϗ χρείαν ἀσφαλής. Δεῖν γὰρ φασὶ τεκμαίρεσθαι τὰ μέλλοντα τοῖς γεγονόσι, ϗ μάλιστα τῇ ἰδίᾳ φύσει ϗ προαιρέσει. Τȣ̃τον δὲ πάντες ὁμολογȣ̃μεν ὡς ἐπαινȣ̃σιν. ὡς ȣ̓̃ν τοιȣ́τȣ (d) ϗ τοιȣ́τȣ ϗ ἡμετέρȣ ϗ σȣ̃ φίλȣ, πειρῶ τὴν ἐνδεχομένην περὶ αὐτȣ̃ ποιεῖσθαι σπȣδὴν, ἄξιοι γὰρ οἱ τοιȣ̃τοι χάριτος.

[illegible margin notes]

Crenum, cui litteras dedi, tibi quidem etiam charum esse manifestum est; quoniam tamen ego familiaritati illi dedi initium, æquum esse existimavi, ut aliud quasi commendationi auspicium faciens, te, ut curam illius haberes, hortarer. Militiam enim sequi cupit, faciens hoc ipso aliquid se non indignum. Post hæc vero pauca admodum verba nobis facienda restant. Non enim ignoras, qua mente in Paramonum & Crenum simus. Et in juvenem quidem, quod modestus sit & temperans, & ad omnem omnino conversationem & usum idoneus. Dicunt autem de futuris ex præteritis esse coniiciendum, maxime vero ex indole cuique propria, & animi habitu. De hoc vero, quod omnes laudibus eum prosequantur, testamur. Cum itaque talis sit, noster præterea, & tuus etiam amicus, omne quod poteris studium in eo (quæso) experiaris, digni enim tales sunt favore.

II.

Πολλάκις ἀναγγέλλοντος Ἀθηνοδώρȣ τὴν ὑμετέραν προαίρεσιν, ἐδοκίμαζον γράψας πρὸς ὑμᾶς ἀσπάσασθαί τε ϗ προσαγορεῦσαι. Καὶ διὰ τὴν πρὸς ἐμὲ συνήθειαν, ἧς φαίνεσθε μνημονεύειν, ϗ διότι περὶ Διονύσιον ὅμοιοι διαμένετε ταῖς εὐνοίαις. Ἥδȣς γὰρ κρίσιν ἀκριβεστέραν ȣ̓δεμίαν ἡγȣ̃μαι τῆς ἐν φιλίᾳ βεβαιότητος, ἧς ὑμᾶς αἰσθάνομαι

Cum sępe mihi narret Athenodorus de animi vestri habitu, visum fuit litteris vos compellare, atque salutem vobis dicere: tum propter consuetudinem, quam mecum habuistis, & cuius adhuc quoque memores esse videmini, tum quod eandem semper in Dionysium servetis

beno-

καὶ παρὰ τὴν ἡλικίαν ἐπιμελουμένους. Ὥστ' οὖν καὶ διὰ ταῦτα, καὶ διὰ τὴν ἄλλην ἐπιείκειαν ὑμῶν, ἣν ἐγὼ πυνθάνομαι πολὺ μᾶλλον νῦν ἢ πρῴην ἀπερχομένου μου, σειρᾶσθαι καὶ τὸν ὑπόλοιπον χρόνον εἶναι τοιούτους, νομίζοντες ἐλευθεριωτάτην ἐπικαρπίαν εἶναι τῆς τοιαύτης διαθέσεως, τὴν παρὰ τῶν εὖ ζώντων εὐφημίαν.

beneuolentiam. Vix enim accuratius mores cujusquam diiudicari posse existimo, quam ex amicitiæ constantiâ, in cujus cura ætatem etiam vos superare sentio. Ita quidem ut tum istis, tum reliqua vestra animi moderatione, de qua audio, moti, nunc magis etiam, quam antea, cum a vobis discederem, eo enitamini, ut in posterum quoque tales vos præbeatis. Optimum (scilicet) huius (animi vestri) dispositionis fructum existimantes, bonam apud eos, qui rectum vitæ institutum sequuntur, famam.

Præter duas istas Platonis epistolas duæ aliæ in eodem Codice extabant, quas ab ALLATIO in sua Socraticarum epistolarum collectione iam exhibitas fuisse deprehendimus, cum tamen ab hoc Antistheni, cui rectius etiam conveniunt, non Platoni, tribuantur, & ambæ præterea in unam contrahantur, quin etiam lectionem aliam vice plus una ALLATIUS sequatur, eas nihilominus, breves quippe admodum, ita, ut ab Oleario editæ sunt, exhibere placuit.

III.

a Allat. φιλοσοφεῖ.
b ἀνθρώπου inserit A.
c καὶ τῶν αὐταρκῶν ἐφίεσθαι A.
d οὕτω πορίζομενα καλά. A.
e συμβουλεύσω σοι ἂν

Οὐκ ἔστι τοῦτο φιλοσοφεῖν (a) τὸ παρὰ τυράννοις (b) εἶναι, καὶ Σικελικαῖς προσανέχειν τραπέζαις. ἀλλὰ μᾶλλον τὸ ἐν ἰδίᾳ, καὶ τὸ αὐταρκές τε (c). Σὺ δ' οἴει ταύτην εἶναι πλεονεξίαν τοῦ σπουδαίου τὸ δύνασθαι κτᾶσθαι χρήματα μὲν πολλά, τοὺς δὲ δυνατωτάτους ἔχειν φίλους. οὔτε γὰρ τὰ χρήματα ἀναγκαῖά ἐστιν, οὔτ', εἰ ἀναγκαῖα ἦν, οὕτως πορίζεσθαι καλόν (d), οὔτε φίλοι ἂν γένοιντο οἱ πολλοί, ἀμαθεῖς ὄντες καὶ ταῦτα τύραννοι. ὥστε σοι συμβούλεσθαι μὴ ἂν (e) ἀπιέναι Συρακουσῶν τε καὶ Σικελίας, εἰδὼς ὡς* φασίν τινες ἡδονήν σε θαυμάζειν, καὶ ὅτι λέγεις ταύτης ἀντέχεσθαι τοὺς φρονίμους ἀνθρώπους.

Non est hoc philosophiæ operam navare, si apud tyrannum vivas & Siculis mensis assideas. Sed potius, si tibi vivas & contentus sis. Tu vero eam viri boni excellentiam esse existimas, si ingentes opes possideat, & amicis utatur potentibus. Neque vero opes necessariæ sunt, neq; si sint eas ita acquirere decet. Neque etiam in amicorum censum veniat multitudo illiteratorum, quive tyranni sint insuper. Quamobrem ego tibi autor sim, ut Syracusas & Siciliam relinquas, utpote, qui sciam iam esse aliquos, qui voluptate te capi dicant, quodve admittant eam viri sapientes, statuere.

IV.

f πολὺ κρεῖσσον.
g παύει. A.
h ἀπὸ πόνων A. ἰσ...

Ἄπιθι εἰς Ἀντίκυραν καὶ ὠφελήσει σε ὁ ἐλλέβορος ποθεὶς πολύς. Κρείττων (f) γὰρ οὗτός ἐστι τοῦ παρὰ Διονυσίου οἴνου. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ποιεῖ μανίαν πολλοῖς, (g) οὗτος δὲ παύει. (h) Ὁπόσον οὖν ὑγεία τε καὶ φρόνησις νόσου τε καὶ ἀφροσύνης διαφέρει, ἐπὶ τοσοῦτον καὶ σὺ διενέγκαις ἂν πρὸς τὰ νῦν σοι ὄντα. ἔνι σοι (.)

Anticyram abeas, ibi enim plurimũ haustus elleborus te sanabit. Pręstat enim hic vino Dionysii Hoc enim multos ad insaniam adigit, ille vero eam sistit. Quãtum igitur bona valetudo & sana mens a morbo & insania di-

* Ultima hæc, verba ita exhibet Allatius. εἰδὼς φασί τινες ἡδονήν θαυμάζεις, καὶ ταύτης ἀντέχεσθαι μὴ προσήκει τοὺς φρονίμους ἀνθρώπους. Quæ si vera est lectio, omnino cum sequenti epistola erit conjungenda. Sed non æque necessarium illud est, si nostra vera est lectio. Quæ autem alteri sit præferenda, Lectorum esto judicium.

distat, tantum etiam tua præsenti tua distabis conditione. Recte sapias.

a Laert. III, 5. b Ælian. V. H. II. 30. Vit. Solonis sub fin. p. 96.

Versu etiam scripsit: *Dithyrambica* scilicet, *melica* item, (*a*) & *Heroica* (*b*), & *tragœdias* quatuor, quas igne ut supra dictum, cremavit. Historiam item Atlanticam, de qua ita Plutarchus: *Sermonem Atlanticum* Solon exorsus est, acceptum a Saiticis sacerdotibus, Atheniensibus accommodatissimum, senecta tamen & operis prolixitate deterritus, iam cœptum omisit. Idem argumentum Plato, tanquam fertilem agrum, sed incultum, hereditario sibi iure relictum, occupavit. Hunc ipse expolivit, septis, murisque, partibusque, & ambulacris instruxit, qualibus nulla antea fabula, nullumue poema, exornatum fuisset. At & ille, admota serius operi manu, morte est præventus. Quo magis vero aliquod scriptum animum oblectat, eo acerbius ferimus, si iacturam partis alicuius ipsius faciamus. Nempe, ut Athenæ solum Iovis templum, ita Platonis sapientia inter tot alia præclarissima scripta, solam Atlanticam Historiam imperfectam reliquit.

Epigrammata denique composuit ex quibus sequentia a Laertio (Athenæo, Gellio) & in Anthologia conservata habemus.

a Laert. III. 29. Anthol. l. III. c. VI Ep. 27, translatio est Apuleii in Apol. l. r. 95. b Iidem vertit & Ausonius quem vide.

In quendam cui nomen Asteris. (*a*)

Astra vides: utinam fiam, mi Sidus
 Olympus,
Vt multis sic te luminibus videam.

In eiusdem obitum: (*b*)

Lucifer ante meus rutilans Morta-
 libus Aster,
Hesperus a fato manibus ecce nites.

c Laert. l. c. Anthol. III, 33. 26.

Epitaphium Dionis sepulchro eius Syracusis inscriptum. (*c*)

Et lacrymas Hecatæ, & Troianis fa-
 ta puellis,
Decrevere recens ex genitrice fatis.
At tibi post partos præclaro Marte
 triumphos.
Spes ampla effusa est Dæmone,
 clare Dion.
Civibus ingenti in patria laudate
 iaces nunc,
Qui insanum me animi reddit
 amore Dion. (*d*)

d Postremum distichon vertit Apulei l. c.

In Alexidem. (*e*)

Dixerit hic tantum, cum nil nisi
 pulcher Alexis
Extitit, & vertunt quilibet in te
 oculos.
Cur, anime, os canibus monstras,
 angisque dolore
Post modo? non Phædro sic
 prius excidimus.

e Laert. l. c. Anthol. III, 33. 44. Apulei. l. c.

In Archæanassam. (*f*)

Archæanassa mihi est meretrix Co-
 lophonia, cuius
Insidet in rugis heu malesanus amor.
Quas miseri flammas, incendia
 quanta tulistis,
Queis flore ætatis primo adama-
 ta fuit!

f Laert. III. 30. Athen. XIII. 6. in Anthologia tribuitur Asclepiadi.

In Agathonem. (*g*)

En basians Agathona animum se
 infundere labris
Sensi, ægrota enim, tanquam
 abitura venit.

g Laert. l. c.

In Xanthippen. (*h*)

Malo ego te ferio: tu me si dili-
 gis illud.
Suscipe: meq; tua virginitate bees.
Id fieri si posse neges, hoc suscipe
 malum,
Quam parvo & pereat tempore
 forma vide.

h Laert. III, 32. Anthol. L. VII. p. m. 631.

Aliud: (*i*)

Malum ego, me tibi mittit amans,
 quæso annue tandem,
Xanthippe tua mox, mox mea
 forma perit.

i coniungit cum priore post Laertium Stanleius: tanquam diversum tamen exhibetur. & Philodemo tribuitur Anthol. L. VII. p. 609. duo esse Epigrammata Menagius quoque statuit ad Laert. l. c.

In Eretrienses a Persis captos: (*a*)

Eubœæ fuimus Eretrum genus: at
 prope Susa

a Laert. l. c. de Eretriensium vero fatis vid Herodotum L. i. c. 101. & 19. Platon. L. lib. de rep.

Con-

Condimur, heu nostra tam procul a patria.

Venus & Musa. (b)

b Laert. l. c.

Hæc Venus ad Musas: Venerem colitote puellæ:
In vos cum armis aut amor insiliet.
Cui contra Musæ: lususque jocique facessant!
Aliger huc ad nos non volat ille puer.

Fortuna voces. (c)

c Laert. l. el Antholog. paulo aliter quam Laertius exhibet hoc Platonis Epigr. Statilio vero Flacco tribul. id quod Platonis nomine exhibet Laertius. Versionem hic exhibeo Ausonii alteram, nam binam ille dedit.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
Thesaurique loco deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit laqueum.

In Sappho. (d)

d Anthol. I 67. 13.

Deficiunt Musas soliti numerare novenas,
Nam decima in numerum Lesbia Sappho venit.

In tempus. (e)

e Anthol. I, 90. I.

Omnia fert ætas, mutat tandem omnia tempus;
Et formam, & nomen, fataque & ingenium.

In mortem. (f)

f Anthol. III, 22. 3.

Naucleri hic tumulum cernis: verum iste coloni est.
Per mare per terras orcus ubique patet.

In naufragum. (g)

g Anthol. III, 22. 4.

Naufragus ut perii, pelagus, quod lumina ademit:
Me veste est veritum dispoliare ramen.
Non verita ast hominis manus improba tollere vestem,
Grande nefas parvo est ausa patrare lucro.
Ista opto indutus secedat ad infera tandem.
Vestemque hunc Minos cernat habere meam.

Aliud.

Anthol. III, 22. 7.

Ingressure navem salve terraque marique.
Naufragus at isto est qui jacet in tumulo.

In veneris statuam.

Anthol. IV. 12. 8.

Per medios fluctus Cnidias Venus ivit ad oras,
Heic nempe ut statuam viseret ipsa suam.
Sublimique loco spectans totam undique, dixit,
Praxiteli nudam mene videre datum est?
Noxia Praxiteles non fecit lumina, ferrum
Effinxit qualem *Mars* cupiat Paphiam.

Aliud.

Anthol. IV. 12. 8.

Non te Praxiteles ferrumque ignobile finxit,
Stas qualis steteras judicio Paridis.

In Cupidinem dormientem in luco.

Anthol. IV, 12 56.

Umbrosum ingressis lucum sese obtulit intus
Purpureis certans pomis, spes grata Cytheræ.
Non arcu metuendus erat plenaque pharetra,
Quæ densæ frondis ramo suspenderat arbor.
Ipse rosas pressit, somnusque oppresserat ipsum.
Os suaviter risu diductum examina complent,
Fictis atque favis labris incedere gaudent.

In Panem tibias inflantem.

Anthol. IV, 12. 76.

Conticeant rupes duræ, petrisque labentes
Ponticuli, pecudis voxque balantis eat.

Pan Deus en facili suaviter modulatur avena,
Labraque conjunctis tentat arundinibus.
Circa ipsum in numerum pulchræ tenero pede ludunt
Fontanæ Nymphæ, Nymphæ & Hamadryades.

Anthol. IV, 12. 62.

In statuam Satyri ad fontem & Cupidinis dormientis.

En Bromii Satyrum manus hic tibi Dædala finxit,
Ut spiret, lapidi quæ dedit arte sua.
Nympharum famulum jamjam: Qui fundere vinum
Purpureum solitus, nunc tibi fundit aquas.
Tu placidos heic pone pedes, ne forte puellum
Turbes, ne somno excidat ille suo.

Anthol. IV, 12. 93.

In eundem.

Cornuti famulus Bacchi, charusque minister,
Heic cogor latices fundere Naiadum.
Atque simul puerum somni hicce quiete sepultum
Ut foveam officii iam reor esse mei.

Anthol. IV, 12. 91.

In argenteam Satyri dormientis statuam.

Non finxit Satyrum Diodorus: at ille sopivit,
Argentum, noli pungere, somnus habet.

Anthol. IV. 12. 6.

In gemmam.

Quinque boves parvo complecti Jaspida cernis
In spatio, pastos vivere quisque putet.
Et buculæ fugerent petulantes forte, sed ecce
Quo minus hoc possint aurea pala facit.

DOCTRINÆ PLATONIS LINEAMENTA.

AUTORE ALCINOO.

CAP. I.

Quid sit Philosophia, & qualem a natura esse oporteat philosophum.

Ea, quæ Platoni proprie attribuuntur decreta atque opiniones, ita tradi posse videntur. Philosophia est appetitio sapientiæ: vel, solutio animæ a corpore, & conuersio quædam ad ea, quę revera sunt & intellectu videntur. Sapientia autem divinarum humanarumque rerum est scientia. Philosophus autem est, qui a philosophia denominatus est, quemadmodum a musica musicus. Hunc porro, ab ipsa ita comparatum esse oportet natura, ut ad eas maxime idoneus sit disciplinas, quæ ad cognitionem ejus quæ intellectu percipitur essentiæ, non autem ejus quæ oberrat ac fluxa est, aptum reddere eum ac deducere possint. Deinde ut natura veritatis amans sit, nullo autem modo recipiat mendacium. Sed & temperantem quodammodo nasci oportet, easque animæ partes, quæ affectibus efferri solent, contractas a natura habere. Quisquis

quis enim semel eas amplexus disciplinas fuerit, quæ in consideratione eorum versantur, quæ revera existunt, totumque eo appetitum convertit, nunquam voluptates corporis admiraturus est. Oportet præterea liberali animo philosophum esse. Etenim rerum vilium æstimatio ac cura, homini veritatem rerum contemplaturo maxime adversa est. Ita pręterea natura factum, ut justitiam diligat, si quidem & ad veritatem, temperantiam & liberalitatem. Adde quod docilem, & lenta præditum memoria oportet esse. Nam & hæc philosophum informant. Quæ quidem naturæ commoditates, si disciplina atque educatio, quæ oportet accedat, perfectum ad virtutem efficiunt: si contra negligantur, maximorum causæ sunt malorum. Atque has quidem Plato eodem cum virtutibus nomine temperantiam, fortitudinem & justitiam, appellare solet.

CAP. II.

Primarium esse contemplationem, actionem vero necessarium & consequens.

CUm vero duplex sit vita, altera quæ in contemplatione, quæ in actione versatur altera, præcipuum, in veritatis cognitione contemplativæ munus consistit, sicut activæ in actione eorum quæ dictat ratio. Quare primaria contemplativa vita est: secundo post hanc loco, & quasi necessaria, activa. Id ita se habere, ex his facile probari poterit. Contemplatio est functio intellectus, ea quæ intelligibilia sunt intelligentis: actio vero, operatio animę rationalis, quę ministerio corporis perficitur. Animus namque cum divinitatem ipsam ejusque notiones contemplatur, quam optime affici dicitur. Atque hæc ejus affectio, sapientia nuncupata est: quam quidem nihil aliud, quam similitudinem cum divinitate ipsa recte appellaveris. Quamobrem primaria hæc ac præcipua habenda est; sicut maxime expetenda, hominique est propria, utpote cui nulla obsistant impedimenta, quo minus in nostra potestate consistat, & quæ finis nobis propositi efficiens sit causa. Activa autem vita & id quod ad agendum confert, cum corporis ministerio plurimum utantur, impediuntur sæpe numero. Quare quæ in contemplativa vita ad emendandos hominum meditari mores solet, ad actionem, quoties ita postulat necessitas, transferet philosophus. Tunc demum ad civilem ergo administrationem se conferet vir bonus, cum male a cæteris eam hominibus geri senserit. Inter secundaria autem habebit, ducere exercitum, judicia exercere, legationes obire. Inter præcipua vero quæ actio requirit & primaria, leges condere, Rempub. ordinare, seditiones componere, instituendæ disciplinam juventutis tradere. Quapropter oportet philosophum nunquam veritatis indagandæ studium omittere, sed fovere eam & promovere semper: ad activam autem vitam, tanquam quæ subservit priori, nonnunquam se dimittere.

CAP. III.

Philosophum versari in tribus, secundum Platonem, in contemplatione rerum, in actione, & in artificio disserendi.

STudium certe philosophi in tribus potissimum ex Platonis ver-

sari videtur sententia: in contemplatione & cognitione eorum quæ sunt: in virtutum actione: & in sermonis consideratione. Diciturque eorum quæ sunt cognitio, contemplativa; eorum quæ ad actionem pertinent, activa: disserendi cura, Dialectica. Quæ quidem, in dividendi, definiendi, inducendi, ac ratiocinadi modum dividitur. Postrema rursus in Apodicticam, quæ circa ratiocinationem necessariam versatur; & in Epichirematicam, quæ circa probabilem; & in Rhetoricam, quæ circa enthymema, quæ ratiocinatio imperfecta vocatur: ac denique in Sophismata. Quam tamen non ut necessariam colet philosophus. Ejus quæ in agendo versatur philosophiæ, pars prima in formatione morum, altera in familiæ administratione, postrema in Reipub. versatus conservatione. Et prima quidem moralis, secunda domestica, tertia civilis dicitur. In contemplativa rursus, pars una ea quæ fixa ac immota sunt, & quæ divina sunt, primasque rerum causas investigat, quam Theologiam vocamus: altera astrorum circuitusque cœlestium ac reversiones corporum ad unum idemque principium, mundique constitutionem: quæ naturalis scientia dicitur. Quæ vero per Geometriam, reliquasque, quæ mathemata vocantur, investigamus disciplinas; Mathematica nuncupatur. Eo ergo modo cum dividatur in suas & distinguatur Philosophia species: de Dialectica primum consideratione ex opinione Platonis dicendum erit, & primo quidem de ipso judicandi instrumento.

CAP. IV.

DIALECTICA.

De judiciario & viribus animæ pertinentibus ad judicium.

QUoniam est quiddam quod judicat, quiddam quod judicatur, necesse est aliquid etiam ex utrisque fieri, quod quidem judicationem vocare possumus. Itaque ipsam judicationem κριτήριον non inepte quis appellaverit: communis autem, id quod judicat. Hoc autem duplex videtur esse. Unum a quo, alterum per quod judicatur id quod judicatur. Quorum illud intellectus est, qui in nobis, hoc autem quo judicatur, instrumentum naturale ad judicandum accommodatum; primario quidem vera, secundo tamen & falsa. Neque hoc aliud quicquam est, quam ratio naturalis. Quod si liquidius etiam explicare velimus, eorum quæ esse dicuntur, judex appellari poterit philosophus, a quo res ipsæ dijudicantur: Judex item ratio, per quam verum etiam judicatur: quod modo instrumentum appellari diximus. Jam vero duplex est ratio: Una penitus inexpugnabilis ac vera: altera pro rerum cognitione nunquam fallens. Prior in Dei potestate est, in hominis nequaquam. Secunda & in hominis. Sed & hæc duplex est. Una ad intellectus, altera ad sensuum spectat objecta. Et prior quidem, scientia, & quæ scientiam gignit ratio est, altera vero opinio. Et illa certitudinem quidem ac stabilitatem habet, quippe cum circa certa ac stabilia versetur principia: hæc veri similitudinem & opinionem, utpote quæ circa mutationi obnoxia,

Scien-

Scientiæ vero circa intelligibilia, & opiniones circa sensibilia, intellectio ac sensus principia sunt. Sensus autem affectio est animę per corpus, primario facultatis perpessæ internuntia. Quando autem animo per instrumenta sensuum, rerum forma sentiendo fuerit impressa, & ita quidem, ut temporis non deleatur spatio, sed diuturna conservetur ac firma; hujus conservatio, memoria nuncupatur. Memoriæ autem sensusque conjunctio, est opinio. Quoties enim aliquid, quod primo sensus movere potest, nobis occurrit, ab eoque sensus in nobis efficitur, & a sensu memoria, ac deinde rursus idem sensibus nostris obiicitur, memoriam præcedentem cum sequente sensu componimus, & in nobis ipsis jam dicimus, Socrates, equus, ignis, cæteraque hujusmodi. Atque hæc opinio nuncupatur, quoties præcedentem memoriam cum recente sensu componimus. Quoties autem inter se conveniunt ea ac congruunt, opinio vera existit: si dissonant, opinio falsa. Nam si quis dum Socratis memoriam habet, in Platonem ipsum incidat, putetque se ob quandam similitudinem, Socrati rursus occurrere, ac postea acceptum a Platone sensum, quasi a Socrate acceperit, cum Socratis quam servavit memoria componat, falsa nascitur opinio. Id autem in quo sensus atque memoria fiunt, cum cerea tabula Plato comparat. Cum vero ea quæ per memoriam sensumque opinione sunt concepta, anima cogitatione refingens, ad ea respicit, tanquam illa a quibus ista manarunt, picturam quandam ac imaginationem interdum Plato nominat. Cogitatio nem vero, animæ quasi secum agentis colloquium. Sermonem autem, quod a cogitatione per os una effluit cum voce. Intellectio vero est operatio intellectus, prima intelligibilia contemplantis. Quæ duplex videtur esse: Una animæ, quæ priusquam descendat in corpus, sua tum intelligibilia contuetur: Altera ejusdem, postquam in hoc demersa est corpus. Quarum prior, quæ ante demersum in corpore fuit animum, hoc ipsum proprie vocabatur Intellectio: altera vero, cum jam in corpore versatur, sicut prius intellectio, ita tum naturalis dicitur notitia: cum nihil aliud sit, quam intellectio quædam in subiecta jam corpori anima. Quoties ergo intellectionem rationis ad gignendam scientiam accommodatæ dicimus principium, non eam, de qua nunc loquimur, intelligi volumus, sed eam potius, quæ separato adhuc a corpore erat animo: quæ quidem, ut diximus, tunc intellectio, nunc naturalis dicitur notitia. Atque hanc ipsam Plato, cum scientiam simplicem, tum animæ alam, nonnunquam vero & recordationem nominat. Ex iis denique simplicibus scientiis naturalis scientiæque effectrix constat ratio, quæ nobiscum nascitur. Cum itaque sit duplex, & quæ scientiam & quæ opinionem gignit ratio; intellectio item & sensus: necesse est & iis obiecta quædam subiici; intelligibilia videlicet & sensibilia. Et quoniam intelligibilium quædam prima sunt, ut ideæ: quædam secunda, ut quæ in materia sunt, species, & ab illa se-

la separari nequeunt: intellectio quoque duplex erit, primorum una, altera secundorum. Rursusque quoniam in ipsis etiam sensibilibus quędam prima sunt, ceu qualitates, ut color, albedo: alia secundum accidens, ut album, coloratum; & quod concretum est, ut ignis, mel: eodem quoque modo sensus primus primorum erit, secundus secundorum. Prima intelligibilia intellectio judicat, non sine ratione ea, quam scientiam gignere diximus, per comprehensionē quandam sine discursu. Secunda vero eadem effectrix scientię ratio, non sine intellectione. Sensibilia autem ea, quæ prima sunt & secunda, sensus judicat, non sine ea ratione tamen quæ cum opinione est conjuncta. Id vero quod concretum est, ratio eadem, illa, non sine sensu tamen. Cumque intelligibilis mundus primum sit intelligibile, sensibilis vero concretum quiddam: illum intellectio cum ratione, id est non sine ratione dijudicat, hunc ea quæ cum opinione conjuncta est ratio, non sine sensu. Et cum contemplatio sit & actio, recta tamen ratio haut eodem modo discernit quæ contemplationi & quæ actioni sunt subiecta. Etenim in contemplatione quid verum, quid falsum, in iis quæ ad actionem pertinent, quid proprium, quid alienum, quid hoc sit quod agitur, considerat. Ex eo enim quod insitam pulchri nobis bonique notionem habemus, ratione utendo, eamque ad naturales illas notiones veluti ad definitas quasdam normas referendo, bonane an mala sint singula, dijudicamus.

CAP. V.

De elemento & fine Dialecticæ.

Dialecticæ facultatis elementum primum Plato esse vult, in primis rei cujusque essentiam, deinde quæ accidunt illi advertere. Quid autem unumquodque sit considerat, vel a superioribus dividendo atque definiendo, vel ordine converso, resolvendo. Ea vero quæ accidunt, & essentiis adhærent, vel ex iis quæ continentur per inductionem, vel ex iis quæ continent per ratiocinationem: ut merito Dialecticæ partes, Divisio, Definitio, Resolutio, Inductio statuatur ac Ratiocinatio. Divisionum igitur alia est generis in species distributio, alia totius in partes: ut cum animam in partem rationalem, & eam quæ perturbationibus obnoxia est; & hanc ipsam rursus in eam quæ appetendi & quæ irascendi vim continet, dividimus. Alia est insuper vocis in significata divisio, quoties idem unumque rebus accommodatur pluribus. Tertia accidentium in subjecta divisio, ut cum dicimus, Bonorum quædam ad animum, quędam ad corpus pertinere: quædam externa esse. Quarta subjectorum in accidentia: ut cum dicimus, hominum quosdam bonos, nonnullos malos, medios esse alios. Divisione igitur generis in species primo utendum est, quoties quæ rei uniuscuiusque sit essentia, volumus dignoscere. Id autem absque definitione fieri nequit. Ex divisione autem hoc pacto conficitur definitio. Rei definiendæ genus sumendum est: sicut hominis animal. Id deinceps per

pro-

proximas partiendum differentias, usque ad species descendendo, ut in rationale & rationis expers, mortale & immortale. Sic enim, si proximæ adiiciantur generi differentiæ, hominis constituetur definitio. Resolutionis tres sunt species. Una est, qua a sensibilibus ad intelligibilia prima ascendimus. Alia, qua per demonstrata & subdemonstrata ad primas, & quæ medio carent propositiones, ascendimus. Postrema, quæ ex suppositione ad ea, quæ sine suppositione sumuntur, pergit principia. Et prima quidem hujusmodi est, ut si ab eo, quod in corpore dicimus pulchrum, ad illud, quod in animo dicitur pulchrum, transeamus; ab eo ad illud, quod in vitæ officiis versatur, ac deinde ab eo ad illud, quod in legibus; atque ita porro ad immensum pulchritudinis mare: ut iis, quasi gradibus, ipsum, quod reliquum est, intueamur pulchrum. Secunda resolutionis species hoc modo fit: Supponendum id, quod quæritur, & quæ priora sunt considerandа, eaque demonstranda, a posterioribus ad superiora progrediendo, donec ad primum & id, quod in confesso est, perveniamus: a quo sumpto rursus initio, ad id, quod quærebatur, compositionis modo regrediemur. Quæro exempli gratia, an immortalis sit animus, eoque ipso supposito, an idem semper moveatur quæro, hoc demonstrato, iterum quæro, an id, quod movetur semper, per se moveatur: quod cum rursus demonstraro, num quod per seipsum movetur, motus principium sit, quæro: postremo, utrum origine careat principium: quod quidem, ut certissimum a cunctis admittitur; ingenitum quippe quod est, interitus quoque est expers. A quo cum sit perspicuum, demonstrationem colligam ejusmodi: Si principium originis expers, erit & interitus. At quod per se movetur, motus est principium. Per se autem anima movetur: expers ergo & interitus, & originis, & immortalis est anima. Quæ vero ex suppositione est, hujusmodi est resolutio. Qui aliquid quærit, illud primo ipsum supponit, deinde, quid ex supposito sequatur, advertit. Tum vero si ipsius suppositionis reddenda sit ratio, alio supposito, quærit, utrum id, quod prius fuerat soppositum, rursus ad aliam sequatur suppositionem. Idemque semper observat, donec ad illud, quod non amplius ex suppositione sumitur, pervenerit principium. Inductio autem omnis est disputandi via & ratio, quæ vel a simili ad simile, vel a singulis transit ad universa. Quæ quidem ad excitandas naturales quas vocant, multum confert notiones.

CAP. VI.

Species propositionis & Syllogismi.

ORationis ejus, quam propositionem vocamus, duæ sunt species; Affirmatio altera, altera negatio. Affirmatio talis est, Socrates ambulat. Negatio talis, Socrates non ambulat. Affirmationum autem & negationum alia universalis, alia particularis est. Et particularis quidem affirmativa talis est, Quædam voluptas bonum. Negativa, quædam voluptas non bonum. Universalis affirmati-

va, omne turpe malum. Negativa universalis, nullum turpe bonum. Ex propositionibus, aliæ categoricæ sunt, aliæ hypotheticæ. Categoricæ, quæ simplices, ut omne justum bonum. Hypotheticæ, quæ consequentiam inferunt, vel repugnantiam. Syllogismorum etiam modis utitur Plato, tum redarguens, tum demonstrans. Redarguens, quæ falsa sunt, interrogando; demonstrans, quæ vera sunt, docendo. Syllogismus porro oratio, in qua positis quibusdam aliud ab iis, quæ posita sunt, vi tamen eorum, quę posita sunt, necessario efficitur. Syllogismorum alii Categorici, alii sunt Hypothetici, alii ex utrisque mixti. Et Categorici quidem, quorum tam assumtiones, quam conclusiones simplices sunt propositiones. Hypothetici, qui ex hypotheticis fiunt propositionibus. Mixti qui utrumque complectuntur. Utitur autem Plato demonstrativis argumentationibus, in iis, in quibus mentem suam exponit dialogis: probabilibus, adversus sophistas & juvenes: contentiosis, adversus illos, qui proprie contentiosi vocantur, Euthydemum dicis causa, & Hippiam. Cum vero Categoricæ argumentationis figuræ tres sint: Prima est, in qua terminus communis de hoc quidem dicitur, illi vero subiicitur. Secunda, in qua terminus communis de utrisque prædicatur. Tertia, in qua terminus communis utrisque subiicitur. Terminos dico, propositionum partes, ut in hac, homo est animal, hominem & animal terminos vocamus. Atque in prima quidem figura sæpe interrogat Plato, ut & in secunda & tertia. Et in prima quidem, sic in Alcibiade: quæ justa sunt, honesta sunt: quæ honesta sunt, bona sunt. Ergo, quæ justa sunt, bona sunt. In secunda, ut in Parmenide: quod partes nullas habet, nec rectum est, nec rotundum: at quicquid figuræ est particeps, aut rectum, aut rotundum est: quod ergo partes non habet, nullius est particeps figuræ: In tertia sic eodem in libro: Quod figuræ est particeps, quale est, quod figuræ particeps, finitum est: quod ergo est quale, finitum est. Sed & Categoricis sæpe interrogare Platonem videbimus, præcipue vero in Parmenide, ejusmodi: Si non habet partes ipsum unum, nec principium nec finem, nec medium habet: quod si principium, medium, finemque non habet, nec extremum habebit: si extremum non habet, ne figuræ quidem est particeps. Ergo si non habet partes ipsum unum, nullius figuræ particeps est. Ex secunda vero hypothetica figura, quam plerique dicunt tertiam, in qua terminus communis utrumque sequitur extremum, hunc in modum quærit: Si non habet partes ipsum unum, neque rectum est, neque rotundum: at si figuræ est particeps, aut rectum aut rotundum est: idcirco si partes non habet, ne figuræ quidem particeps erit. Quin etiam ex tertia figura, quam nonnulli secundam esse volunt, in qua terminus communis, utrumque antecedit extremum, in Phædone sic argumentatur: Si scientiam ipsius æqualis adepti, oblivioni non tradidimus, profecto scimus, sin autem obliti sumus, reminiscimur. Sed & mixtis, qui per

consequentiam aliquid efficiunt, sic utitur: Si unum totum est & finitum, hoc principium, media finemque cum habeat, figuræ quoque est particeps: verum antecedens, verum igitur consequens. Eorum autem, qui per consequentiam evertunt, ex hoc ipso differentiæ considerantur. Cum quis diligenter igitur facultates animi, variasque hominum differentias, nec non diversas orationis, quas huic aut illi accommodet, perspectas habet formas, quis præterea quibus persuaderi possit rationibus, accurate observarit, hic si occasionem fuerit nactus commodam, & ad usum accommodaram suum, perfectus erit orator. Neque aberraverit, qui Rhetoricam illius bene dicendi definierit scientiam. Fallaciarum quoque captionumque rationem, si recte inspiciamus, in Euthydemo a Platone inveniemus delineatam. Nam & quæ in vocibus, & quæ in rebus ipsis committuntur, tum quo pacto solvi debeant, ibi ostenditur. Sed decem prædicamenta, tum in ipso Parmenide, tum in aliis adumbravit dialogis. Totum vero ab etymologia in Cratylo complexus est locum. Denique, ut semel dicam, præ ceteris admirandus in dividendo, definiendoque, quæ Dialecticæ vim maxime testantur, Plato noster extitit. Eorum autem, quæ in Cratylo tradit, mens hæc est. Ibi enim quærit, utrum vi & ratione naturæ, an vero positu facta sint nomina: placetque illi positu quodam constare nominum rectitudinem neque simpliciter tamen & fortuito, verum ut ipsam rerum naturam secuta videatur eiusmodi positio: neque enim aliud esse rectitudinem nominum, nisi rei ipsius consonam naturæ impositionem. Quare nec quamlibet impositionem, nominis ad rectitudinem sufficere, neque rursus naturam, primumque vocis sonum, sed quod ex utrisque compositum: ut quodvis nomen ponatur convenienter rei & proprie. Non enim si quodlibet nomen temere cuilibet adhibeatur, recte significabit: ut, si equi nomen imponamus homini. Siquidem, loqui, quædam est actio. Quare non quocunque quis loquatur modo, recte loqui existimandus est: verum si ita, ut ipsarum natura rerum requirit, fuerit locutus. Quoniam vero ipsius locutionis pars quædam est, nominum impositio, sicut & orationis pars, nomen, sequitur recte vel non recte, nominare, haut qualibet nominum fieri impositione, verum naturali cum reipsa nominis proprietate & convenientia. Ut is rectus demum nominum futurus sit conditor, qui ipso rerum naturam exprimet nomine. Rei siquidem instrumentum nomen est: non quodcunque fors obtulit, sed quod congruum naturæ. Quare huius beneficio, alter communicamus res cum altero & discernimus. Ex quo sequitur, nihil aliud esse nomen, quam docendæ cuique & discernendæ rei instrumentum accommodum, sicut telæ radius textoris. Ad Dialecticum ergo & hoc pertinebit, recte uti nominibus. Sicut enim radio textor, ut qui proprium eius novit usum, recte utitur, cum eum faber fecerit: ita nomine, quod alius formaverit, recte & ut oportet, utetur Dialecticus. Et ut clavum efficere fabri, uti autem recte gubernatoris est: sic quoque nominum formatoris quemad-

modum

modum oportet, nominibus utetur, si tanquam præsente Dialectico id fecerit: quippe qui perspectas rerum, quæ significantur nominibus, habet naturas. Atque hæc de Dialectica obiter quasi adumbrata sint.

CAP. VII.

De contemplativa Scientia & eius distinctione.

DEinceps de contemplativa dicendum est philosophia. Cuius alia Theologica, alia Physica, alia est Mathematica. Et Theologicæ quidem, primarum supremarumque ac principalium cognitio causarum, finis est. Physicæ, quæ sit mundi natura, perdiscere: quale animal homo, quem in universo habeat locum: utrum rebus omnibus divina præsit providentia, aliosque sub se Deos habeat, tum ad Deos, quo pacto se habeant homines. Mathematicæ finis, planam, & in tres porrectam dimensiones naturam cognoscere, motumque ac cœlestium progressus perpendere. Cuius primo summatim proponatur contemplatio. Hæc ad confirmandam mentis aciem a Platone excogitata est: utpote quæ animam acuat, & ad rerum divinarum contemplationem reddat promtiorem. Illud autem ad numeros quod spectat, cum & ipsum pars sit Matheseos, non mediocrem ad ea, quæ sunt percipienda, vim suppeditat: sed & ab errore atque ignorantia, quæ circa sensibilia versatur, nos liberat, & ad rerum cognoscendam recte essentiam præbet auxilium. Sed & ad gerenda bella reddit idoneum: præcipueque in ea, quæ circa instruendas versatur acies scientia. Geometria quoque plurimum ad ipsius boni conferre intellectum videtur: si quis non mechanicæ causa actionis ipsam sectatur, sed ut eius adminiculis ad id, quod semper est, ascendat, nec in iis, quæ oriuntur quotidie & occidunt, versetur. Quin etiam Stereometria, id est, solidorum dimensio, quam maxime utilis est. Post secundam enim accretionem eius, sequitur eius contemplatio, ut quæ tertium eius contineat incrementum. Utilis præterea, ut quarta quædam disciplina Astronomia est, per quam cœli siderumque motus, tum diei ac noctis, mensiumque & annorum consideramus artificem; & quasi familiari via quadam, ipsum investigamus, qui hæc fecit omnia, & ab iis disciplinis, tanquam per inferiores gradus aut elementa, ad altiora progredimur. Sed & musicam discere oportet, quam ad auditum referemus. Nam quemadmodum ad Astronomiam oculi creati sunt, sic ad harmoniam aures: Et sicut Astronomiæ cum incumbimus, ab iis, quæ oculis percipiuntur, ad invisibilem ducimur essentiam: sic & dum auribus vocum haurimus harmoniam, ab iis, quæ audiuntur, ad ea, quæ intellectu percipiuntur, gradatim ascendimus. Quamobrem nisi fine isto Mathematicas prosequamur disciplinas, imperfecta sane & inutilis, neque ullius momenti futura est hæc contemplatio. Oportet quippe confestim ex iis, quæ oculis percipiuntur & auribus, ad illa, quæ sola cernit ratio, transire. Siquidem Mathematicorum consideratio, quoddam ad divinorum contemplationem est quasi prælu-dium. Arithmetica quippe & Geometria,

metria, quique eas colunt, ad illius, quod revera est, pervenire desiderant cognitionem. Quam tamen non aliter consequuntur, quam per somnium quasi, revera autem pervenire eo non possunt: cum & principia ipsa, simulque, quæ e principiis componuntur, ignorent. Nihilominus tamen ad ea, quæ diximus, conferunt plurimum: ideoque nec scientias, disciplinas huiusmodi Plato appellandas esse censuit. Et Dialectica quidem ita comparata est methodus, ut per hypotheses geometricas, ad prima, quæ non sumuntur ex hypothesi, assurgat principia. Quapropter Dialecticam jure scientiam appellavit. Disciplinam vero mathematicorum, nec opinionem, quod iis rebus clariora sunt, quæ sub sensum cadunt: neque rursus scientiam, quia obscuriora sunt, quam intelligibilia prima: sed opinionem corporum, scientiam primorum, cogitationem mathematicorum. Fidem præterea & imaginationem ponit: alteram quidem eorum, quæ sensu percipiuntur, nempe fidem: alteram vero imaginum & visorum. Quoniam vero Dialectica efficacior est, quam mathematica, ut quæ circa divina æternaque versatur, ideo & mathematicis præponitur omnibus, tanquam murus quidam & munimentum reliquorum.

CAP. VIII

De materia prima.

Sequitur, ut de principiis, & iis, quæ Theologicæ sunt contemplationis breviter disseramus, ducto a primis initio: & ab iis ad creationem universi, eiusque contemplationem descendamus: unde tandem ad generationem quoque hominis, naturamque eius perveniamus. Ac primum de materia tractandum est. Hanc sane fictioni subjectam, & onium receptaculum, nutricem, matrem, locum, subiectumque nominat, eamque sine sensu tangi, & adulterina quadam ratione vult comprehendi. Eius esse proprium, omnes rerum ortus suscipere, ac nutricis instar eas gerere; formas item omnes admittere; cum ipsa suapte natura omnis formæ qualitatis expers sit & speciei. Talia vero in ea tanquam in tabula effingi ac formari, easque eam figuras admittere, cum nec figuram ipsa nec qualitatem habeat ullam. Neque enim ad varias formarum impressiones futuram esse idoneam, nisi qualitate omni, iisque, quas susceptura esset formis, penitus careret: Siquidem eos videmus, qui unguenta ex oleo parant suaveolentia, id quod maxime expers sit odoris, quærere: eosque, qui formas vel ceræ vel luto impressuri sunt, primum materiam ipsam polire penitus atque lenire, donec figuræ deleantur pristinæ. Convenit namque materiæ omnium capaci, si modo formas omnes susceptura sit, nullam ut illarum naturam habeat, sed absque qualitate, omni atque specie subiiciatur formis, & cum huiusmodi sit, neque corpus, neque incorporeum quid erit, sed potentia corpus, quemadmodum æs potentia est statua, quoniam tum statua efficietur, cum eius suscipiet formam.

CAP. IX.

De Ideis & de causa efficiente.

Cum vero principii cuiusdam rationem habeat materia, alia quo-

quoque præter materiam Plato introducit principia: unum videlicet tanquam exemplar, quod idearum est, alterum, quod paternum dixeris, quod patris & autoris rerum omnium est Dei. Est autem idea, quod ad Deum, intelligentia Dei: ad nos vero, primum intelligibile: ad materiam, mensura, ad mundum hunc, qui in sensus cadit, exemplar: ad seipsum vero, essentia. Quidquid enim adhibito fit intellectu, ad aliquid referri necesse est Quemadmodum si aliquid ab aliquo fiat, ut a me mei ipsius imago, eius exemplar præsupponi oportet. Et si externum nullum sit, unusquisque in seipso id primo concipiens artifex, eius deinde in materiam transfert formas. Definiunt autem ideam, eorum, quæ secundum naturam fiunt, æternum exemplar. Plurimis namque visum est Platonicis, eorum, quæ arte fiunt nullam dari ideam posse, ut clypei atque lyræ: neque rursus eorum, quæ præter naturam, ut febris, ac bilis non naturalis: neque singulorum, ut Socratis & Platonis: neque vilium vel abjectorum, ut sordium, aut festucæ: neque relatorum, ut maioris & excedentis. Esse namque ideas notiones sive intelligentias Dei æternas, ac seipsis perfectas. Quod vero sint ideæ, sic probant: sive intellectus Deus ipse sit, sive intelligens quiddam, intelligibilia habet sua, & ea quidem æterna atque immobilia. Quod si hoc ita se habet, idea sunt. Etenim, si materia ipsa per se mensura caret, ab aliquo superiori & a materia penitus remoto, mensuram suscipiat necesse est. Verum quidem est antecedens, verum igitur consequens. Et si hoc, ideæ sunt, utpote quæ mensuræ quædam sunt materia carentes. Accedit, quod si mundus non fortuito talis est, non solum ex aliquo, verum etiam ab aliquo factum esse oportebit. Neque id solum, sed ad aliquid etiam esse factum. Id vero ad quod factus sit, quidnam aliud præter ideam esse possit? Unde rursus sequitur, ideas esse. Item si intellectus a vera opinione differt, id quoque quod intelligibile est, differt ab opinabili. Hoc si est, intelligibilia erunt, ab opinabilibus distincta. Quare erunt prima intelligibilia, quemadmodum & prima sensilia. Ex quo ideas esse concluditur. Atqui differt intellectus ab opinione, erunt vera ergo ideæ.

CAP. X.

Quomodo describatur Deus & quibus rationibus investigetur.

DEinceps de tertio dicendum est principio, quod licet pene ineffabile Plato autumet, tamen hoc modo ostendi posse videatur. Si intelligibilia sunt, eaque nec sensibilia sunt, neque eo sunt, quod participent cum illis, sed intelligibilibus primis adhærent, sunt prima intelligibilia simplicia, quemadmodum sensibilia prima. Antecedens verum: verum ergo & consequens. Homines vero perturbationi sensuum obnoxii, quoties intelligibile quiddam contemplari statuunt, in cogitationem statim sensilis alicuius recidunt, quo fit, ut vel magnitudinem, vel figuram animo simul comprehendant, vel colorem: atque ita sincere hoc ipsum intelligere nequeant. Dii autem

tem sine mixtione corporalium pure nimirum atque sincere intelligunt. Quoniam vero anima melior est intellectus: intellectu autem eo, qui in potentia, melior ille, qui actu semper, omniaque & simul intelligit: hic denique pulchrior, qui eius est causa, quique his superior omnibus, id revera non aliud, quam Deus erit, quem primum dicimus, qui in causa est, ut mundi semper agat intellectus. Agit autem ipse immobilis in hunc, quemadmodum sol in oculum, cum ad eum convertitur, & ut id, quod appetitur, movet appetitum, cum immobile ipsum maneat. Sic ergo & hic intellectus cœli totius movet intellectum. Et cum primus hic intellectus sit pulcherrimus, pulcherrimum quoque intelligibile illi subiici necesse est. Nihil autem ipso pulchrius: seipsum ergo suasque semper intelligit notiones. Et hæc quidem functio illius, dicitur idea. Quin etiam Deus ipse primus, æternus, ineffabilis, se ipso perfectus, id est, nullius egens, semperque perfectus, id est, omni absolutus tempore, undique perfectus, id est, omni ex parte absolutus: divinitas, essentia, veritas, ipsa proportio, bonum. Neque vero hæc ita dico, ut circumscribam, sed ut unum intelligatur in omnibus. Et bonum ob eam quidem causam dicitur, quod in omnia pro facultate cuiusque beneficia sua conferat, atque ita omnium bonorum sit causa. Pulchrum vero quod ipse natura sua utrumque sit, plus & æquale. Veritas autem, quod omnis ita veritatis sit principium, ut sol universi est luminis. Sicut pater quod causa sit omnium, cœlique totius mentem, mundique animam ad se suasque exornet notiones. Ex voluntate enim sua omnia seipso complevit, mundi animam excitans, & ad se convertens: quippe cum intellectus eius sit causa: qui a patre adornatus, naturam vicissim huius mundi totam exornat. Ineffabilis præterea est, solaque, ut ante dictum est, mente potest percipi: nec enim genus, aut species est, aut differentia: sed nec accidere illi quicquam potest. Neque malum: hoc enim nefas dictu est; neque bonum: siquidem alicuius ac maxime bonitatis particeps, talis dicendus esset. Neque differentia ulla: nec enim id secundum ipsius notionem potest fieri. Neque quale: non enim qualitate hoc ipsum factus est, quod est, aut ab ea perfectus, neque rursus qualitatis expers: non enim qualitate ulla ad se pertinente privatus est. Neque pars cuiusquam, nec ut totum ex partibus constitutum: neque ut idẽ aut diversum: quippe cum nihil illi contingat, quo ab aliis secerni queat. Sed nec movet, nec movetur. Quare prima ad intelligendum eum ratio, per abstractionem erit horum: quemadmodum punctum quoque abstrahendo a sensilibus, intelligere solemus: primo quippe superficiem, deinde lineam, postremo punctum consideramus. Secunda vero in quadam rationis similis proportione, hoc pacto: Quam rationem sol habet ad visum & ad ea, quæ videntur, cum ipse tamen non sit visus, huic vero præstet, ut videat, his autem, ut videantur: eandem profecto rationem ad eum, qui in anima nostra est intellectum, & illa, quæ intelliguntur, primus habet intellectus. Quippe cum non sit ipse intellectus, in his tamen actum perficit

intel

intelligendi, illis vero dat, ut intelligantur, dum eam, quæ inest illis, illustrat veritatem. Tertius autem intelligendi modus, sit huiusmodi. Aliquis cum eam videt, quæ in corporibus est pulchritudinem, statim ad eam transit, quæ est in animo: deinde ad eam, quæ in officiis ac legibus: postremo ad immensum pulchritudinis mare: post quæ ipsum bonum considerat, ipsum amabile, ipsum expetendum; quod tanquam lumen aliquod effulget, eique, quę paulatim ita ascendit, occurrit animæ. Cum hoc vero statim Deum ipsum comprehendit animo, propter eius, quæ in honorato est, excellentiam. Partis quoque expertem considerat, quoniam nihil illo prius est. Pars siquidem, atque illud, ex quo constituitur aliquid, prius eo est, cuius pars est. Planum namque prius est, quam corpus, & linea prius, quam planum. Rursus cum partes non habeat ullas, neque loco moveri, nec qualitatibus poterit mutari. Etenim si mutabitur, vel a seipso vel ab alio id fieri necesse erit. Si ab alio, illud potentius esse oportebit: sin a seipso, aut in deterius id fiet, aut in melius. Quorum absurdum est utrumque. Ex quibus omnibus sequitur, incorporeum quid esse Deum. Quod & ex iis probari potest. Si corpus esset Deus, ex materia constaret & forma: siquidem corpus omne ex materia formaque sua cum materia coniuncta, concretum quiddam est; quod quidem simile ideis efficitur, & earum ineffabili quadam ratione est particeps. Absurdum autem est, Deum ex materia constitui aut forma. Neque enim aut simplex esset aut principalis. Quamobrem incorporeum quiddam Deus est. Præterea ex eo: si corpus est, ex materia constat. Ideoque vel ignis est, vel aer, vel terra, vel aqua, aut aliquid ex iis constatum. Atqui nullum ex iis per se est principale. Pręterea, materia sua erit posterior, siquidem constet ex ea. Quæ quoniam absurda sunt, incorporeum esse Deum erit existimandum. Etenim si corpus erit, & corrumpi posse eum, & natum esse, & mutari posse, ex eo sequetur. Quorum singula de Deo si dicantur, erunt absurda.

CAP. XI.

Qualitates esse incorporeas.

SEd & qualitates esse incorporeas, hoc modo demonstrari possit. Omne corpus subjectum est, qualitas vero non subiectum, sed accidens: non ergo corpus est qualitas. Præterea nullum corpus in subiecto est, non ergo corpus est qualitas. Item, qualitati contraria est qualitas: nullum vero corpus, qua corpus, contrarium corpori: non ergo qualitates sunt corpora. Ut omittam rationi maxime esse consentaneum, ut quemadmodum materia qualitatis est expers, ita & qualitas materiæ sit expers. Et si materia careat qualitas, carebit & corpore. Jam si qualitates sunt corpora, duo ac tria eodem in loco erunt corpora: quod a ratione procul abludit. Quod si incorporeæ sunt qualitates, ergo & quod harum vim efficiendarum habet, est incorporeum. Efficientia præterea nulla esse, nisi incorporea possunt. Siquidem suapte natura patiuntur corpora ac diffluunt, neque eodem se modo semper habent, neque in eodem statu persistunt aut manent: nam

& ubi

& ubi efficere aliud videbuntur, ibi multo prius pati ea reperies. Unde sicut aliquid pure ac simpliciter ad patiendum est aptum, ita necesse est aliquid, quod revera agat, esse. Id vero nihil esse aliud, quam incorporeum facile videbimus; Quare de rerum principiis, quæ tradenda videbantur, quatenus ad Theologiam ea referuntur, hactenus. Siquidem deinceps ad considerationes veniendum est Physicas: ducto hinc exordio.

CAP. XII.

De caussis Mundi & generatione & elementis & ordine.

QUoniam eorum, quæ natura sensibilia sunt & singularia, definita quædam esse oportet exemplaria, ideas nimirum: quarum & scientiæ sint & definitiones (præter omnes enim homines, hominem aliquem animo concipimus, & præter equos omnes, equum aliquem, & ita deinceps præter animalia cuncta, immortale animal & ingenitum: quemadmodum ab uno sigillo plurima exprimuntur signa, unius hominis imagines possunt esse multæ, quibus omnibus idea ipsa caussa est, ut huiusmodi sint, cuiusmodi & ipsa est.) Necesse est universum hunc mundum, opificium Dei pulcherrimum, ab ipso ita fabricatum esse Deo, ut ad aliquam ideam, quæ exemplar eius esset, ipsa in fabricatione respexerit, dum mira quadam providentia atque optima norma, ad huius constructionem machinæ sese accingeret Deus; quia bonus erat. Ex omni ergo ipsum materia genuit: quam quidem sine ordine ullo ante cæli generationem temere disiectam, ex confusione deformi, in pulchrum revocavit ordinem, numerisque decentibus & figuris, eius undique exornavit partes: donec ita distinxit, quemadmodum & nunc, ignis & terra, ad aerem atque aquam sese habent; quorum tunc solum vestigia, & aptitudinem quandam ad recipiendam elementorum potestatem habebant: atque ita sine ratione ulla aut concinnitate concutiebant materiam, ab illaque concutiebantur vicissim. Ex singulis enim quatuor elementis eum compegit integris: ex toto scilicet igni & terra, aqua atque aere, nulla alicuius prætermissa aut potestate. Videbat enim corporeum debere esse & generari, tactuque omnino ac visu percipiendum. Absque vero ignis & terræ præsentia, nihil tangi viderive posse. Quare ratione optima, ex igne eum terraque construxit. Quoniam vero vinculum quoddam horum requirebatur medium, divinum autem vinculum est, quod secundum rationis proportionem, simul seipsum, & ea, quæ vinciuntur, unum efficit, planusque nequaquam mundus esse poterat, (huic enim unum sufficeisset medium) sed globosus; ideo duobus ad constitutionem eius opus fuit mediis. Inter ignem ergo & terram ex rationis præscripto aer interiectus & aqua: ut quemadmodum se habet ignis ad aerem, ita se habeat aer ad aquam, sic & aqua ad terram: & contra. Quia autem nihil exterius relinquebatur, etiam unicum fecit mundum, ideæ videlicet suæ, quæ unica est & ipsa, numero parem. Talem præterea, ut nec morbus unquam infestare illum possit aut senectus, quippe cum nihil

cadat

cadat in illum, a quo corrumpi posse videatur; tum ita se ipso contentum, ut nulla re externa opus habeat. Figuram autem illi dedit globosam, utpote omnium pulcherrimam capacissimamque & ad motum facillimam. Et quoniam nec auditu, nec visu, nec ceteris indigebat sensibus, ideo sensuum ad eiusmodi ministerium nulla prorsus instrumenta addidit. Ceteras item motus species procul esse iussit, solumque, qui in orbem incitatur, concessit, ut qui mentis & prudentiæ sit proprius.

C A P. XIII.

De figuris Mundi & earum cum elementis Mundi atque Mundo convenientia.

ET cum duo sint, ex quibus constructus est mundus, corpus scilicet atque anima, quorum illud videtur & corrumpitur, hæc nec videri potest, nec tangi, utriusque quoque & vis diversa est & constitutio. Corpus siquidem ex igni, terra, aqua compactum est & aere. Quæ quidem quatuor mundi artifex, cum nihil minus antea, quam elementorum obtinerent ordinem, pyramide atque cubo, octaedro, atque icosaedro, præcipue autem duodecaedro formavit. Quatenus ergo pyramidis figuram induit materia, ignis emicuit. Ea quippe figura secando maxime ac dividendo præ ceteris est apta, & ex paucioribus constat triangulis, ideoque omnium figurarum est rarissima. Quatenus autem octaedron, aeris qualitatem assumpsit. At vero, qua icosaedron, aquæ qualitatem accepit. Cubi vero figuram terræ est largitus, ut quæ solidissima atque omnium sit elementorum stabilissima. Figura denique duodecaedri ad universi fabricam usus est. His vero omnibus magis ad principiorum naturam accedunt plana. Siquidem ea solidis priora sunt. Illius autem naturæ duo quidam quasi genitores sunt trianguli, qui pulcherrimi rectanguli, sunt, unus Scalenus, alter Isosceles Et Scalenus quidem est triangulus, qui unum recte habet angulum, alterum, qui duos unius recti trientes habet, tertium unius recti triente finitur. Scalenus ergo triangulus pyramidis, & octaedri, atque icosaedri elementum fit: cum Pyramis ex triangulis quatuor omnia latera æqualia habentibus constituatur, quorum quilibet in sex triangulos, quales modo dicti sunt, Scalenos, distribuitur. Octaedros vero ex octo similibus, quorum quisque in sex triangulos Scalenos dividitur. Icosaedros ex viginti similiter. Isosceles autem triangulus, cubicæ elementum est figuræ. Quatuor enim huius speciei concurrentes trianguli, quadratam absolvunt: sicut sex quadrata, cubum. Duodecaedron vero ad universi constitutionem, adhibuit Deus: unde & animalium formæ duodecim in zodiaco conspiciuntur, quorum quodlibet in triginta secatur partes. Similiter quoque in duodecaedro, quæ ex pentagonis constat duodecim, quorum in triangulos dividuntur singuli, singulis rursus triangulis, sex Scalenos continentibus, atque ita in tota duodecaedro trecenti sexaginta reperiuntur trianguli, quot in zodiaco sectiones sunt. His cum ab ipso Deo figuris esset materies formata, primo

quidem

quidem rudibus vestigiis absque ordine movebatur: donec in ordinem reducta est ab eo: singulaque inter se apta conjuncta sunt proportione & composita. Neque tamen hæc loco discreta manent, sed & ipsa in motu sunt perpetuo, eundemque materiæ afferunt: ab ambitu enim mundi constricta pelluntur, atque alternis ipsa pulsibus agitata feruntur, tenuia semper in regionem solidorum. Qua de causa nihil omnino inane relinquitur, nihil corporis vacuum, atque in illis permanens concussionem affert inæqualitas. Ab iis enim materia, & ista vicissim agitantur a materia.

CAP. XIV.

De anima mundi & sphæris atque stellis.

EX corporibus itaque, animæ vires investigari voluit. Nam cum res singulas anima discernamus, rerum omnium merito huic indidit principia, ut quicquid occurreret, per id, quod cognatum est, ac vicinum illi contemplaremur, consonamque functionibus essentiam illi subiiceremus. Ergo, cum intelligibilem quandam indivisibilemque esse diceret, alteram quoque circa corpora dividuam posuit essentiam: ut tam huius, quam illius parari intellectu cognitionem posse ostenderet. Et quia in rebus iis, quæ ad intelligentiam diisque, quæ ad sensum pertinent, aliud atque idem esse cognovit, ex iis omnibus iure constituit animam. Aut enim simili simile (ut Pythagoreis placet) aut quemadmodum Heraclito physico, dissimili semper dissimile cognoscitur. Cum vero genitum vult esse mundum, non hoc eum voluisse putandum est, ut tempus fuerit aliquod, quo mundus non esset: verum quia semper in generatione persistit, essentiæque suæ præstantiorem aliquam, magisque principalem esse, causam indicat. Anima præterea mundi, quæ semper fuit, non efficitur a Deo, sed ornatur tantum, eaque ratione illam facere nonnunquam asseritur, quod excitat eam, & ad seipsum eius mentem velut ex torpore & profundo quodam somno convertit: ut intelligibilia eius intuens, eiusque notiones affectans, species inde recipiat formasque. Unde perspicuum est, & anima & mente donatum esse mundum a Deo. Nam quum optimum hunc esse vellet, merito quoque animatum atque intelligentem efficere debuit. Siquidem opus animatum inanimato, totum toto est præstantius, ut & non intelligente, id quod intelligit. Forte etiam nec sine anima mens potuisset subsistere. Cumque anima a mundi medio ad extrema usque diffunderetur, totum mundi circumcirca corpus est complexa. Ita ut per totum extendatur universum, atque eo modo jungat totum & conservet. Adeo ut externa eius præsint internis. Quippe cum illa quidem non dividantur, hæc vero in septem divisa sint circulos, a principio secundum dupla & tripla distributa intervalla. Et illa quidem, quæ ab individua comprehenditur sphæra, eidem respondet: quæ secatur autem, alteri. Motus enim cœli, qui comprehendit omnia, cum minime vagetur,

unus est & ordinatus. At vero interiorum varius, ortibusque permutatur & occasibus: unde & erraticus nuncupatur. Et extimus quidem orbis, ad dextra, ab ortu in occasum fertur. Interior autem contra ad sinistra ab occidente in orientem, mundo occurrens. Stellas præterea & astra Deus ipse condidit, & horum quædam inerrantia, ad cœli, noctisque ornatum: quorum numerus est maximus. Quæ vagantur autem numero septem, ad numeri temporisque originem, & omnium quæ sunt demonstrationem. Tempus etenim mundani motus intervallum fecit, veluti quandam æternitatis imaginem. Quæ æternæ mundi mansionis mensura est. Errantium quoque siderum vis non est eadem. Quorum Sol dux est omnium; qui illustrat exhibetque oculis res omnes. Luna deinde, quod ad potestatem, secundum obtinet ordinem. Ceteri vero Planetæ secundum proportionem pro sorte propria singuli. Luna siquidem mensis mensuram conficit: eo spatio circulum permensa suum, solemque assecuta. Sol autem anni mensura: quippe Zodiaco ter peragrato circulo, anni complet tempora. Ceterorum quoque siderum quodlibet proprios conficit ambitus. Qui quidem non a quibuscunque; sed ab eruditis videntur hominibus. Ex omnibus demum revolutionibus absolutus numerus temporisque completur, cum ad idem punctum omnes regressi, eum habebunt inter se ordinem, ut si animo recta concipiatur linea, ab inerrante sphæra in terram ad perpendiculum producta, omnium in hanc lineam concurrere puncta videantur. Cum igitur septem sphæræ sint in sphæra errante; in iis corpora septem conspicua mundi conditor ex materia quam plurima fabricavit ignea, eaque sphæris ex altero vagoque circulo participantibus adnexuit. Ac Lunam quidem circulo a terra primo dicavit. Solem vero secundo. Luciferum deinde & sacrum Mercurii sidus in eo cuius cum sole par est & velox æque conversio, ab hoc vero recedit, imposuit. Supra vero reliqua, secundum propriam cuiusque sphæram. Tardissimam quidem omnium Saturni stellam in proxima inerrantibus sphæra collocavit. Ab hac tarditate secundam, quam Jovis dicunt. Huic Mars deinde successit. Octava demum quæ suprema est potestas hæc circumplexa est omnia. Hæc autem omnia, animalia intellectu prædita, & Dii, & globosa sunt figura prædita.

CAP. XV.

De Dæmonibus & singulorum elementis.

Sunt & alii dæmones, quos intelligentes Deos nuncupare possis, in elementis singulis, partim quidem visibiles, partim autem visus aciem fugientes; in æthere atque igni, aereque & aqua: ne pars ulla mundi expers animæ animantisve humana natura præstantioris relinqueretur. His autem terrena, & quæ sub luna sunt, subiiciuntur omnia. Etenim Deus mundi totius deorumque & dæmonum est opifex: atque id quidem universum voluntatis divinæ munere non dissolvitur. Reliquis autem eius præsunt filii, qui ad imperium illius & exemplum dirigunt quæcunque faciunt. A quibus sortes, visus nocturni, somnia, atque oracula,

quie-

quicquid denique ad divinationem referunt homines, arte tractatur. Terra vero omnium in medio circa axem qui universum traiicit, constringitur: diei noctisque custos, ac deorum qui in cœlo sunt post ipsam quidem mundi totius animam antiquissima, quæ alimenta nobis subministrat plurima: circa quam cœlum volvitur, astrumque ipsa quoddam est. Manet autem loco suo propter æquilibrium, in medio eorum posita, a quibus continetur. In errantium autem inerrantiumque sphæram exterius distinctus est æther. Quibus aer succedit. In medio autem cum humore suo terra.

CAP. XVI.

De Diis junioribus: iisque hominis formationem commissam esse a Deo.

CUm hęc omnia fabricata essent, tria animantium, quæ quidem mortalia futura essent, restabant genera; volatile, aquatile, & pedestre: quorum generationem filiis mandavit suis: ne si hæc quoque ab eo essent facta, immortalia non minus essent quam reliqua. Illi igitur a prima materia particulas quasdam ad definitum mutuati tempus, mortalia finxerunt animantium genera. Quoniam vero de humano genere, utpote diis proximo, tum patri omnium, tum etiam natis cura erat, animas illorum astrorum pares numero, ipse eorum artifex in terram dimisit. Cumque quamlibet cognato imposuisset astro, tanquam vehiculo, singulis, legislatoris instar, fatales leges pronunciavit, uti extra culpam esset ipse. Futurum nimirum, ut affectus e corpore nascerentur mortales: primo quidem sensus, tum voluptatem & dolorem, metumque, & iram: quos quæ superarent, neque vim sibi inferri permitterent, iuste victuras, & in cognatum redituras astrum denique. Quæ vero ab injustitia superarentur, secundo ortu vitam ducturas feminæ. In qua si ab improbitate nondum cessarent in brutorum tandem naturam migraturas esse. Finem vero laborum tunc demum futurum, cum innatos vicerint affectus, & ad proprium jam habitum redierint.

CAP. XVII.

De corpore, membrisque Hominis, & animæ viribus.

DIi autem præcipue quidem ex terra, & igni, aereque, & aqua finxerunt hominem, quasdam, quæ aliquando redderentur partes, a materia mutuati, quas occultis ita inter se junxere vinculis, ut ex omnibus corpus conficerent unum. Partem vero animæ cœlitus immissæ præstantiorem locaverunt in capite, cui tanquam agrum excultum, subiecere cerebrum. Circa autem faciem instrumenta ad ministeria sensuum disposuerunt idonea. Ac medullam quidem ex levibus ac sine inflexione triangulis, ex quibus elementa creata fuerant, composuerunt; genitalis futuram seminis originem. Os autem ex medulla condidere & terra, iisque irrigatis crebroque quasi aqua & igne subactis. Nervos item ex osse & carne. Ipsa autem caro, ex salso & acuto, quasi fermento quodam est compacta. Ac medullæ quidem ossa circumdedere, nervos autem ossibus

loco vinculorum, ut per hos inflexiones essent faciles, coniunctiones que articulorum. Quibus tegminis loco ipsa caro adiecta est, quae alba partim, partim nigra, cum ad decorum, tum ad usum viventis est tradita. Ex iis praeterea interna contexta sunt viscera, venterque, & circa ipsum intestina undique revoluta. Superne autem ab ore arteria & gula, quarum haec quidem in stomachum, altera in pulmones defertur. Cibi porro in ventre spiritu simul digeruntur & calore quo scinduntur quasi & conficiuntur: atque inde in corpus distribuuntur totum, secundum mutationes singulis proprias. Duae autem venae per dorsi commeantes spinam, contrario modo caput connectunt, obviae sibi invicem, atque inde in partes scinduntur plurimas. Postquam ergo Dii fabricarunt hominem, animamque illius tanquam dominam imposuere corpori, partem animae ipsius principem cuius est ratio, collocarunt in capite: a quo medullae nervorumque origo deducitur: cuiusque pro affectione diversa, mentis quoque sequitur alienatio. Sed & sensus, capiti tanquam rationis addidere satellites, unaque cum ratione & judicandi vim & contemplandi, eas vero partes animae, quae perturbationibus moventur, inferiori collocarunt loco. Irascendi vim in corde, concupiscendi circa abdomen easque quae umbilico partes vicinae sunt: de quibus postea differemus.

CAP. XVIII.

De visu, lumine, specularibus imaginibus.

CUm ergo luciferos in facie collocassent oculos, lumen illis inclusere igneum. Quod cum laeve & quodammodo esset densum, diurno futurum lumini cognatum existimarunt. Hoc cum passim per oculos, maxime tamen per pupillas erumpit, quod in eo purissimum est maximeque sincerum. Idque ipsum quia cum externo, utpote simile cum simili, consentit, videndi praestat sensum. Ideoque noctu, cum vel evanescit vel obscuratur lumen, non amplius aeri se propinquo permiscet hic noster radius: sed contra ad interiora se subducens, eos qui in nobis sunt motus laevigat & diffundit, atque ita somnum inducit: quo fit, ut & palpebrae claudantur. Ac si plurimum quidem quietis induxerit somnus, fere sine insomniis surrepit. At si motus restent adhuc aliqui, crebra nobis visa oboriuntur. Atque hoc pacto phantasiae seu verae sive falsae directe nascuntur. Ab his non abscedunt imagines, quae in speculis, vel aliis translucentibus laevibusque videntur corporibus, quae quidem haut aliter quam per reflexionem existunt. Quatenus enim vel concavum vel convexum vel oblongum est speculum, eatenus visu diversa intuentibus apparebunt: dum ad alias partes reflectuntur lumina, quae in convexo vero coeunt. In quibusdam enim dextra atque sinistra contrario apparent modo, in nonnullis aequaliter, in nonnullis contra quae inferiora sunt, transferuntur, & contra.

CAP. XIX.

De ceteris sensibus, & obiectis eorum.

AD perceptionem vero vocis datus est auditus, exoriẽs enim

a motu, qui circa caput efficitur, ad hepatis sedem definit. Vox autem, quæ per aures transiens cerebrumque & sanguinem ad animam penetrat: & acuta quidem, quæ movetur velocius, gravis quæ tardius: magna quæ plurimum, parua quæ parum. Post hæc narium facultas sequitur, quæ ad percipiendos nata est odores. Odor autem est affectio quædam, quæ à venis narium ad umbilici usque descendit loca. Hujus, præter duas quæ communiores sunt, species, destituuntur nomine: fragrans odor dico, & graveolentia: quæ molesti & jucundi appellationem habent. Odor porro omnis aere crassior, aqua est subtilior. Proprie namque in iis aliquod odoris statuitur genus, quæ mutationem nondum susceperunt perfectam, sed communione quadam constant aeris & aquæ, cujusmodi sunt quæ ad fumum accedunt, & caligine. His enim in se invicem abeuntibus, odorandi efficitur sensus. Gustū deinde variorum judicem succorum Dii formarunt: venas quippe ab illo ad cordis porrexere sedem, quibus diversi examinari sapores possent. Hæ siquidem dum dilatantur varie atque contrahuntur, prout illis offeruntur sapores, eorum discernunt differentias. Sunt autem saporum differentiæ septem, dulcis, acutus, acerbus, acris, austerus, salsus, amarus. Et dulcis quidem natura reliquorum omnium contraria: siquidem humorem linguæ vi sua perfundit atque delinit: cum reliqui aut perturbent eum & dispellant, ut acuti: aut calefaciant, & ad superiora ferantur, ut acres: alii vehementer abstergant, atque ita liquefaciant, ut amari: alii seorsim purgent abstergantque, ut salsi. Ex aliis vero alii meatus contrahunt, ac adducunt: & illi quidem qui hoc asperius faciunt, acerbi: qui lenius austeri appellantur. Tangendi postremo sensus a Diis formatus est, ut calida, ac frigida, mollia & dura, levia & gravia, lenia dignoscat & aspera, ac de singulorum judicet differentiis. Cedentia autem corpora dicimus, quæ tactum recipiunt: resistentia, quæ minime cedunt. Hoc autem circa corporum ipsorum bases evenit. Quæ enim amplas eas habent, stabilia sunt ac solida: quæ contra exigua nituntur, cedentia sunt ac mollia, facillimeque mutantur. Asperum est, quod inæquale ac durum. Leve, quod planum simul & densum. Cum vero calidæ affectiones & frigidæ maxime sint contrariæ, diversas quoque habent causas. Nam quod acumine ac asperitate partium secat, calidam affectionem id gignit: frigidam vero, quod ingressu densius: dum tenuia quidem expelluntur, & in illorum sedes crassiora penetrare coguntur. Tunc enim concussio quædam tremorque oritur, & quæ hinc in corporibus nascitur affectio, rigor est.

CAP. XX.

De gravi & levi.

Grave & leve per superiorem & inferiorem locum definire non decet: nihil enim aut supra est aut infra. Nam cum omne cœlum sit rotundum, & extremitate sua convexa exæquetur, non oportet aliquid superius, aliquid inferius nuncupare. Ceterum grave dicendum id est, quod difficile in locum a natura sua

alienum trahitur: leve vero, quod facile. Item grave, quod ex plurimis, leve, quod ex paucissimis conflatum est partibus.

CAP. XXI.

De respiratione.

RESpiramus autem hoc pacto. Cingit nos aer externus plurimus: qui per os naresque ceterosque ratione tantum cognitos influit meatus corporis. In quibus calefactus, ad externum cognatumque refluit aerem. Qua vero ex parte effluxit, externum rursus ad interiora cogit aerem. Atque huiusmodi nunquam cessante ambitu, inspiratio & expiratio efficitur.

CAP. XXII.

MOrborum autem causas constituit plurimas. Primam quidem, elementorum defectum atque excessum, locorum qui naturæ non conveniunt mutationes. Secundam vero, præposteram cognatarum partium originem: veluti si ex carne sanguis, aut bilis, aut pituita fiat. Hæc enim omnia nihil aliud quam colliquationem & putrefactionem esse. Pituitam enim esse recentis carnis colliquationem. Sudores autem & lacrymas quasi serum quoddam pituitæ. Et pituitam quidem in externis si intercipiatur partibus, vitiligines inducere, albas nigrasque. Intus vero deprehensam, & cum atrabile commistam, comitialem, qui sacer appellatur, procreare morbum. Acutam vero & salsam eas gignere affectiones, quæ in rigore consistunt. Omnia enim a bile inflammata id pati necesse est corpora. Quippe innumeros ac varios bilis ac pituita gignit morbos. Febrem continuam si abundet ignis, quotidianam, si aer, quartanam si terra evenire putat. Restat ut de anima, facto hinc exordio, dicamus: etsi fortasse metuendum sit nobis, ne bis idem dicere videamur.

CAP. XXIII.

De tribus principalibus Animæ viribus.

ANimam quippe hominum quę immortalis esset, a primo accipientes Deo, Dii mortalium generum conditores, mortales illi duas, ut dicemus, adiunxerunt partes. Verum ne vis eius immortalis ac divina, deliriis inficeretur mortalibus, in ipsa corporis arce sedem ei utpote principi omnium dederunt. Illi enim domicilii loco caput assignarunt: quod eandem cum hoc universo habet figuram. Reliquum vero corpus huic ad ministerium quasi vehiculum subiecerunt. Quin & duabus partibus mortalibus propria singulis, quasi domum assignarunt. Iracundiæ quippe in corde; cupidini vero locum medium inter umbilicum atque diaphragma: ubique vim eam veluti furiosum quoddam & agreste animal constrinxerunt. Pulmonem gratia cordis mollem atque exsanguem, fistulosum præterea spongiæque similem machinati sunt, ut cor iræ ardore nonnunquam exæstuans, illa quasi refrigeratione mitigaretur. Iecur autem ad excitandam concupiscentiam animæ, rursusque ad sedandam eandem, dulcedinis simul & amaritudinis particeps est. Ad eas præterea divinationes illustrandas, quæ per somnia offeruntur. In eo siquidem

prop-

propter levorem, densitatem ac nitorem, eam quæ ex mente vim procedit, elucere. Splenem vero jecoris ipsius gratia, ut & purget ipsum, nitidumque efficiat. Itaque eas quæ ex morbis nonnullis circa hepar nascuntur, eo delabi putredines,

CAP. XXIV.

De distinctione partium animæ.

TRiplicem vero esse animam ejusque partes secundum proprias potentias, singulasque eas partes locos quoque singulos ex præscripto rationis sortitos esse, vel hinc licet dicere. In primis enim, quę natura segregata sunt, ipsa quoque diversa sunt. Natura vero distinguitur passivum, & quod rationi natum est. Quorum alterum circa intelligibilia, alterum circa molesta versatur vel læta; ut omittam partem passivam brutis quoque datam esse. Cum ergo hæc duo natura sint distincta, locis etiam distingui debent: quoniam plerumque inter se dissident hæc duo & pugnant. Nihil autem idem secum pugnare potest: neque quæ inter se contraria sunt, circa idem, eodem tempore, consistere ullo modo queunt. Videtur autem in Medea ira cum ratione pugnare:

Nec hoc latet me, quanta moliar mala:
Sed ira mentem corde totam expectorat.

In ipso etiam Lajo, Chrysippum cum raperet, cupiditatem rationi videmus adversari: sic enim inquit:

Heu majus illud crimine humano malum,
Si quis bonum non nescit, & spernit tamen.

Sed & aliud quid esse rationalem facultatem a passiva, ex hoc patebit, quod diverso utrinque modo curetur, altera nempe disciplina, altera autem vitæ morumque consuetudine.

CAP. XXV.

De immortalitate animæ.

ANimam autem his rationibus immortalem esse demonstrat, & in modum hunc deducit. Anima cuicunque adest, vitam affert illi, utpote naturaliter sibi insitam: quod autem vitam confert alteri, mortem non admittit unquam: quod autem hujusmodi est, immortale est. Jam si immortalis est anima, incorruptibilis quoque erit. Essentia enim est incorporea, quæ secundum substantiam mutari non potest, sed & intellectu solo percipitur non oculis, & uniformis est. Quare & concretionis expers erit, nec dissolvi unquam aut corrumpi poterit. Corpus vero contra habet, nam & sensibus usurpatur & oculis & quemadmodum compositum est, ita & dissolvi iterum potest, & est multiforme. Præterea anima, cum per corporis sensus ad illa quæ sensibilia sunt descendit, vertigine quasi agitatur ac perturbatur, nec ebrio homini est dissimilis. Cum autem iis quæ percipiuntur intellectu, adhæret, consistit atque quiescit. Jam illi cujus præsentia turbatur similem eam esse non posse certum est: quare ei quod subintellectum venit, magis est similis. Id vero neque dissipatur natura neque interit. Accedit quod natura præsit corpori anima, non contra: quod autem natura sua regit & imperat, divinitati est cognatum;

quapropter anima Deo proxima, immortalis erit, nec corruptioni obnoxia. Item, quæcunque sine medio contraria sunt, neque ex se ipsa, sed ex accidenti quodam, sic natura comparata sunt, ut alterum eorum nascatur ex altero: id vero quod vivere dicunt homines, illi quod mori dicitur, contrarium est. Quemadmodum ergo mors est animæ a corpore separatio, sic vita animæ cum corpore congressio est, quæ quidem anima ante corpus extiterat. Quod si & fuit ante, & post mortem erit, consentaneum videtur, ut sit sempiterna. Neque enim ultra quicquam a quo corrumpatur excogitari potest. Adde quod, si disciplina reminiscentia quædam est, immortalem esse animam sit necesse. Esse vero reminiscentiam sic adstruimus. Neque enim aliter disciplina possit consistere, quam per recordationem eorum, quæ quondam novimus. Nam si ex singulis universa intelligimus, quonam pacto per singula cum infinita sint, discurremus, aut ex paucis universa percipiemus? Deciperemur enim perinde, ac si judicaremus, id solum animal esse, quod respirat. Vel quomodo rationem principiorum obtinebunt notiones ipsæ? Reminiscendo igitur, ex paucis quæ animo concepimus, cetera intelligimus: & a quibusdam sigillatim incidentibus, ea recordamur, quæ cognoveramus olim, quæque oblivioni tum tradidimus, cum primum in corpora descenderunt animæ. Præterea, si anima a proprio non corrumpitur malo, neque ab alieno, nec ab ullo simpliciter destruetur malo. Cumque sit talis, incorrupta manebit. Item quod seipso movetur, utpote motus in iis quæ moventur principium, semper movetur: quod autem tale, immortale est. Anima autem a seipsa movetur: & quod a seipso movetur, motionis omnis ortusque est principium. Principium autem ingenitum & interitus expers. Quapropter & humanus & universi ipsius talis erit animus: cum eiusdem mistionis particeps sit uterque. Per se mobilem autem ait animam, quoniam innatam habet vitam semper sua vi operantem. Animas ergo rationales esse immortales, ex Platonis licet asseverare sententia. Utrum vero & irrationales, ambiguum esse videtur. Probabile tamen est, eas cum sola phantasia ducantur, nec rationis facultate præditæ sint aut judicii, nec contemplentur quicquam, aut ex eo colligant, neque cogitationibus rerum explicatis utantur, sed in universum non intelligant quicquam; neque eiusdem qua cetera, quæ intellectu sunt prædita & ratione, naturæ esse, sed tales, ut & mori possint & corrumpi. Ex eo autem quod immortales sint, sequitur, ut inserantur corporibus ita, ut fœtuum formatrici adhæreant naturæ, & in corpora plura, tum humana, tum alia, vel ad numeros quosdam præscriptos, quos expectant, vel Deorum voluntate transeant: vel propter vitæ intemperantiam, vel corporis amorem. Quippe corpus & anima cognationem inter se quandam habent, qualem ignis & bitumen. Quin & Deorum anima dijudicandi, quæ & cognoscendi dici potest, est adepta facultatem: sed & ad agendum aliquid impellendi, quam auxiliatricem facultatem dixeris, & con-

& conciliandi. Quæ quidem facultates cum humanis etiam insint animis, postquam tamen venerint in corpora, solent permutari. Conciliandi quidem in concupiscendi, impellendi autem in irascendi facultatem.

CAP. XXVI.

De fato & libero arbitrio.

DE fato autem talis fere Platonis est sententia. Omnia quidem in fato esse, non tamen omnia fato decreta. Fatum enim cum legis sit instar, non ita tamen agit, ut exempli gratia, hunc dicat hoc facturum, illi rursus hoc eventurum esse (quod quidem in infinitum procederet, cum & infinita nascantur, & his ipsis infinita accidant quotidie: præterea & libertas nostra, tum laudes ac vituperia, & quicquid illis simile est, tollerentur.) Sed sic potius: Quæcunque anima talem vitam elegerit, & huiusmodi egerit, hæc consequentur. Liber ergo est animus, eiusque in potestate, ut vel agat vel non agat, relinquitur, neque ulla cogitur necessitate. Quod autem actionem talem sequitur aut talem, id fato perficitur. Veluti ex eo quod Paris Helenam rapiet, quod quidem in eius est arbitrio, sequetur, ut Græci cum Troianis de Helena contendant. Sic & Apollo prædixit Lajo:

Si namque gignis, natus in patrem ruet.

In oraculo quidem & Laius & filii simul comprehenditur generatio: quod vero consequitur, fati est decretum. Eius autem quod fieri posse dicitur, inter falsum & verum media est natura: cumque ita natura sit indefinitum, id quod in potestate nostra est ei quasi invehitur. Quod vero eligentibus fiet nobis, confestim aut verum erit aut falsum. Id autem quod facultate est, ab eo, quod habitu esse actuque dicitur, differt. Quod enim facultate est, id aptitudinem quandam, in eo videlicet, in quo nondum consummatus est habitus, declarat. Sic puer facultate & grammaticus & tibicen dicetur & faber: tum demum autem in habitu unius aut duorum ex illis erit, cum jam didicerit, & consecutus habitum fuerit. In actu vero tunc dicetur esse, cum secundum jam acquisitum operabitur habitum. At quod fieri posse dicimus, horum nihil est. Indeterminatum autem cum sit, cum in potestate est nostra, in utram inclinaverit partem, verum accipit aut falsum.

CAP. XXVII.

ETHICA.

De bonis, & summo bono ac virtutibus.

DEinceps quæ Platoni de moribus placuerunt, perstringamus breviter. Illud quidem quod honore maximo dignum putatur, & supremum est bonum, nec facile inveniri, nec postquam inveneris, in omnes vulgari debere putavit; quare cum paucis admodum, maximeque sibi familiaribus, & quos judicio ad hoc elegerat, contemplationem ipsius summi communicavit boni. Nostrum tamen bonum, si quis diligenter eius libros examinaverit, in ipsa primi boni posuisse reperiet scientia. Quod quidem, & Deum & primam mentem recte

quis

quis appellaverit. Omnia enim, quæ ab hominibus bona dicuntur, hactenus dici bona voluit, quatenus aliquid ab illo primo & honorato trahant bono: quemadmodum & dulcia omnia atque calida, participatione quadam primi dulcis & calidi, hanc habent appellationem. Ex iis vero, quæ in nobis sunt, mentem solam atque rationem ipsius boni quandam consequi similitudinem. Quamobrem bonum nostrum, pulchrum, venerandum, divinum, amandum, apte constitutum, ac postremo beatitudo apud illum vocatur. Eorum autem, quę vulgo dicuntur bona, cujusmodi sanitas est, formaque & robur, nec non divitiæ atque dignitates, nullum prorsus esse bonum nisi cum virtutis usu fuerit conjunctum. Separata enim hæc ab ipsa virtute, materiæ tantum instar esse: atque iis, qui male utuntur, mala tantum. Sed & nonnunquam hæc ipsa mortalia Plato nominat bona. Beatitudinem vero hautquaquam in humanis bonis, sed in divinis sitam esse ac immortalibus putavit bonis. Ideoque ingentibus quibusdam admirandisque bonis verorum philosophorũ animos refertos esse prædicat, postque corporis mortalis interitum, divinis adhiberi epulis, veritatisque campum cum Diis una circumlustrare. Quandoquidem tum cum viverent quoque, cognoscere eam summa animi contentione conati essent, & præ ceteris omnibus, tanquam rem pretiosissimam coluissent. Cujus munere mentem suam tanquam amissum aliquem aut extinctum illustrassent atque excitassent oculum: quod multis conservationem ejus oculis præponerent corporalibus, quod eo ad omnem ejus, quod ratione præditum est, pertingere ac pervenire possint naturam. Insipientes enim homines iis esse similes, qui vitam omnem in subterranea quadam spelunca transegerint, ubi fulgidum solis lumen nunquam inspexerint, sed exiguas & inanes umbras eorum, quæ apud nos in terra sunt corporum: quas dum viderent, vera se corpora videre putaverint. Ut enim hos si quando e tenebris in lucem serenam emerserint, consentaneum est omnia, quæ ante viderint, ac seipsos multo magis, tanquam omnino deceptos, contemturos esse: sic & eos qui ex hujus vitæ tenebris ad ea quæ revera divina sunt & pulchra emergunt, credibile est, quæ quondam maximi fecerant, aspernaturos esse, eamque contemplationem vehementius amaturos. Quibus etiam consentaneum est dicere, id solum, quod honestum esse, esse bonum: & virtutem ad felicitatem sufficere. Bonum præterea & pulchrum in cognitione primi consistere, integris ostendit voluminibus. De iis autem, quæ participatione bona sunt, in primo de legibus libro, hoc modo; Bonorum duo sunt genera, humanum videlicet atque divinum; & quæ sequuntur. Si quid autem separatum primique illius expers sit essentiæ, ab incipientibus hoc appellari bonum, majus possidenti malum esse in Euthymedo ait. Quod vero virtutes per seipsas eligendas existimet, ex eo consequitur, quod solum honestum bonum esse censet: idque cum multis in dialogis, tum maxime passim in iis, quos de Republica scripsit, demonstratur. Quapropter hominem,

qui

qui eam, de qua diximus, consecutus sit scientiã, felicissimũ beatissimumque existimat. Non tamen honorum causa, qui ejusmodi sequuntur virum neque alicujus alterius pręmii gratia: sed licet ab universis ignoretur hominibus, eaque etiam, quæ vulgo mala putantur, infamiæ, exilia & mors, illi eveniant, nihilominus beatum fore. Contra hominem sine hac scientia, licet cuncta, quæ vulgus bona prædicat, possideat, divitias dico, regna, sanitatem, robur & formam, nihilo magis beatum esse. Quibus omnibus consentientem finem induxit, Dei ipsius, quoad humanum genus assequi id potest, similem fieri. Varie autem hoc exponit. Interdum quippe similitudinem Dei dicit, prudentem, justum, sanctumque esse, quemadmodum in Theæteto. Quare adnitendum esse, ut hinc ad illa quam citissime fugiamus. Fugam vero esse, similitudinem Dei: quatenus id fieri potest, similitudinem autem in prudentia, justitia, sanctitate. Nonnunquam etiam in sola justitia, quemadmodum ultimo de Rep. libro. Neque enim a Deo unquam deseritur, quamdiu conatur iustus evadere: ipsaque virtutis actione, quantum quidem licet homini, Deo similem evadere. In Phædone vero, Dei similitudinem per temperantiam justitiamque acquiri sic asserit. Nonne beati felicesque sunt, & in optimum hinc locum migraturi, qui popularem civilemque virtutem, quam temperantiam & justitiam vocant, exercuerunt? Rursus interdum vitæ finem esse statuit, Dei similem fieri: interdum sequi Deum: ut cum inquit: Deus profecto, ut antiquus sermo testatur, cum principium, medium, finemque rerum omnium contineat, &c. Nonnunquam utrumque conjungit, ut cum inquit: Animam Deum sequentem atque illi similem factam, &c. Etenim utilitatis principium bonum ipsum est, hoc autem ex Deo dicitur. Consentiens ergo principio finis erit, Deo similem effici; Dei scilicet cœlestis, vel potius, supercœlestis, qui virtutem quidem non habet, est tamen virtute præstantior. Quamobrem recte quispiam dixerit, κακοδαιμονίαν, id est, miseriam, dæmonis perversitatem esse: εὐδαιμονίαν vero, id est, beatitudinem, bonum dæmonis habitum. Tandem vero ad ipsam Dei similitudinem accedemus, primum si convenientem ac aptam nacti fuerimus naturam, tum si mores & educatio & sensus, cum lege congruentes accedant; postremo, quod præcipuum est, rationem, disciplinam, ac contemplandi a sapientibus tradi tam adhibeamus consuetudinem. Ut hac ratione ab humanis, ut plurimum recedamus rebus, semperque in eorum, quæ intelliguntur tantum, contemplatione versemur. Præparationes autem & quasi purgationes ejus, qui in nobis est dæmonis, si majoribus initiari volumus disciplinis per Musicam, Arithmeticam, Astronomiam ac Geometriam fiet optime. Habita etiam corporis per Gymnasticam ratione: quo promptius ad opera tum pacis tum belli reddatur.

CAP. XXVIII.

Definitio virtutis atque distinctio.

Cum vero res quædam divina sit virtus, ipsa quidem affectio est animæ perfecta & optima,

quæ exornat hominem, eundemque firmum ac constantem, tum vero consonum, qua in agendo, qua in dicendo, sive solus id agat, sive etiam cum aliis. Ex virtutibus autem quædam in parte rationali, quædam in rationis experte ponuntur. Nam cum alia sit natura rationalis partis, alia irascendi potentiæ, alia etiam concupiscendi; diversa quoque harum erit perfectio. Ac rationalis quidem perfectio, prudentia, alterius fortitudo, postremæ erit temperantia. Et prudentia quidem bonorum malorumque, & quæ media inter utrumque sunt, est scientia. Temperantia est apta cupiditatum atque appetitionum moderatio; tum quæ obedire docet illi parti, quam principalem vocamus, hæc autem est illa, quæ ratione est prædita. Cum autem moderationem quandam & obedientiam tribuimus temperantiæ, nihil aliud intelligi volumus, quam facultatem eam esse quandam quæ efficit, ut decenti ordine summaque obedientia appetitiones ei se subiiciant, quod natura imperare debet: hoc autem pars rationalis est. Fortitudo est legitima decreti difficilis ac non difficilis observatio: hoc est legitimi decreti conservatrix facultas. Justitia est consensio quædam horum inter se omnium: sive facultas, quæ efficit, ut tres animæ inter se conveniant partes, utque singulæ in eo, quod proprium sibi est, & ad se pertinet cum dignitate versentur: atque ita communis quædam & integra harum trium virtutum, prudentiæ, fortitudinis, ac temperantiæ sit perfectio, ita ut ratio imperet, reliquæ vero partes pro sua proprietate singulæ, cohibeantur a ratione, moremque illi gerant. Quamobrem & virtutes consequi se invicem putandum est. Fortitudo enim cum legitima decreti sit conservatio, etiam rectæ rationis erit conservatrix. Recta autem ratio a prudentia proficiscitur. Quin etiam prudentia cum fortitudine cohæret: illa enim bonorum est scientia. Nemo enim bonum potest cernere, quamdiu timiditate perturbationibusque involvitur similibus. Eodem modo neque omnino cum intemperantia, & universe, si a perturbationibus vincatur, prudens esse potest aliquis. Denique quodcunque præter rectam rationem fit ab homine, id per imperitiam atque imprudentiam fieri ab eo vult Plato. Ut nemo possit prudens esse, qui sit aut intemperans aut timidus. Unde sequitur, perfectas inter se cohærere, neque separari posse virtutes.

CAP. XXIX.

De virtutibus ac vitiis & horum distinctionibus.

Dicuntur & aliquo quodam modo virtutes, naturæ dotes & progressus in illis: quæ ob similitudinem cum perfectis virtutibus, idem sibi nomen assumunt. Sic omnes milites fortes quandoque dicimus, nec non imprudentes ac temerarios quosdam, fortes aliquando prædicamus, cum tamen non de perfectis loquamur virtutibus: quia perfectæ nec crescunt nec decrescunt unquam. Intenduntur vero & remittuntur vitia: unus siquidem altero imprudentior est & injustior. Quin nec ipsa inter se sequuntur vitia: sunt enim contraria

quædam, quæ eidem non competunt Sic se habet ad timiditatem ferocitas, & ad avaritiam prodigalitas. Neque inveniri quisquam potest omnium, qui cunctis simul obsitus sit vitiis: quemadmodum nec corpus cunctis simul morbis afflictum. Accipienda est insuper media quædam affectio, quæ nec ad vitium, neque ad virtutem plane inclinet. Neque enim universos vel probos vel improbos necesse est esse homines. Nam hujusmodi sunt, qui jam ad summum horum pervenerunt: quippe cum non sit facile e vestigio a vitio ad virtutem progredi. Longo enim intervallo extrema inter se distant, & sunt contraria. Virtutum præterea quasdam esse principes, quasdam vero comites harum, putandum est. Principes, quæ in parte animæ rationali, a quibus & ceteræ virtutes perficiuntur. Comites vero, quæ in altera parte affectibus obnoxia. Hæ siquidem honesta faciunt, secundum rationem, non quæ in ipsis est (neque enim habent) sed quam a prudentia accipiunt, quæ consuetudine in illis confirmata & exercitatione est. Cum autem nec scientia nec ars in alia parte animæ quam in rationali consistat, eæ, quæ in altera parte affectibus obnoxiæ sunt virtutes, nequeunt doceri, quia nec artes sunt, nec scientiæ. Neque enim propriam doctrinam habent. Prudentia ergo cum sit scientia, quæ cuique propria sunt, præscribit, quemadmodum gubernator nautis suggerit nonnulla, quæ ab illis ignorantur. Eadem quoque ratio in milite & exercitus duce. Cum vero mala & intendantur & remittantur, delicta paria nequaquam erunt, sed quædam majora, minora alia. Quam ob caussam conditores legum quædam lenius, quædam asperius puniunt. Et quamvis ipsæ virtutes summitates quædam sint, quod perfectæ, ac illi quod rectum est, sint similes: alio tamen modo, mediocritates dicuntur, quod circa singulas vel saltem plurimas, duo utrinque vitia conspiciuntur, quorum alterum excessu, alterum defectu peccat. Velut circa liberalitatem, hinc sordes, inde prodigalitas cernitur. Quippe in affectibus discedítur a modo, cum id, quod est in virtute positum, aut excessu relinquimus, aut defectu. Neque vero, qui cum parentes contumeliose suos accipi videt, nihil movetur, neque qui ex quibuscunque minimis effertur, moderatus esse in affectibus dicendus est: sed omnino contra item, qui parentibus vita functis nihil dolet, affectu caret, qui vero mœrore semet conficit, affectus modum excedit: aut qui mediocriter tristatur, moderate affectus dicitur. Sic qui in omnibus trepidat & plusquam oportet, formidolosus: qui nihil omnino metuit, ferox: fortis vero, qui in timore simul atque audacia, servat modum. Eademque ceterorum quoque omnium est ratio. Quoniam vero id quod medium est in affectibus, idem quoque optimum est, nec aliud est mediocritas, quam id quod inter excessum atque defectum est medium. Ideo virtutes hujusmodi mediocritates dictæ sunt: quod in perturbationibus humanis & affectibus, medio quodam modo nos affectos reddunt.

CAP.

CAP. XXX.

Quomodo virtus voluntaria, involuntaria improbitas.

QUoniam vero si quid aliud in nostra potestate consistit, nec coactum est, ejuscemodi præcipue virtus est: (nec enim laude dignum esset id quod honestum est, si vel natura, vel divina sorte contingeret) sequitur, ut voluntaria sit virtus, quæ ex impulsione quadam ignea, generosa nascitur ac stabili. Ex hoc ergo quod voluntaria sit virtus, vitium esse involuntarium concluditur. Quis enim in parte sui præstantissima, id quod malorum omnium maximum est, sponte unquam eligat? Quod si quis in vitium fertur, primum quidem non ut in malum, sed vel ut in bonum potius inclinatur. Et si in malum nihilominus labitur, certe decipitur, quod hac via per minus aliquod malum ad majus aliquod adspirat bonum, atque hoc modo invitus accedit. Neque enim fieri potest, ut quis eo animo ad mala feratur, ut hæc consequatur: non spe boni alicuius, aut metu maioris mali. Quamobrem omnia quæ improbe improbus agit, ab invitis fiunt. Nam cum iniustitia involuntaria sit, multo magis iniuste agere involuntarium erit, quo deterior ipsa vitii actio est quam otiosus eius habitus. Quamvis autem involuntaria sint quæ iniuste fiunt, puniendi nihilominus qui agunt iniuste: & quidem non uno modo, quemadmodum quæ inferuntur per iniuriam ab illis diversa sunt damna. Involuntarium præterea in ignorantia quadam vel perturbatione consistit. Quæ profecto omnia, vel ratione, vel bona consuetudine averti possunt, vel diligentia. Tantum vero malum iniustitia est, ut iniuria affici præstet, quam iniuriam inferre. Alterum enim improbi, alterum est infirmi. Et cum turpe sit utrumque, tanto tamen iniuriam inferre peius est, quanto turpius. Conducit præterea improbo dare pœnas, quemadmodum ægro corpus curandum dare medico. Omnis enim castigatio, quædam peccantis animæ est medicina.

CAP. XXXI.

Quid affectus, & de divisione eorum.

QUoniam vero virtutes quamplurimę circa affectus perturbationesque versantur, ipsi iam definiendi videntur affectus. Est igitur affectus, ratione carens animi motus, ex bono aliquo excitatus aut malo. Irrationalis motus ideo dictus est, quia nec iudicia nec opiniones affectus sunt, verum animæ quæ ratione carent partium motus. In parte enim animę rationis experte motus sunt, qui etsi in operibus existunt nostris, nihilo tamen magis in nostra sunt potestate. Sæpe quippe invitis nobis innascuntur & reluctantibus. Quandoque enim accidit, ut etiam si cognoscamus ea quæ incidunt, nec tristia esse nec grata aut expetenda, nec etiam metuẽda; nihilominus ab iis trahamur. Quod sane nunquam fieret, si perturbationes eiusmodi, idem essent quod iudicium. Iudicia enim tunc reiicimus, cum ea improbamus, sive recte, sive secus. Addidimus in definitione præterea, ex bono aliquo aut malo natus; quia ex eo quod inter illa medium est aut indifferens,

rens, affectus nunquam in nobis concitatur. Quatenus enim bonum aliquid videtur aut malum, perturbationes omnes nascuntur. Bonum enim si adesse videmus, lætamur, si adfuturum, concupiscimus: malum contra cum adest dolemus, cum imminet, metuimus. Simplices præcipuique affectus & quasi reliquorum elementa, sunt duo; voluptas scilicet & dolor. Cæteri autem ex iis constant & quasi sunt formati. Neque enim timor iis & concupiscentia quasi simplices quidam principesque annumerandi sunt. Quoniam qui metuit, non omnino voluptate privatus est: neque enim vel minimum aliquis tempus vivere poterit, qui se aut liberari a malo posse aut levari salutem desperarit. Abundat tamen atque excellit dolor in eo ac molestia, ideoque moeret. Et qui concupiscit, quod in expectatione potiundi ejus manet quod concupiscit, delectatur. Cum vero non penitus confidat, nec firmam sat spem habeat, tristatur. Quod si cupido ac metus minime simplices sunt principesque, sine controversia id sequitur, nullum quoque reliquorum affectuum simplicem esse; iram inquam, desiderium, æmulationem, ceteraque hujusmodi. In iis enim voluptas conspicitur & dolor, ut qui ex iis sint conflati. Affectus præterea alii agrestes, alii mansueti sunt. Mansueti quidem quicunque natura hominibus insunt, qui si modum tenebunt, necessarii sunt ac proprii hominibus: sin vero hunc excedunt, vitiosi sunt. Ejusmodi sunt, voluptas, dolor, ira, misericordia, verecundia. Proprium quippe est hominibus, iis quæ secundum naturam accidunt, delectari, contrariis vero dolere. Et ira quidem ad repellendam, ulciscendamque necessaria est injuriam: misericordia humanitati convenit: verecundia vero, ut a rebus declinemus turpibus, nos impellit. Alii sunt agrestes affectus, qui præter naturam sunt: cum ex depravatione aliqua aut perversa nati sint consuetudine. Hujusmodi sunt, risus effusior, & in malis quæ alteri eveniunt, exultatio, & humani generis odium: qui sive vehementes atque intensi, seu remissi sint, aut quocunque modo se habeant, semper aberrant, medioeritatemque laudabilem nullam prorsus admittunt. De voluptate autem & dolore, sic inquit Plato: Hos videlicet affectus, a natura quodammodo in nobis concitari. Cum dolor iis accidat & tristitia, qui præter naturam moventur: voluptas autem iis, qui in constitutionem naturæ suæ propriam restituuntur. Existimat enim naturalem hominis statum esse, medium inter voluptatem atque dolorem, dum neutro movetur: quo in statu plurimum tempus vivimus. Plures item tradit voluptatum esse species: quarum aliæ corporis, aliæ sunt animæ. Rursus ex voluptatibus alias cum contrariis conjunctas, alias puras esse. Alias rursus ex præteritorum recordatione, alias ex futurorum spe nasci. Rursus alias turpes, quæ intemperantes, & injustæ, alias moderatas, & cum ipso bono conjunctas. Sicut gaudium bonorum causa, & quæ virtutem comitantur, voluptates. Cum vero voluptates plurimæ natura sua

sint

sint turpes, nequaquam disputandum esse censet, utrum simpliciter & absolute bonum esse possit voluptas. Exilis enim nulliusque pretii ea videtur esse, quæ alteri natura agnascitur, nec principem habet aut primariam essentiam. Quippe quæ cum contrario cohæreat suo: ut quæ cum dolore conjungatur. Quod nunquam fieret, si alterum simpliciter esset malum.

CAP. XXXII.

De Amicitia.

Amicitia proprie dicta, non aliter quam per mutuam fit & reciprocam benevolentiam. Hæc vero tunc existit, cum uterque, non minus de alterius quam de sua est sollicitus felicitate: quæ quidem æqualitas non aliter quam per similitudinem conservatur morum. Simile enim simili, modo moderatum sit, est amicum: intemperata vero, neque inter se, nec cum moderatis possunt convenire. Sunt & aliæ quædam, quæ putantur, nec sunt tamen amicitiæ, in quibus aliqua apparet virtutis species, cujusmodi est naturalis parentum in liberos cognatorumque inter se benevolentia, nec non ea quæ civilis ac sodalitia nuncupatur. Quas non semper mutua comitatur benevolentia. Species præterea quædam amicitiæ, amatoria est. Est autem amandi ratio, quæ honesta, animi generosi, quæ turpis, perversi, quæ media, ejus qui medio modo affectus. Etenim quemadmodum tres in animalis ratione præditi anima sunt habitus, unus rectus, unus turpis, unus medius horum; ita & amandi rationes, specie inter se diversæ. Quod maxime fines diversi, quos proponunt sibi, declarant. Et turpis quidem a sola corporis voluptate abripitur: ideoque plane est brutalis. Honestus vero solum respicit animum, quatenus quædam in eo virtutis indicia appareant. Medius utramque & corporis appetit pulchritudinem & animi. Quo amore qui dignus est, etiam medius est: hoc est nec honestus plane nec improbus. Quare eum qui circa corpora versatur Amorem, Dæmonem appellare potius quam Deum oportet: cum nunquam in humano fuerit corpore, sed divina deferat ad homines, & vice versa. Cum vero amatoria hæc ratio in tres vulgo fit distincta species, ut jam diximus, boni viri amor, cum a vitiosis remotus sit affectibus, artificialis est. Unde & in rationali animæ parte collocatur. Quæ autem de eo præcipiuntur, hæc sunt: ut quis dignoscat, quis amore dignus sit, eumque paret sibi amicum, & cum paraverit fruatur. Dignoscit autem vel ex proposito, vel ex appetitionibus: an generosæ sint, an bonum finem sequantur, an violentæ & calidæ. Parabit autem eum quem in deliciis habiturus est, non lasciviendo, aut ut extollat eum nimium: sed ut castiget potius, ostendatque non expedire illi, ut eo pacto vivat, quemadmodum nunc habet. Cum autem amasio suo fruetur, ad ea semper eum adhortabitur, quibus, exercitatus ad perfectum pervenire habitum poterit. Finis autem illis est, ut ex amante & amato, amici tandem fiant.

CAP. XXXIII.

De speciebus Reip.

RErum publicarum quasdam esse dicit suppositas, quas in libris de Republica tradidit. In iis enim priorem quidem concordem, secundam vero dissidentem descripsit & flagrantem, quærens utra sit præstantior istarum, & quo pacto sint constituendæ. Est & apud eum juxta divisionem animæ, in tria membra divisa Respublica, in custodes, adiutores, artifices. Quorum primis hoc tribuit, ut consulant & imperent. Secundis, ut cum opus est armis Remp. propugnent: qui irascendi facultati respondent. Postremis artes ac ministeria cetera. Principes autem vult esse philosophos, & primum contemplari bonum. Hoc enim modo duntaxat, ipsos recte administraturos esse omnia: quippe nunquam a malis liberari humanum genus posse, nisi aut philosophi regnent, aut qui regnant divina quadam sorte philosophentur. Optime enim & cum justitia tunc administrari Rempub. cum unaquæque civitatis ita suo munere fungitur portio, ut principes consilium dent populo: propugnatores illis pareant, ac pro illis prælientur: reliqui vero superioribus libenter gerant morem. Formas autem Reipub. facit quinque. Primam Aristocratiam, cum optimates imperant: secundam Timocratiam, cum ambitiosi regunt: tertiam Democratiam, cum populus: quartam Oligarchiam, cum pauci: postremo Tyrannidem, quæ omnium est pessima. Describit quoque alias ex suppositione Respublicas, cujusmodi est, quæ libris de legibus instituitur, & quæ ex emendatione in epistolis extat. Qua apud eas civitates utitur, quas ægrotare in libris dixerat de legibus: quæ & distinctum jam locum, & ex omni ætate electos habent homines: ut pro diversitate vel naturæ suæ vel loci, diversa quoque institutione & educatione egeant, & armis. Qui enim maritimi, navigationi studeant, & navalia gerant prælia: qui mediterranei, pedestrem gerant pugnam atque armaturam: leviorem, qui montes; graviorem, qui colunt littora. Nonnulli quoque ex iis equestrem pugnam exerceant. In hac vero civitate, nequaquam communes facit mulieres. Est igitur Politice, virtus quæ in actione simul & contemplatione versatur, cui propositum est bonam beatamque ac sibi convenientem efficere civitatem. Considerat præterea & alia infinita: sed inter alia & hoc, bellumne sit gerendum nec ne, considerat.

CAP. XXXIV.

De Sophista.

HActenus cujusmodi sit philosophus dictum fuit: a quo differt sophista. Primo quidem moribus, quod mercede doceat juvenes, & videri magis quam esse bonus honestusque velit. Materia autem, quod circa illa quæ semper eadem sunt, & eodem modo se habent, versetur philosophus: sophista in eo quod non est: atque ita tenebras, ne appareat qualis sit, sectetur. Illi namque quod est, id quod non est, hautquaquam opponitur. Siquidem hoc nec existit, nec substantiæ ullius est particeps, nec etiam intelligi potest. Quod quidem

si quis vel voce exprimere, vel cogitatione complecti conabitur, aberrabit: quia contraria & pugnantia complectitur. Est autem id quod non est, quatenus auditur, non nuda ejus, quod est, negatio, sed quod aliquid ad alterum relatum subindicat: quod enti quodam modo adiungitur. Ut nisi simul aliquid ab ente quodam modo assumserit, ab aliis distingui non possit. Nunc autem quot sunt, quæ sunt, totidem modis quod non est, profertur. Quoniam quod non est, quodam ens, id est non ens.

Et hæc quidem ad introductionem quandam in philosophiam Platonicam, dicta sufficiant. Quorum nonnulla forte ordine, cetera sparse & confuse tractavimus. Quæ tamen sufficere videntur, ut ex iis aliquis reliqua quoque ejus placita contemplari atque indagare possit.

Post disputationem adeo seriam non abs res fuerit poeticum lusum Lectori de eodem argumento exponere.

DISSERTATIO PLATONICA
QUA EXPLICATUR
HIERONYMI BENIVIENI
HYMNUS IN AMOREM
EX ITALICO
JOANNIS PICI COMITIS MIRANDULÆ
IN LATINUM SERMONEM
TRANSLATA.

PARS I.
SECT. I.

* Observandum a Stanleio in Anglica sua versione prætermissa nonnulla fuisse, quæ minus ipsi necessaria visa sunt. Nos itaque, quibus Stanleianam dare propositum, id sequendum duximus: quamvis ubique ad manum fuerit textus originalis,

PRæcipuum dogma, & fundamentale imprimis, Platonici habent, quod unaquævis res triplici modo essentiam habere possit, vel ut causa, vel quatenus ea tanquam forma sua gaudet, vel quatenus ex ea participat. Sic in sole calor non est, est enim ille modus elementis tantum conveniens, minime vero naturæ cœlesti: Et tamen omnis caloris fontem atque originem solem habemus. Ignis natura sua calet, & calore tanquam forma sua est præditus. Lignum vero non suo ingenio est calidum, sed illius qualitatis ab igne redditur particeps. Atque adeo calor in sole est tanquam causa sua, in igne tanquam forma, lignis, & ceteris, quibus pascitur ignis, eo quod participare ex eo possint. Horum modorum nobilissimus est, quando essentia aliqua rei tanquam causæ suæ inest, unde Platonica schola eo modo in Deo esse quicquid est perfectionis agnoscit, nihil esse in eo, ab eo omnia docens: Intellectum in ipso non esse statuens, sed fontem esse dicens ipsum omnis intelligen-

ad quem utroque oculo semper respeximus.

Ennead. VI. L. VII. c. 3 ligentiæ. Atque ea Plotini sententia est dicentis; *Deus neque intelligit, neque cognoscit*, nempe ita, ut forma ejus evadat sive cognitio sive intelligentia; quemadmodum & Dionysius Areopagita ait: *Deus neque intellectualis natura est, neque intelligens, sed ineffabili modo omnem intelligentiam superans, atque scientiam.*

SECT. II.

Res conditas vero omnes in tres classes dispertiuntur Platonici. Prima corpore gaudentes continentur, & obviæ sensibus, quales cœlum, elementa, & ex iis composita omnia. Ultima comprehendit res sensibus non assequendas, omni modo corporeæ naturæ expertes, quæ *intellectuales* propriè naturæ, a Theologis *Angelica* appellantur. In his vero media earum est classis, quæ, licet corporeæ non sint, neque sensibus pateant, morti sive succumbant, motum tamen corporibus largiantur, id sibi demandatum habentes officii: his vero *anima rationalis* nomen datum, *Angelis* quæ sint inferiores, sed excellentiores quam *corpora*; Illis quidem obnoxiæ, horum vero imperium tenentes. Hisce classibus tribus præest ipse *Deus*, Autor & princeps rerum conditarum omnium, quæ universæ, in suo fonte & principio spectatæ, in natura *divina* sunt tanquam *causa* sua: atque ab ea in natura *angelica* mediate procedentes, secundum modum *essentia* fortiuntur, quo scilicet *ea* tanquam *forma* sua induuntur: inde porro derivatione in *animam rationalem*, per splendoris *angelica* naturæ *participationem*, facta, infra quam posita nulla alia, res est quæ *divina* nomen valeat usurpare.

SECT. III.

Trium istarum naturarum primam, multiplicem esse haut posse, una quæ sit principium & causa omnis *divinitatis*, a Platonicis, Peripateticis, & Christianis Theologis communi studio probatur. Circa *secundam* vero rerum classem, quæ *Angelicas* naturas, sive intellectuales, complectitur, dissensus inter Platonicos observatur. Sunt qui cum Proclo, Hermia, Syriano, & reliquis vastum rerum conditarum numerum, inter *Deum* & *rationalem animum* mediarum agnoscant, quarum aliæ *νοητὰ*, aliæ *νοερὰ* ipsis audiunt; illas *intelligibiles*, has *intellectuales* forte non incommode dicas, quas tamen a Platone tum in Phædone, tum alibi, haut raro voces confundi animadvertas. Plotinus contra, Porphyrius, & qui magis subtiles videri cupiunt ex Platonis schola, tantum non omnes, inter Deum & mundi animam non nisi unicam rem genitam admittunt, quam filium Dei vocant, quod nulla alia re intercedente ab ipso sit procreatus. Harum opinionum prior Dionysii Areopagitæ & Christianorum Theologorum magis consentanea est doctrinæ, qui angelorum infinitum quodammodo numerum admittunt. Posterior vero philosophiam magis decet, optime Aristotelis & Platonicis conveniens placitis, quorum jam explicare sententiam nobis propositum est unice. Deserta igitur priore via, quamvis sola illa, sit vera, ad

posteriorem, nos conferemus.

SECT. IV.

Cum Plotino igitur nobis affirmandum, suffragantibus non tantum Platonicorum nobilissimis, sed ipso Aristotele quoque, & Arabibus, Avicenna imprimis, Deum ab æterno creaturam produxisse naturæ incorporeæ, intellectualis, ejus perfectionis, quæ in rem conditam competere possit, & cui similem produceret nullam. Nempe perfectissimæ causæ perfectissimum esse oportebat opus, perfectissimum autem quod est, non esse nisi unum potest. Duo enim si fingas vel plura, fieri non potest ut unum non sit magis minusve quam reliqua perfectum, alias non possent diversa esse, idem plane futura. Hanc vero pro tuenda opinione ista rationem, ei quæ Avicennæ allegatur præferendam duxi, illi nixæ principio, quod ab una causa, qua una est, unicum tantum procedere effectum possit. Concludimus ergo nullam creaturam, nisi solam hanc primam mentem, a Deo immediate procedere. Ceterorum enim operum a mente ista procedentium omnium, causarumque secundarum reliquarum, quæcunque illæ sint, causa mediata est Deus. Mens vero illa a Platone, Hermete, Zoroastre & aliis *Filia Dei* appellatur, *mens*, *Sapientia*, *ratio** vel ut alii interpretantur *verbum* Dei, neutiquam, quod nostris Theologis familiare est, iis nominibus filium Dei intelligentes, qui creatura non est, sed ejusdem atque æqualis cum Creatore essentiæ.

* λόγος.

SECT. V.

Omnia porro quæ agunt intelligenter, inseipsis formam habent & lineamenta ejus quod efficere parant. Sic architectus animo ædificii quod molitur exemplar complectitur, quod imitari quantum potest conatur. Atque hoc est quod *Ideam* Platonici sive *exemplar* appellant, perfectiusque esse credunt eo, quod ad illud confici solet, illud entium genus *ideale* & *intelligibile*, hoc materiale & sensibile vocantes. Ea ratione architecto domum extruente, duas esse formas censent, in mente ejus alteram, eamque intelligibilem; alteram sensibilem, quam ex lapidibus lignisque & reliquis componit, materiam illam forma, mente concepta, imbuens. Eo a *Dante* nostro allusum.

Vis pingere formam.
Non pinges, nisi mente prius talem induis ipse.

Hinc jam porro inferunt, Deum, unicæ licet conditorem creaturæ, omnium tamen autorem habendum esse, quoniam in una illa *ideas* & *formas* ceterarum produxerit omnium, & quidem in *idea*, hoc est modo earum perfectissimo. Quæ causa est, quod *mentem* illam *mundum* appellent intelligibilem.

SECT. VI.

Mentem igitur illam exemplar continere affirmant, ad quod sensibus patens hic mundus conditus sit. Cum vero exemplar istud omnium rerum creatarum, sit perfectissimum, exemplatum ea perfectione esse, quæ modo cadere in ipsius naturam possit, hinc consequens est. Quandoquidem igitur inanimatis animata præstant perfectio-

fectione, & inter hæc brutis ratione prædita sunt excellentia magis, mundum huncce animam habere concludendum est, omnibus aliis perfectam magis. Atque hæc prima est rationalis anima, quæ incorporea licet sit, & materiæ expers, regendæ tamen & movendæ corporeæ naturæ est destinata, neque ita a corpore libera, ut mens illa, a quo derivata ab æterno fuit, perinde ac ipsa mens ea a Deo fuerat derivata. Hinc mundum æternum esse Platonici concludunt, talis cum anima ejus sit, quæ cum corpore destitui nequeat, id quoque æternum esse, inde conficitur: quemadmodum & cœlos inde moveri ab æterno inferunt, anima sine motu hautquaquam subsistente.

SECT. VII.

ANtiquiores paganorum theologi, qui fabularum peplo mysteriorum suorum involvunt facies, aliis nominibus tres istas naturas designare amant. *Deum* in seipso *cælum* appellantes, a quo productam *primam mentem* dixere *Saturnum*. *Saturnus* mundi genuit *animam*, quæ *Iupiter* est apud ipsos. *Cælum* id, quod *prius* est, indicat & excellentius, quemadmodum *primum* in firmamento *cælum* est. *Saturnus* naturam significat intellectualem, in contemplatione defixam penitus. *Iupiter* vitam activam, quæ eo continetur, quod inferiora omnia moveat & gubernet. Estque convenientia eorum, quæ de ultimis duobus diximus cum iis, quæ Planetis ejus nominis tribuuntur. *Saturnus* enim *contemplationi* idoneos facit, Iupiter *imperio*. *Contemplationi* deditus circa res superiores, circa *inferiores* qui vitam activam sequitur, occupantur.

SECT. VIII.

TRium vero istorum nominum promiscui usus sequens est ratio: In Deo *primum* excellentiam ejus consideramus, qua tanquam causa omnibus operibus suis præstat, eamque ob rationem *Cælum* vocatur. *Secundo* productionem operum istorum, quæ conversionem ad inferiora importat: atque eo intuitu *Iupiter* quandoque appellatur, sed cum addito *optimi*, *maximi*. Prima vero natura Angelica pluribus nominibus gaudet, ut in qua sit major diversitas. Consistit autem unaquævis creatura *potentia* & *actu*, illam in Philebo *infinitam* dicit Plato, hunc *finitum*. Omnis in mente imperfectio est ex *potentia*, perfectio omnis ex *actu*. Operatio ejus triplex, vel enim circa superiora occupatur, atque ea est Dei contemplatio: vel circa sui ipsius cognitionem: vel circa inferiora, quæ est productio & cura sensibilis hujus mundi. Atque triplex hæc operatio ab actu procedit. *Potentia* ad inferiora facienda descendit, utraque vero seipsam in seipsa confirmat. Ratione duarum priorum *operationum*, ad contemplationem quippe spectantium, *Saturnus* vocatur: ratione tertiæ *Iupiter*, quod nomen præcipue etiam *potentia* ejus tribuitur, ut a qua actus, quo producuntur res omnes, pendeat. Eadem ratione mundi etiam anima, quousque seipsam vel superiora contemplatur, *Saturnus* dicitur, *Iupiter* vero, quatenus in ordinandis rebus mundanis versatur. At quoniam ad eam proprie mundi spectat guberna-

tio, ad mentem vero contemplatio, hinc *Jupiter* ista, hæc *Saturnus* absolute solent appellari.

SECT. IX.

Iste igitur mundus, perinde ac ceteræ creaturæ, *anima* & *corpore* constat. *Corpus* omnia, quæ oculis videmus, absolvunt, ex quatuor elementis composita. Illa omnia suum *esse causale* in cœlis habent, quæ ex talibus perinde ac sublunaria non constant, alias enim inferiores partes ante cœlestes conditas esse, affirmandum, cum elementa simpliciora sint, atque concursu suo tales res, quales componuntur ex iis, efficiant: *formale* vero *esse* suum a luna inde usque ad terram obtinent: *Esse* denique imperfectum, quod in *participatione* est, infra terram: in ea enim inveniri ignem, aerem, aquam experientia docet, & Physici probant. Eoque ænigmatibus suis veteres alludunt Theologi, quatuor inferorum flumina commemorantes, *Acheronta*, *Cocytum*, *Styga*, & *Phlegethonta*.

Mundi vero *corpus* in tres dividere partes non incommode possis: *cœlestes* nempe, *mundanas*, *inferas*. Quod fundamentum est fabularum, quibus Poetæ *Saturni* regnum in *tres filios* ejus, *Jovem*, *Neptunum*, *Plutonem* divisum docent. Quibus nihil aliud profecto, quam corporei mundi triplicem diversitatem indicant, qui quamdiu *Saturnio* manet obnoxius, hoc est ideaiem atque intellectualem essentiam suam obtinet, unus est & indivisus, majoreque adeo soliditate gaudet & potentia. In filiorum vero suorum manus postquam incidit, hoc est, ubi in materialem hunc mundum convertitur, atque ita in *tres partes* dividitur, juxta triplicem corporum conditionem, imbecillior evadit, atque potentiam accipit deminutam, a spirituali nempe statu ad corporeum deficiens. Primam partem *cœlestium* rerum *Jovi* attribuunt, postremam & *infimam Plutoni*, denique *Neptuno mediam*. Et quoniam in *medio* illo imperio omnis generatio peragitur & corruptio, hinc Theologis *Oceani* nomine, fluxusque & refluxus continui imagine, significatur, Numen esse volentibus *Neptunum*, quod rerum generationibus præest. Non tamen diversos, *tres illos*, animos esse putandum, distincte partes illas animantes. Mundus enim, unus cum sit, unam tantum animam potest habere, quæ, *subterraneas* qua animat partes, *Pluto* dicitur, *Neptunus*, qua *sublunares*, qua *cœlestes* denique *Jupiter*. Ita Plato in Philebo per *Jovem* regiam animam intelligi agnoscit, h. e. partem mundi principalem, a qua reliquæ gubernantur. Quam opinionem, mihi licet peculiarem, verosimilem tamen magis esse puto, quam Græcorum commenta.

SECT. X.

Post mundi animam, aliasquoque haut paucas *rationales animas* Platonici admittunt. Inter quas præcipuæ sunt *octo illæ*, quas Sphæris cœlestibus præficiunt, plures enim haut esse putant sphæras, septem earum planetis, octavam cœlo sidereo absolventibus. Atque istæ *novem* sunt Poetarum *Musæ*; Quarum prima, *Calliope*, est anima universi, reliquæ *octo* totidem Sphæris attribuuntur.

SECT.

SECT. XI.

AFfirmatum autem Platoni, mundi autorem & mundi animam, & reliquas quæ ratione gaudeant omnes, fecisse, uno cratere, elementis iisdem, maximam perfectionem obtinente *anima universi*, minima eis quæ nobis sunt *animabus*. Nostrę autem animæ partes optime sequente divisione assequemur. Homo, vinculum quo mundus conjungitur, in medio consistit. Ut vero omnia media ab extremis participant, ita hominis quoque partes mundo universo apte respondent, quamobrem *Microcosmus* etiam appellatur. In mundo autem primo *corporea* natura est obvia; æterna in cœlis, corruptioni obnoxia in elementis, & quæ ex iis componuntur lapidibus, metallis & rel. Ei secundo loco *vegetabilia* succedunt. Tertium locum *bruta* occupant animantia. Quartum animæ *rationales*. Quintum *angelica mentes*. Quibus omnibus superior *Deus* est rerum omnium principium. Simili ratione in homine duo sunt corpora, *æternum* alterum, quod *cœleste vehiculum* Platonicis dicitur, in quod nullo intercedente medio anima rationalis operatur: *corruptibile* alterum, sensibus obnoxium, ex elementis compositum. Tum *vegetativa* facultas, qua generatur & nutritur. Inde *sensitiva* & *locomotiva*. Quarto *facultas rationalis*, quam Peripatetici ultimam & nobilissimam animæ rationalis partem credebant. Attamen ea superior *Angelica* est, & *intellectualis*, cujus partem excellentissimam *conjunctionem* animæ vocamus, qua cum Deo ipsa immediate conjungitur, similis ei facta quodammodo: quemadmodum ceteris partibus Angelis, bestiis, plantis magis est similis. Circa has vero nonnullus est inter Platonicos dissensus, Proclo & Porphyrio soli *rationali* parti, Numenio vero & Plotino *toti anima* immortalitatem largientibus.

SECT. XII.

IDeæ *esse* suum *causale* in Deo habent, *formale* in mente prima, *participatum* in anima rationali. In *Deo* non sunt, ab eo productæ tamen sunt in *natura angelica*, unde derivatæ in *animam* sunt, quæ illis illuminata, dum in partem suam intellectualem intuetur, veras rerum *formas*, h.e. *ideas*, concipit. Atque in eo positum est *animorum humanorum a cœlestibus mentibus* discrimen. *Hæ* enim corporeas obeuntes functiones, ab intellectuali tamen non discedunt operatione, simul contemplationi & gubernationi vacantes, ut quæ ad corpora non descendant, ascendentibus potius ad ipsas corporibus. *Humani* vero animi, corporeis muniis detenti, contemplatione destituuntur, scientiam a sensibus mutuantes, iisque addicti, erroribus sunt obnoxii. Illis unicum hujus servitutis excutiendæ remedium VITA AMORIS relinquitur, qua a pulchritudine *sensibili* excitata in animo *intellectualis* pulchritudinis recordatio, a vita terrena ad æternam animam erigit, amoris ignibus ita perpurgatam, ut angelicam naturam induat.

PARS II.

SECT. I.

FAcultates, quibus anima *apprehendit* circa *verum* occupantur,

& *falsum*, quorum illud amplectuntur, hoc vero repudiant. Horum prius *affirmare* est, *negare* alterum. *Appetendi* facultas circa *bonum malumve* versatur, ad *bonum* proclivis, aversa a *malo*: quorum illud *amorem*, hoc *odium* vocamus. *Amor* rebus, quas prosequitur, distingui solet, si *in opes* feratur enim, *avaritia* est, si in *honores*, *ambitio*, si in *res cœlestes*, *pietas*, si in *aequales*, *amicitia*. Hos vero depræsentiarum omnesque alios significatus excludentes, hic tantum *desiderium* intelligimus possidendi aliquid vel in se, vel nostra saltem æstimatione pulchrum, quod diversæ plane sit indolis ab amore Dei in creaturas, qui cùm omnia comprehendat, pulchritudine & perfectionibus alterius rei opus habere nequit: ab eo item, quo in amicos ferimur, illud enim reciprocum esse oportet. Cum Platone igitur illud ὄρεξιν τοῦ καλοῦ *vehementem pulchri appetitum* definimus. Est nempe *desiderium* animi ad bonum, sive verum, sive apparens, inclinatio, utque *bona* sunt diversa, ita diversæ *desiderii* quoque sunt species. *Desiderii* species est *amor*, ut *pulchritudo* species *boni* est. *Desiderium* vel naturæ instinctu, vel clara scientia determinatur. Nempe omnibus creaturis propria est perfectio quædam, ex bonitatis divinæ participatione derivata. Ea scopus est, ad quem tendunt, eumque felicitatis gradum continet, cujus capaces sunt, ad quem proinde tanquam centrum suum enituntur. Atque hoc *desiderium* est, ad quod naturæ instinctum determinare diximus, magnum divinæ argumentum providentiæ, qua inscii etiam, ut arcus a sagittario ad scopum, diriguntur animi. Eo omnes creaturæ Deum appetunt, quandoquidem omne *bonum* particulare vestigium est, & participatio primi *boni*. Atque id quidem in unaquavis creatura observatur, prout plus minusve extiterit capax, pro quo etiam capacitatis gradu ad nobilem magis ignobilemve *finem* destinatur. Ultimus tamen omnium *finis* est idem, Deo frui, quousque possint. Atque ita juxta hymnographum, *omnia Deum colunt & laudant*, *suppliciter*, ut Theodoritus ait, *ad ipsum conversa*, *seque ipsi in sacrificium offerentia*.

SECT. II.

Alterum genus *desiderii* evidenti scientia determinari dixi, a natura nobis inditum, ut *apprehendendi* facultati *cuivis* esset, quod responderet, *desiderium*, amplectendorum eorum, quæ bene se habere judicantur, & eorum, quæ contraria ratione se habent, fugiendorum causa. Quilibet autem natura sua *boni* appetens miseriam aversatur, verum apprehendendi facultas pro bono malum arripit haut raro. Unde evenit, ut *desiderium*, quod in se cœcum est, malum appetat. *Voluntarium* id certo sensu dici potest, quod cogi a nemine queat, *involuntarium* tamen etiam alio est sensu a sodali suo, qui est *apprehendendi* facultas, deceptum. Atque hoc est, quod Plato vult, *neminem voluntarie peccare* inquiens.

Plato Tim. κακὸς μὲν γὰρ ἑκὼν οὐδείς.

SECT. III.

Desiderio autem omni proprium hoc est, ut, qui *desiderat*, rem *desideratam* possideat partim, ex parte possideat minus. Sane enim, si penitus non possideret, *desiderio*

ferri in eam haut posset, id quod duobus modis confirmatur. Primo, ignoti nulla cupido est, nosse autem rem, est eam *possidere* quodam modo. Ita Aristoteles: *Anima omnia habet, quoniam cognoscit omnia*. Et apud Hymnographum Deus ipse ait: *Mea sunt omnia, novi ego illa*. Secundo semper inter *desiderantem* & rem *desideratam* similitudo aliqua intercedat, necesse est. Nam unaquævis res eo maxime & oblectationem & conservationem quærit, quod quadam naturæ cognatione maxime ipsi videtur conveniens, ejusque contrario mœrorem concipit, tandemque destruitur. *Amor* inter res dissimiles non coalescit, & contrariorum repugnantia *odium* est *naturale*, quemadmodum odium (vulgari sensu) repugnantia est cum cognitione conjunctum. Hinc consequens rei *desideratæ* naturam in *desiderante* suo modo esse, sine quo nulla utrinque intercedere posset similitudo: Imperfecte tamen in eo est, frustra enim esset quærere, quod ex asse jam teneat.

SECT. IV.

UT *desiderium* vero plerumque sequitur rem cognitam, ita cum diversis *desideriis* diversa etiam conjuncta sunt *cognitionis* genera. *Cognitionis* tres species habemus, *sensum*, *rationem* & *intellectum*, triplici respondentes *desiderio*, *appetitui*, *electioni*, *voluntati*. *Appetitus* brutorum est animantium, *electio* hominum, angelorum *voluntas*. *Sensus* solas res corporeas cognoscunt, atque in eas quoque unice fertur *appetitus*. *Angelicus* intellectus in sola defixus est contemplatione conceptuum spiritualium, nulla ad res materiales inclinatione, ne quidem quando a materia immunes in spiritualem naturam transferuntur, ita *voluntas* etiam eorum solis perennibus & spiritualibus pascitur bonis. Media inter ista extrema natura est *rationalis* nonnunquam ad *sensus* descendens, nonnunquam ad *intellectum* se erigens, sua *electione desideriis*, quibus maxime delectatur, obsequi solita. Hinc patet res corporeas vel sensitivo *appetitu* vel *electione* rationis ad *sensus* inclinatæ nos amplecti: Incorporeas vel *angelico* intellectu, vel *electione* rationis ad intellectualem sublimitatem evectæ.

SECT. V.

PUlchritudo generatim loquendo harmonia est, ex variarum rerum, ad tertium constituendum, apta combinatione existens. Cujus si ratio temperiei, mixturæque variarum naturarum habeatur, ad constituendum unum aliquod conspirantium, nulla creatura est, quæ *pulchra* non sit. Eo vero sensu res *simplex* nulla *pulchra* esse potest, adeoque nec *Deus*. Initium ea post *Deum* habet, ex contrariis orta, sine quibus nulla est compositio, estque *pulchritudo* contrariorum unio, amica dissensio, concordia discors. Hinc omnium rerum principium Empedocli *concordia* est atque *discordia*, per hanc varietatem intelligenti rerum componentium, per illam earundem conjunctionem, atque docenti in solo *Deo* discordiam non esse, ut in quo diversarum naturarum unio non sit, sed qui purissimum sit & simplicissimum unum.

unum. In hujusmodi autem conjunctione unio necessario contrarietati prævalet, absque eo enim opus compositum dissolveretur. Hinc est, quod *Venerem* & *Martem* amore jungunt Poetæ, quoniam *pulchritudo* illa, quam *Venerem* vocant sine contrarietate subsistere nequit: quia item *Martem Venus* moderatur & domat, eiusque moderamine contentio contrariorum componitur. Pari ratione in Astrologia *Marti* proxima *Venus* est, ut eius influxum, ad destructionem tendentem, impediat, quemadmodum *Saturno* proximus *Jupiter* est, ut eius malignitati obicem ponat. Quod si semper *Veneri Mars*, hoc est principiorum contrarietas justæ eorum temperiei esset obsequens, nulla res unquam dissolveretur.

SECT. VI.

SEd hæc de *pulchritudine* sensu laxiore accepta, quæ cum *harmonia* est eadem: unde mundum hunc conditum esse a Deo harmoniæ musicæ temperamento, dictum est sapientibus. Proprie autem loquendo *harmonia* melodicum vocum consensum significat. *Pulchritudo* vero in stricto magis significatu ad concordiam exacta proportione temperatam, refertur in rebus patentibus visui, ut harmonia in rebus auditui obnoxiis. Huius *pulchritudinis* desiderium *amor* est, ab unica facultate cognoscente, quæ *visus* est, ortus. Hocque fuit, quod Plotino occasionem dedit vocis ἔρως, quæ *amorem* notat, ab ὅρασις, quod *visus* est, derivandæ. (Ennead. III. L. 5. c. 3) Hic forte dubium movebit nonnemo, si a solis rebus *visui* obviis *amor* est, inquiens, quomodo ad Ideas referetur, quæ *oculis* patent minime? Respondeo ego, *videndi* facultatem vel *corporis* esse vel *mentis*. Prima *sensus* est, altera *intellectus*, quam cum angelis habemus communem. Hanc etiam *visionem* vocant Platonici, eiusque imaginem tantum corporeum *visum* esse statuunt. Sic Aristoteles etiam id animo intellectum esset ait, quod *visus* est corpori. Hinc apud Homerum etiam *Minerva*, quæ sapientia est γλαυκῶπις dicitur, h. e. quæ *acutum videat*. Hoc *visu* Moses, Paulus & reliqui Dei viderunt faciem, Thelogis cognitio vocatur *intellectualis* & *intuitiva*, *visio beatifica*, justorum in altera vita præmium,

SECT. VII.

UT *visus* vero est geminus, ita *pulchritudo* quoque, circa quam versatur, est duplex. Hinc duæ *Veneres* Platoni in Symposio celebratæ, ut & Poetæ nostro: *Vulgaris* altera, quæ ad *sensus* spectat: altera *cœlestis*, quæ ad *intellectum* refertur, atque ideis constat, circa quas *intellectus* versatur, ut circa colores *visus*. (l. Canz.) *Amor* quoque geminus est, *vulgaris* atque *cœlestis*, (Sympos.) nam, ut Plato ait, tot esse *amores* necesse est, quot sunt *Veneres*.

SECT. VIII.

VEnus igitur pulchritudo est, quæ genuit *Amorem*: mater (Cupidinem) eius certissime, nam amoris causa est *pulchritudo*, non quod principium sit, a quo ille actus procedit, sed quod sit id, circa quod *amor* versatur. Nempe effectrix causa *amoris* perinde ac reliquarum actionum suarum omnium *anima* est. Causa materialis est *pulchritudo*. Nempe in Physicis effectrix causa

patri,

patri, materialis *matri* assimilatur.

SECT. IX.

Est autem *Amor cœlestis* desiderium intellectuale *pulchritudinis* idealis. *Idea* vero, ut antea dictum, rerum exempla sunt in *Deo*, tanquam fonte suo & causa, in *mente angelica*, per modum formæ, *in anima rationali* existentia per participationem. Hæc enim, ut ipsius substantiæ, ita *idearum* quoque *pulchritudinis* particeps fit, impertiente prima mente. Hinc consequens est, *amorem pulchritudinis cœlestis* in animo, non perfectum esse *amorem cœlestem*, sed proximam eius imaginem. Ipse enim *amor cœlestis* maxime ingenuus cum desiderio *pulchritudinis idealis* in prima est mente, quam ipse immediate Deus ideis exornavit.

SECT. X.

Amorem vero, autore Platone, ex *Penia* genuit *Porus*, qui *Metin* parentem habuit, in *Jovis hortis*, nectare ebrius, die *Veneris natali*, ad quam celebrandam *Dii* convenerant. Natura, in seipsa conforma expers, a *Deo* formata in *mentem angelicam* vertitur. Hæc forma ideis absolvitur, *pulchritudine* primigenia, quæ dum ex fonte divino defluunt alterius generis mixtæ naturæ, imperfectæ evadunt. *Angelus* igitur opacitate sua earum obscusans splendorem, *pulchritudinis* quam amisere accenditur *desiderio*, atque hoc est *Amor*. Is nascitur, quando *Porus*, qui abundantiam notat, hoc est copiam idearum, cum natura illa informi conjungitur, quæ dicitur *Penia*, quoniam pauper est & mendica, ut quæ destituta omni essentia sit, omnique actu, quam *Iovem* vocavimus supra I, 8, in cuius *horto* ideæ plantatę sunt, unde est, quod ipsam *mentem angelicam* ideis exornatam *Paradisum* antiqui vocaverint. Sic Zoroastres ad vitam illam, contemplatione quæ agitur æternamque felicitatem nos invitans, *quærite*, inquit, *quærite paradisum*. Ad cœlum Empyræum id translatum a Christianis Theologis, beatarum animarum sedem, quarum felicitas in contemplatione & intellectus perfectione perinde ac apud Platonem collocatur. *Hic Amor natali Veneris* die genitus, h. e. qua idealis *pulchritudo*, imperfecte licet *menti angelicæ* infusa fuit, cum infans quasi esset *Venus*, adultam nondum perfectionem consecuta. *Omnes* ad id festum *Dii* confluxere, h. e. omnes eorum ideæ, quemadmodum per *Saturnum* & Planetam & eius ideam intelligimus, expressione a Parmenide mutuata. Sunt igitur *Dii* illi ideæ, quæ præcedunt *Veneris natales*, ipsa nempe *pulchritudo* est, & gratia, ex varietate eorum resultans: invitati autem ad *convivium* fuere, in quo *nectar* apponeretur & *ambrosia*, his nempe quicunque à Deo excipiuntur, æterni sint, necesse est, reliqua non item. Hæ *mentis angelicæ* ideæ prima entia æterna sunt. *Porum nectar inebriaverat*, h. e. illa idearum copia æternitate plena. Reliquæ ideæ ad convivium admissæ haut fuerunt, neque donatæ sunt æternitate.

SE-

SECT. XI.

Mens angelica perficere istas ideas desiderat, quod nonnisi *mediis* poterat impetrari, *causis imperfectionis* oppositis. *Causa imperfectionis* fuerunt, quod a principio suo longius amotæ contrariæ mistæ naturæ fuissent. *Remedium* igitur separatio est a natura contraria, atque ad *Deum* quousque fieri potest regressus, cum eodemque coniunctio. *Amor* qui est illius *pulchritudinis desiderium*, mentem ut ad *Deum* se convertat, excitat. Est autem quævis res, quo propior est principio suo, eo perfectior. Atque ille primus est circulus, *Mens*, inquam, *Angelica*, ab unione cum Deo postquam discessit, intrinsecæ cognitionis revolutione ad eum reversa: quæ est juxta antiquos *Venus adulta*. Quævis vero natura, quæ huius capax conversionis est, *circulus* dicitur. Eaque facultas soli intellectuali sive angelicæ propria naturæ est & rationali: quæ propterea solæ felicitate etiam frui possunt, quæ consistit in coniunctione cum primo principio suo, quod ultimum est bonum atque summum. Idque immortalibus peculiare est naturis, *materiales* enim, consentientibus hac ex parte Platonicis, ita vel seipsas vel principium suum intueri non possunt. *Angelica* itaque mens *& anima rationalis* duo *circuli* sunt intelligibiles, quibus in mundo corporeo alii respondent *duo*, cœlum nempe decimum, idque immobile, primi *circuli* imago; corporaque cœlestia, quæ moventur, quæ posteriorem *circulum* referunt. *Primi* nulla apud Platonem mentio extat, ut, qui plane diversus sit a natura corporea, neque ea possit repræsentari. *De secundo* vero in Timæo dicit, omnes cœli, quod oculis pateat, *circulos*; quos in sphæram fixarum Planetarumque septem divisit, totidem animæ rationalis *circulos* referre.

Sunt qui Deo *circuli* nomen attribuunt, quem *Cœlum* vocant antiquiores Theologi, *sphæra* qui sit omnia comprehendens, ut cœlum extremum mundum complectitur.

Et sane parte una Deo hoc satis conveniens est, sed minus tamen alia parte. Certe enim quod *circulus*, initio a *puncto* ducto, ad *punctum* redeat, id minime Deo convenit, qui initium habet nullum, sed ipse est *punctum* indivisibile, ex quo omnes ducuntur *circuli*, ad idem redeuntes. Hocque etiam sensu materialibus rebus applicari nequit, quæ initium habent, ad quod tamen redire non possint.

In aliis tamen quibusdam oppido in Deum quadrat. Perfectissimum entium est Deus, *circulus* figurarum: nec illi nec isti aliquid addi potest. Omnibus corporibus *locum* ultima *sphæra* præbet, omnibus spiritibus Deus. Anima juxta Platonicos in corpore non est, sed corpus in anima, anima in mente, mens in Deo, extremo rerum omnium *loco*, quamobrem & Judæorum Cabbalistis מקום fuit appellatus, quod *locum* significat nomen.

SECT. XII.

Veneris pedisseque *Gratiæ* sunt, *Thalia*, *Euphrosyne*, *Aglaja*, h. e. Viredo, Lætitia, Splendor: quæ proprietates sunt pulchritudinis

nis idealis. *Thalia* rei cuiusvis in statu suo est permansio: Sic enim juventuti quoq; *viredo* tribuitur, qua perfectissimum suum vigorem humana natura tuetur, qui annis crescentibus deficit sensim, donec penitus pereat. *Venus* proportio est, qua res omnes coniunguntur, eius vero rei durationem *viriditas* indicat. In mundo ideali, ubi prima est *Venus* & antiquissima, prima quoque *viriditas* occurrit, nulla enim natura intelligibilis senio essentiam mutat. Ab ideali mundo in sensibilem ille derivatur *viror*, quousque ille *Veneris* capax est, h. e, pro ratione durationis debitæ proportionis, quæ illi inest. Reliquæ duæ idealis pulchritudinis proprietates sunt intellectus *illuminatio*, quam *Aglaja* indicat, & voluntas *amore* & gaudio impleta, cuius rei *Euphrosine* symbolum est.

Gratiæ ita pingi solent, ut nos respicere *una* earum videatur, quasi recta procedens non retrograda, quoniam *duratio* atque *permansio* actu reflexo non sustinetur. Reliquæ *duæ* aversa a nobis facie retrocedere videntur, quoniam ad intellectum pertinent & voluntatem, quarum facultatum operatio actu reflexo procedit, ideo facie aversa, qualis recedentium sit, pinguntur, quoniam res a Diis venire nobis dicuntur, & a nobis redire ad Deos.

SECT. XIII.

Venus ex mari nata esse fabulis perhibetur. Materiæ informis natura, ex qua res compositæ sunt, aqua repræsentatur, quæ perpetuæ est fluiditatis, quamlibet formam facile admittens. Ea cum primum in mente *Angelica* existat, aquæ passim *angeli* dicuntur, ut apud Hymnographum, *aquæ supra cælestes laudant Deum*, quod de Angelis Origenes interpretabatur. Suntque Platonici, qui Homeri Oceanum quem Patrem ille dicit hominum atque Deorum, de mente *angelica* accipiunt, ceterarum creaturarum omnium principio ac fonte. Gemisthius *Neptunum* omnium *aquarum* principem, omnes mentes *Angelicas humanasve* interpretatus est. Hic est *fons* vivus, ex quo qui biberit, non sitiet unquam. Hæ *aquæ* sunt, quibus mundum Davides a Deo aiebat esse fundatum.

SECT. XIV.

Porum h. e. Idearum a Deo procedentem copiam, *Metios*, h. e. *consilii*, filium Plato facit, a nostris scripturis parum dissentiens. Hinc Servatorem nostrum *consilii angelum* Dionysius Areopagita appellabat, h. e. patris legatum. Similiter Avicenna primam causam *consiliativam* vocat, cum mens non a seipso, sed a Deo ideas habeat, cujus *consilio*, scientia, & arte, visibilem huncce mundum condendi instruitur.

SECT. XV.

Deorum porro, juxta Platonem, & maximus & minimus natu est *Amor*. Nempe Dii, ut alia omnia, duplici modo sunt, in idea, & in materia sive natura. In materia primus Deorum extitit *Amor*, qui occasio fuit, ut reliqui Dii omnes similem naturam acciperent, in idea vero idem ultimus extitit. Nempe

natus est *Amor*, dum ideæ in *Angelicam* descenderent mentem, quæ ideæ cum ipsius mentis substantiam absolverent, ipsius mentis substantia perfecta esse non potuit, donec ideæ perficerentur, quod ante fieri non potuit, quam nasceretur *Amor*, cuius ad Deum conversione illæ perficerentur. Cum igitur hoc quod in materia, sive natura, sit, *Amori* mens *angelica* debeat, reliqui Dii, qui *menti* successere, in esse suo naturali *Amore* juniores sint necesse est, quamvis in esse ideali eum antecedant, ut qui nasci non potuerit, donec ideæ istæ conjunctione, imperfecta licet, cum natura informi coalescerent.

SECT. XVI.

Plat. sympos. *NEcessitatis* regnum regno *Amoris* antiquius dicitur esse. Nempe duabus naturis quævis res condita continetur; *materiali*, quę imperfecta est, & quam *necessitatem* hoc loco interpretamur: & *formali*, quæ perfectionis est occasio. Istarum ex qua participat maxime, ea prædominari natura vero ei obnoxia esse dicitur. Hinc *necessitas*, h. e. materia, regnasse supponitur, dum imperfectæ essent ideæ, eoque tempore omnia, quæ imperfecta sunt, evenire creduntur. Perfectiones vero omnes amore demum nato regnare cęperunt, eo enim postquam ad Deum conversa mens fuit, id quod imperfectum antea fuit in se, perfectionem indeptum est.

SECT. XVII.

FAtum esse *Veneri* obnoxium dici tur. Nempe *fatum*, quod nihil aliud est, quam concatenata causarum & effectorum in sensibili hoc mundo series, a mundi intelligibilis lege pendet, hoc est a *providentia*. Hinc Platonici *providentiam*, h. e. idearum ordinationem, menti primæ attribuunt, a Deo, ultimo fine, pendentem, ad quem res omnino dirigat omnes. Atque adeo *Venus*, quæ est ordo idearum, a qua fatum, h. e. mundi sensibilis ordo dependet, *fato* dominantur.

Fata vero Deæ tres sunt *Clotho*, *Lachesis* & *Atropos*, id enim quod *in providentia* unum est, in æternitate indivisibile, quando in tempus transit, & ad *fatum*, in *præsens* dividitur, *præteritumque* & *futurum*. Sunt alii qui *Atropon* ad sphæram fixarum, *Clotho* ad sphæras planetarum, *Lachesin* denique ad res sublunares referant.

Sunt autem res solæ corporeæ, & quæ in tempore sunt, obnoxiæ *fato*. Rationalis vero anima, incorporea quippe, eidem dominatur: *providentiæ* tamen subest, cui servire vera est libertas, qua voluntas, legibus *providentiæ* obsecuta, ad finem suum exoptatum perducitur. Quoties vero *providentiæ* excutit jugum, ex libera serva fit, *fatique* mancipium, cuius domina antea existebat. Nempe a legibus *providentiæ* recedere nihil est aliud, quam rationem deserere, sequi sensum, & appetitum irrationalem, quæ cum corporea sint, *fato* obnoxia sunt, istisque qui servit, magis est servus, quam ipsa quibus servierit.

SECT. XVIII.

POrro, quemadmodum a Deo in mentem *Angelicam* ideæ descendunt, a quibus intellectualis pul-

pulcritudinis gignitur *Amor*, quem *divinum* appellamus: ita eædem ideæ a mente *Angelica* in animam *rationalem* derivantur, tanto tamen in ea imperfectiores, quantum *Angelica* perfectioni ipsa *anima* cedit. Ab his humanus est *Amor*, *de priore* Plato, de *posteriore* Plotinus disseruit. Qui eodem argumento, quo ideas in mente *Angelica* non accidentia sed substantias esse probavit, *rationis* quoque species, ideas inquam in *anima*, substantiales esse evincit. *Venerem animam* appellans, ut quæ splendidissimo *Amore* gaudeat, qua rationes illæ *specifica*, de quibus diximus, designantur.

SECT. XIX.

AMor autem *vulgaris* sensibilis *pulchritudinis* est appetentia, corporis excitata visu. *Pulcritudinis* eius causa sensibile est cœlum, per potentiam suam motricem. Quemadmodum autem ea, qua nos gaudemus, motrix facultas, musculis & nervis, operationum illius instrumentis, continetur; ita cœli quoque facultati motrici corpus accommodatum est, perpetuo motui circulari congruum, cuius corporis interventu anima mundi, veluti pictor, penicillo suo materiam istam inferiorem variis induit formis. Sic *vulgaris* itaque *Venus*, materialium formarum *pulchritudo*, *esse* suum *causale* a facultate cælorum motrice habet, *formale* a colore, qui ex solis sensibilis luce affulgente existit, quemadmodum ideæ affulgentem sibi solem habent intelligibilem. *Esse* denique eius *participatum* consistit in figura & ordine partium apto, oculis sese ingerente, lucis & coloris auxilio, quo solo *Amor* procuratur.

SECT. XX.

QVemadmodum vero ideis in mentem descendentibus *desiderium* oritur fruendi eo, a quo idealis hæc derivatur *pulchritudo*; ita etiam ubi visibilis *pulchritudinis* species oculis sese ingerunt, duplex inde nascitur *appetitus* coniunctionis cum eo, a quo *pulchritudo* derivatur. *Alter* ad sensus, ad *rationem* pertinet alter, suntque hæc principia bruti *Amoris* atque *humani*. Si sensum sequamur, *pulchritudinis* fontem corpus esse iudicamus, quod intuemur: unde coitus nascitur desiderium, quo intime corpora junguntur, isque brutorum animantium *Amor* est. *Ratio* vero judicat tantum abesse, ut a corpore hæc *pulchritudo* originem habeat, ut potius obsit ei, quodque, quo magis a corporea natura separatur *pulchritudo*, eo magis sua indole & dignitate fruatur. Non igitur per species visibiles in corpore est hærendum, sed ab omnibus corporeæ labis reliquiis illæ perpurgandæ sunt species.

Cumque homo spectari possit quoad animam *rationalem* vel seorsim positam, vel cum corpore coniunctam, *priore* modo humanus *Amor* cælestis imago erit, *secundo* nihil aliud est, quam sensibilis *pulchritudinis* desiderium, quæ ab anima jam purgata a materia fuit, atque in intelligibilem, quantum eius patitur indoles, est conversa. Ultra hunc *Amorem* paucissimi procedunt mortalium. Sunt tamen qui, ad maiorem perfectionem adspirantes, perfectioris recordantur *pul-*

chritu-

chritudinis, cuius contemplatione *anima*, antequam huic corpori immergeretur, oblectata fuit, atque ea incredibili accenduntur desideria, eam denuo videndi. Quod prosequentes, a corpore, quantum fieri potest, recedunt, cuius adeo *anima*, ad priorem suam dignitatem enitens, dominium perfectum nacifscitur. Hæcque cœlestis *Amoris* imago est, qua homo ab una perfectione ad aliam transit, donec *anima* eius, cum intellectu penitus coniuncta, in *angelicam* transit naturam. Atque ita a materiæ fæce purgata, & divina ista virtute in spiritualem flammam conversa, ad intelligibile cęlum evehitur, atque in parentis sui sinu suaviter requiescit.

SECT. XXI.

AMor vulgaris solis inhæret *animis* materiæ immersis, eique penitus obnoxiis, vel saltem animi passionibus perturbationibusque impeditis. *Angelicus* amor in intellectu est, perinde ac ipse intellectus æternus. Pauci tamen eo utuntur, sed terga obvertunt intellectui, conversi ad sensibilia, & rerum corporearum curam. Cęlestibus vero illis animis ea perfectio est, ut utroque defungi munere valeant, corpusque regere possint, ita ut a rerum sublimiorum tamen contemplatione haut abducantur. Tales Poetæ *Jani* bifrontis repræsentant imagines, quarum altera prona, res sensibiles spectat, altera aversa, intelligibiles. Imperfectiores nempe animi unica tantum facie gaudent, qua ad corpus conversa, intellectualia videre nequeunt, contemplatione eorum destituta: ad intellectualia vero si respexerint, corpus non vident, cura eius penitus abiecta. Hinc est quod *animæ*, quibus intellectualia deserenda sunt, ut corpori sese addicant regendo, divina providentia caducis corporibus illigentur, & corruptioni obnoxiis, quibus exsolutæ, brevi tempore, nisi sibi desint ipsæ, ad intellectualem redire possint felicitatem. Aliæ vero *animæ*, quibus contemplationi vacare est integrum, cum æternis, neque corruptioni patentibus, corporibus coniunguntur.

Cęlestes ergo *animi* (*Jano* a Poetis significati, quemadmodum temporis principia interveniente motu,) idealem in intellectu pulchritudinem, quam perpetuo ament, contemplantur. Inferiores quoque res atque sensibiles considerant, non ut eorum ament pulchritudinem, sed ut eam illis impertiantu. Nostræ etiam animæ, antequam cum corporibus coniungantur, gemina facie gaudent: cum uniuntur autem corporibus, facies illæ divelluntur quasi, ut unicam retineant, qua ad unum genus rerum, sive intellectualium, sive sensibilium, conversa, alterum genus intueri nequeunt.

Sic ergo vulgaris *Amor* cum cęlesti consistere nequit, multique intellectualis pulchritudinis abrepti conspectu, ad sensibilem cœcutiunt, quod Callimachus *Tiresia* fabula docet, qui nuda conspecta *Pallade* visum amisit, vates tamen ab ea factus est, animi oculos aperiente, quibus præsens futurumque perspiceret, dum corporeos claudebat. Sic *Achillis manes*, Homero omne genus intellectualium contemplationum inspirantes, corpo-

corporis oculorum usu eum privavere.

Quamvis autem cœlestis *Amor* semper vivat in *anima* cuiusvis intellectu, pauci tamen eo utuntur: qui corporis cura abiecta, cum Paulo Apostolo dicere possunt, *nescire se an in corpore sint an extra corpus*. Ad quem statum pertingere homini datur nonnunquam, sed in eo tamen non nisi ad tempus perseverare valet, ut Ecclesiastes nos docet.

SECT. XXII.

HOc igitur modo in *anima* nostra, quæ natura ad sensibilem intelligibilemve pulchritudinem indifferens est, triplex existere potest amor. In intellectu unus, qui *angelicus* est: *humanus* alter: tertius *sensualis*. Horum genus *secundum* & *tertium* circa rem eandem, corpoream nempe *pulchritudinem*, versantur. In ea sola hæret *Amor* sensualis: *Humanus* a materia eam purgat. Ultra hos *duos* amoris gradus paucissimi assurgunt mortalium. Illi vero quorum *animus* philosophia est perpurgatus, sensibilem *pulchritudinem* alterius, magis perfectæ, umbram tantum esse scientes, ea relicta, cœlestem intueri gestiunt, cuius prægustum memoria retinent, eamque, modo ita mentem elevare pergant, postremo consequuntur. Atque adeo hoc recuperant ipsum, quod licet in iis ab initio extitisset, non tamen percipiebatur ab eis, aliis rebus distractis.

Ex Italicis Benivieni hæc transtulimus: quod monemus ut ex iis potius quam ex Anglica Stanleii translatione de nostris istis judicium feratur.

HYMNUS IN AMOREM, JUXTA MENTEM PLATONICORUM AUTORE HIERONYMO BENIVIENO, FLORENTINO.

I.

FRæna tenens regnansque meo sub pectore magnum
Numen AMOR, (regnoque licet sceptrisque superbum,
Non dedignatum tamen istas pascere flammas,
A sese accensas,) linguamque animumque ciere
Assidue hunc pergit. Quicquid penetralibus imis
Pectoris accensi condam, depromere poscens.
Sed trepidat pavidum pectus, tantisque repugnat
Lingua ausis. Trepidi nequicquam obstante pavore,
Instat, non patiensque moræ me fortius urget,
Concepta hoc animo ut dicam, secretaque pandam:
Maiorique minor, tandem superata, potestas
Cedit. At ignavæ menti dum porrigit alas,

Queis primum hunc animum subiit, de vertice Olympi
Cum descendit *Amor*, (plumis componere nidum
Ipse sibi instituens propriis, sedemque perennem;)
Rursum animos sumo: insuetæque in pectore lucis
Sensum percipiens, animis abscondita pando.

II.

Divina natum cantamus origine AMOREM
Ut sese infundat genitis toto undique mundo,
Ingeniti ipse boni puris ex fontibus ortus,
Ut natus primum, quo sit de patre creatus,
Utque animam informet, moveat cœlum, regat orbem,
Humano, illabens, soleatque ut corde latere.
Qualibus armatus, quam sæva ad vulnera promtis
Incedat telis, qua vi mortalia cogat
Pectora, contemta terrena fæce, tueri
Sidera. Ut accendat flammas, ut concitet, urat:
Quaque alium in cœlum rapiat lege, figat at istum
In terra: medium terram inter & astra subinde
Illum detineat. Sed fessa & languida Musa
Qua terra inveniet tanto adjumenta labori?
Te ergo, te votisque suis precibusque fatigat,
Phoebe pater, flammis correpto ex pectore fusis.
Infirmos heu quanta humeros nunc sarcina trudit!
Porrige, dive *puer*, promissas porrige pennas,
Duxque tuis iter auspiciis fac dirige coecum.

III.

Divinus quando veri de vertice cœli
Sol venit, angelicæ menti se infundere gaudens,
Primam ut progeniem, viva sub fronde, jucunda
Afficeret luce, atque simul formare valeret;
Innato hæc ardore Boni cupidissima primi,
Jam magis accenso, vi delabenti AMORIS,
Conversa in sese virtutem concipit intus,
Divinam plane: foecundam mille figuris
Quæ implet. Mirandis primam inde surgere flammam
Ecce modis sentit, pectusque accendere totum;
Qua vivo ingenitæ lucis soli, ipsa refulgens,
Fit similis. Lux ista autem flamma, ardor & ignis
Mente obfuscata cœlestique ex luce refulgens,
Primus AMOR verusque fuit, in mente relucens
Angelica: *Peniæ* atque *Pori* clarissima proles,
Nata die, *Venerem* qua ex se produxit *Olympus*.

IV.

Hunc *natum* fovitque sinus mox *Cypridos* almæ,
Flammiferum & *natui* vivi assidue ipse decoris

Solem indefessus sequitur, gaudetque sequendo.
Ille novis, auctum, vinclis constringit *Amorem*,
Pectoris accensum pridem penetralibus imis.
Illum sublimi gressu per summa sequendo,
Assequitur summumque bonum, vitamque beatam
Doctus *Amor*. Vivum nempe isthac invenit ignem,
Ex quo animantem se vitam derivat: is ignis
In nobis spirat, flammasque acquirit eundo.
Sic moriendo ardet cor, ardendoque reviret.
Hic vivus scaturit fons immortalibus undis:
Quæ cœlum fingit celsum, vis alma, movetque,
Hinc manat. Placidus vergente hoc depluit imber
Lucis, quæ ad superas sedes educere mentes
Est solita: ingenitus tanto hac sol pectora adimplet
Splendore, æterna ut pectus flamma occupet omne.

V.

Utque Deus, rerum ipse autor, primumque bonorum,
Et vitam & motum, sensum, atque ut fingere posset,
Concessit menti æternæ. Pariter quoque quærit
Solem *Anima*, adjumento eius, pingitque coruscum,
Divino late radios qui pectore spargit.
Quodque sinu penitus læto conceperat ipsa,
Diffundit. Quæcunque igitur motuve cientur,
Vel sensu gaudent, ea demum mota per ipsam.
Et vitam & sensum exercent, & munia vitæ.
Sicque *Anima* exemplo cœli *Venerem* quoque terris
Producit, cujus cœlo decus ecce refulget,
In terris vivit, placidis mundum integit umbris.
Cœlo ast nata *Venus* speculo sese ipsa tuetur
Solari, atque umbras cupit expurgare tuendo.
Utque suas agnoscit opes pro munere solis,
Quem fulgere sibi sentit; sic prodiga lucem
Acceptam *Veneri* terrenæ affundere gaudet.
Et vulgaris *Amor* terrenæ amplexibus hæret:
Cœlica cęlestem gremio ut constringit *Amorem*.

VI.

Ast *Anima* ecce, Dei nutu formata potenti,
Inferiora petit, suprema sede relicta,
Quam datur admissis soli conscendere bigis,
Induit humano sese & mox pectore totam,
Atque suo quicquid pulchri pridem abstulit astro,
Absconditque sinu, miranda hic exprimit arte,
Jam cœli spoliis opulenta & dote Deorum.
Hic prout ratio fert sanguinis imbecilla
Humani, talem properat sibi fingere sedem,

Ut facili motu modo luci se applicet ipsa
Divinæ, adverso modo longius inde recedat.
Picta heic non raro solis se infundit imago
Alterius cordi: sibi quod conformat, & aptat
Infusa, & virtute sua sic fingit & ornat
Divinis radiis, mage pulchrum ut & exeat ipsum.
Ast ita dum dulci se pascit pectus amore,
Insimul & pasci patitur se errore jucundo.

VII.

Pascitur errore: nam pulchrius autumat esse
Quam sit revera, dum in seipsa spectat amatum,
Prolem amplexa suam mens nostra! Hinc porro reformat,
Divinum ad lumen, quæ sic impressa recepit.
Virtutem o raram! variis post gressibus ire
Pergit ad ingenitum solem, namque ex hoc omnia manant.
Queis placuisse sibi primum rem sensit amatam.
Nempe, quod est pulchrum, sole omne accenditur uno,
(Per speculum triplex dignato mittere vultus)
Seu mentem, seu animum, terrenaque corpora adornet.
Hoc oculi primum accipiunt; hinc altera cordis
Hæc spolia ecce sibi rapiens aptare Ministra
Gestit. Ab hoc porro cordi transmittier ipsi
Observes pulchrum, cujus nova forma refulget.
Obfuscata tamen. Pulchrorum nempe figuras
Corporeo exutas habitu, apte colligit una,
Et pulchri quicquid divisum continet orbis
Uno depingit conceptu, unaque figura.

VIII.

Sic *Animam* hanc oblectat *Amor*, quæ pectore toto
Exultat, fruiturque suo lætissima fętu,
Atque oculus vitreis pictos ut cernit in undis
Phœbeos radios; *veram* sic ipsa tuetur:
Id vero umbra licet veræ & sit lucis imago;
Cor splendore suo pulchro traducit ab isto,
Ad mage perfectum, cui celsa in vertice cęli
Sedes. Terrenam non hic videt amplius umbram,
Effigiem Solis puro sed lumine pictam.
Dumque pio hæc sequitur studio vestigia pectus,
Pura anima statim magis ecce refulget imago:
Post lucem & dubiam, certam tenet atque serenam,
Luce ornata ista fit pulchra, Cupidinis arte,
Mens, anima, & mundus, mundo & quæcumque feruntur.

IX.

Sed quo Musa ruis? Jam fræna adducere *Amorem*
Sentio: non patitur limites transire ruentem,

Et stimulis actam, tibi quos audacia subdit,
Longius ire: domat frænis instatque capistro.
Denique præceptis aures advertito *Amoris*,
Accensus si forte tui quis ardet amore;
Non frondes illi, divini exponere fructus
Thesauri fas est. Des ista, sed illa negato.

PARS III.

De utroque isto agere *Amore*, scientia est non unius. De *Amore* enim vulgari naturali scientiæ, vel morum doctrinæ agere competit. Divinum *Amorem* Theologia aut Metaphysica considerat. De priore egregie, Physici partes sustinens, in Ecclesiaste Salomon egit, in Proverbiis vero Doctoris morum personam gerens. De posteriore in cantico suo cecinit, quod omnes qui in scripturis habentur hymnos divina sublimitate longissime superare existimatur.

AD INTERV. I,

Ordinis divina sapientia rebus creatis inditi hæc vere suprema lex est, ut inferius ab eo, quod supra se proximo loco est positum, gubernetur. Cui quamdiu obsequitur, nihil noxæ metuendum est illi, nulloque impedimento ad propositam sibi felicitatem perducitur. Quod si tamen præpostero libertatis amore, suis emolumentis vivendi præferens licentiam, naturæ superioris detrectaverit obsequium, gemino id malo implicari necesse est. Primo enim tanquam navis, quam gubernator destituat, modo saxis affligitur, modo aliis exponitur periculis, nulla sibi intrandi portus spe relicta. Deinde etiam imperio in inferiora, atque obnoxia sibi, exuitur, eo, quod obsequium adversus id, quod tanquam superius agnoscere tenebatur, ipsum quoque abiiciat. Natura igitur ratione destituta, ab alia regatur necesse est, alii vicissim regendæ, ob imperfectionem suam, plane inepta. Contraria ratione Deus, qua est excellentia, plane nobis ineffabili, rebus prospicit omnibus, ipse nihil indigus curæ, qua sibi prospiciatur. Duo vero illa extreme inter Deum inquam & res brutas, angeli animique rationales consistunt in medio, ut qui gubernent, gubernenturque vicissim. Prima illa angelorum Hierarchia, ab ipso Deo derivata luce, a se proximam animorum collustrat. Animi, qui Dæmones Platonicis vulgo audiunt, Hebræis vero שרים, ut qui hominum præsides sint atque custodes, nobis eadem ratione, qua nos brutis animatibus, præesse sunt existimandi. Ita Psalmo VIII. Angeli, quamdiu ipsi divinam autoritatem reverentur, ipsi quoque suum in alias creaturas tuentur principatum. Statim vero atque Lucifer cum ceteris complicibus suis, improbo excellentiæ suæ amore, divinam æmulabatur autoritatem, suaque virtute, perinde ac Deus, niti, seque sustinere gestiret ipsum; gloria amissa, summa una cum eis miseria est inundatus. Jamque adeo exutos sese eo quoque animadvertentes principatu, quem in alios antea obtinuerant, eique homines subtractos indigne ferentes, felicitati nostræ invidentes, insidias assidue nostris bonis componunt. Idem

in mundo inferiore, hacce anima nostra, obtinet ordo: nempe diriguntur a superioribus facultates inferiores, quarum sequentes arbitrium, a veritate non discedunt. facultas imaginatrix sensuum externorum emendat errores, ab intellectu ratio collustratur, neque unquam male nobis succedit, nisi ubi rationis consilia spreverit imaginatrix facultas, vel ratio, omnibus aliis infra fiduciam positis, intellectui refragetur. In appetendo ratio appetitum, rationem intellectus moderatur, quod quidem Poetæ nostro est indicatum cum ait:

Frena tenens, regnansque meo
sub pectore
Magnum numen, AMOR.

Est autem sedes facultatum, quæ cognitioni inserviunt, in capite, earum quæ appetunt, in corde. In anima autem, quæ bene composita ordinataque fuerit, appetitus amore regitur puriore, quem vocant intellectualem, *frenorum* imagine hic repræsentatum, quam Platoni debere Poetam est manifestum.

---- *Ignava menti dum porrigit*
alas
Queis primum hunc animum subiit, de vertice Olympi
Cum descendit amor ---)

Descendere quando dicitur superior virtus quæcunque, ea quidem, fastigio suo deserto, ad nos demitti non est existimanda, sed versa potius vice nos ad se sublevatos educere. *Descensus* eius ad nos, nostrum ad eam *adscensum* notat. Nempe alio sensu acceptus *descensus* iste virtutis imperfectionem, non vero accipientis eam perfectionem esset significaturus.

II.

Ingeniti ipse boni puris ex fontibus
ortus)

H. e. ex divinæ fontibus bonitatis, in animam nostram influens, in qua ille terminatur influxus.

Ut natus primum &c.)

De ordine idearum, earumque participatione & conversione varia vide Part. II.

Utque animam informet, moveat
cœlum, regat orbem.

Tres istas non efficit amor proprietates. Nempe ideas Deus in *mente* angelica producit, mens vero animum ideali pulchritudine collustrat, cęlum indita ipsi anima movetur; nec tamen ulla istorum principiorum sine amore operatio procedit. Ipse conversionis mentis ad Deum est causa, animæ item conversionis ad mentem, sine qua neque in illam ideæ, neque in istam *specifica*, quas vocant, rationes, descendere possent. Eis non illuminata anima, formam istam, ex materia sensibilem, per motum cęlorum elicere nunquam potuisset.

III.

Ubi prima Dei emanatio, idearum scilicet integer ordo, in angelicam descendisset mentem; illa quidem, perfectionis cupida suæ, ad Deum convertitur, atque ab eo voti fit compos: quod eo maiore consequitur perfectionis gradu, quo maior ejus in amando fervor extiterit. Atque hoc desiderium est, ille cęlestis *amor*, mente & ideis obscuratis natus, qui istis versibus describitur:

Veri de vertice cœli)

Ista Deum notant, qui res conditas complectitur omnes, quemadmodum res sensibiles omnes cęlum com-

complectitur. Vid. lib. II. Nempe juxta Platonicos solæ res intelligibiles *verum* esse habent, umbræ reliqua sunt, & illarum imagines.

Sol venit)

h. e. Idearum lumen a Deo dimanans.

--- Viva sub fronde-)

Frondis metaphora ad Jovis hortum alluditur, in qua plantatæ istæ ideæ fuerunt. Vid. L. II. sect. 10. *Viva* illa dicitur, quoniam operationum suarum principium istæ continent ideæ, intellectum nempe, vitæ nobilissimum genus, unde Hymnographus canit, *da mihi intellectum & vivam*. Simili modo Cabalistæ quoque secundæ *Sephiræ*, quæ sapientia est, vitam attribuunt.

Afficeret luce, atque simul formare valeret.)

Verbo *afficere* accidentalis perfectio tantum indicatur, ideæ vero mentis essentiam absoluunt, quamobrem addit; *formare valeret*. Nempe eas, quamvis extrinsecus advenientes, non ut accidentia, sed ut primum actum suum intrinsecum recipit. quod indicat autor noster, *innatum* ardorem eius dicens.

--- vivo ingenita lucis soli, ipsa refulgens,

Fit similis.)

Nempe amor amantem suo modo in amatum convertit & mutat.

Penia atque Pori.)

Vid. L. II. Sect. X.

IV.

Cœlestis amoris attributa sequenti intervallo ob oculos ponuntur.

Ille novis, auctum, vinclis constringit.)

Anima, corporea mole dum opprimitur, desiderium eius, quo in intellectualem pulchritudinem fertur, obdormiscit: amore tamen excitatum, per sensibilem corporis pulchritudinem, postremo ad fontem eius, Deum, deducitur.

Sic moriendo ardet cor, ardendoque reviret.

Vitæ signa motus & operatio sunt, ut mortis indicium privatio istorum existit. In illo vero, qui intellectualibus sese admovit rebus, quæ ad rationem & sensum spectant, deficiunt. Parte rationali homo qui est, parte intellectuali vero cum angelis coniungitur. Qua homo est, moritur, angelica perfectione indutus reviviscit. Sic cor moritur, intellectualis amoris solutum flammis; Nec tamen consumitur, sed morte illa novæ & sublimioris vitæ incrementa capit. Vide apud Platonem Alcestidis & Orphei fabulam.

V.

Sequentibus jam versibus pulchritudo sensibilis describitur.

Cœlo ast nata Venus speculo sese ipsa tuetur

Solari, atque umbras cupit expurgare tuendo.

Corporeæ pulchritudinis actus est, atque effectus, lumen sensibile, intelligibilis vero spirituale lumen. Ideæ dum primum descenderent in mentem angelicam, adhuc informem, colorum instar habebant, atque figurarum, tempore nocturno. Ut vero is, qui Luna splendente rem pulchram intuetur, plena solis luce eiusdem aspectu delectari cupit; ita mens quoque idealem pulchritudinem, in seipsa subobscuram contemplata, quod Poetæ *umbra* significatur voce, idque ob noctem imperfectionis suæ, Lunæ exemplo ad solem æternum convertitur, ut ex eo perfectam lucem derivet. At-

que ad eum conversa lux evadit intelligibilis, cœlestis Veneris pulchritudinem perficiens, primæque mentis eam subiiciens oculis.

Pulchritudinem considerantes sensibilem, primo rem in se consideramus ipsam, quæ eadem meridiano est tempore & vespertino; secundo lucem, quæ anima ejus est quodammodo. Poeta noster in ea sententia est, quod, sicuti prima sensibilis pulchritudinis pars, formę corporeę a prima parte pulchritudinis intellectualis, formis nempe idealibus, procedit; ita lux sensibilis ab intelligentia fit, in ideas descendente.

VI. VII. VIII.

Corporum pulchritudo primo quidem ex materię corporum dispositione est & quantitate absolvitur, proportionis, atque distantiæ partium, si rationem habeas: qualitate, ex parte figuræ atque coloris. Secundo, ex certa quadam qualitate existit, quam nulla melius quam *Venustatis* voce expresseris, quæ in omnibus pulchris relucet. Atque ea proprie *Venus* est, & pulchritudo, quæ amoris flammas in mortalium accendere pectoribus solet. Illi enim qui a corporis dipositione, figura, & colore partium hoc putant esse, eos facile est confutare experientia. Videmus haut paucos, nulla corporis parte forma laborantes, hac ipsa tamen gratia destitutos & venustate. Alios forma non adeo egregia maxime tamen venustos. Eo spectat Catulli istud;

Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,
Recta est. Hac ego sic singula confiteor.
Totum illud, formosa, nego. Nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Qualitatis, quantitatis & figuræ ipsi concessa perfectione, formosam tamen esse negat, quod venustate illa careat. Hæc animæ erit igitur, quæ, si perfecta sit, lucidaque, in ipsum corpus quoq; suæ quosdam lucis radios transfundit. Moses a commerciis cum Deo, quem in monte viderat, reversus, tanto fulgore coruscam faciem prætulit, ut, nisi velatam, intueri populus hautquaquam valeret. Et de Plotino relatum Porphyrio est, in eius obtutu, postquam ad divinam contemplationem elevatus fuisset, mirum fulgorem se prodidisse. Imo & ipse docet Plotinus, pulchrum hominem malum nunquam fuisse, certumque perfectionis in anima argumentum istam esse venustatem. Sic & Pareomiographus sapientiam in facie sapientis ait refulgere. Proverb. XVII, 24.

A pulchritudine materiali ad primum pulchritudinis fontem sex gradibus ascenditur, animo nempe oculorum ministerio pulchritudo singularis alicuius personæ sistitur, ea ducitur ille, ea delectatur, atque hucusque in primo atque infimo gradu, materiæ limites non egressus, subsistit. 2. Imaginatione sua acceptam emendat imaginem, magis eandem perficiens, dum ad spiritualem magis provehit naturam, atque a materia separans, ut propius ad idealem pulchritudinem accedat, efficit. 3. Intellectus agentis lumine formam illam a singularitate abstrahens, universam corporeæ pulchritudinis naturam in se ipsa considerat: Atque illa supremus est gradus, quem cōscendere animus potest dum sensuum adhuc ministerio utitur. 4. dum porro operationem suam expen-

expedit ipsa, pulchritudinis scilicet huius universalis cognitionem, atque rerum materialium nullam universalem esse considerans, sed singulares omnes; universalitatem eam non a re, quæ sensibus obversatur, sed intrinseca potentia esse concludit, hoc modo ratiocinata: Si in obscuro materialium phantasmatum speculo lucis meæ virtute hæc sese sistit pulchritudo; necesse est, ut si in lucidissimo substantiæ meæ, ab istis nebulis perpurgatæ, spectetur, maiore claritate refulgeat. Atque ita in seipsum conversus, animus idealis pulchritudinis imaginem invenit, ab intellectu secum communicatam, quæ cœlestis amoris est incitamentum. Ab ista idea, quam in seipso intuetur, ad Veneris cœlestis adscendit sedem, qua illa propria sua forma considit: quæ, ut est absolutæ pulchritudinis, cum comprehendi non posst a particulari intellectu quocunque, quantum in se est, cum primo se coniungere intellectu laborat, qui creaturarum cum sit nobilissima, commune est idealis pulchritudinis receptaculum. Hæc assecutus animus, itinere suo absoluto, conquiescit. Omnes vero gradus isti VI. VII. & VIII. huius carminis intervallo continentur.

Dei nutu formata potenti)

Statuunt Platonici animarum alias *Saturniæ* esse indolis, alias *Jovialis*, alias *alterius Planetæ* naturam referre, unam animam plus natura sua cognationis cum anima cœli *Saturnii* habere existimantes, quam cum illa, quæ *Iovis* animat cœlum, & vice versa. Cuius quidem rei intrinseca causa allegari nulla potest, extrinseca Deus est, qui, ut dictum in Timæo Platoni, *disseminat animas in luna alias, alias in reliquis Planetis atque stellis, temporum instrumentis.*

Sunt, qui putent, rationalem animam ex sidere suo, cum vehiculo suo cœlesti, delapsam ipsam corpus sibi formare, cui isthoc medio unitur. Quibus fundamentis nixus Poeta noster, statuit, infusam esse in animæ vehiculum, a sidere eius, virtutem formatricem singularem, pro ratione sideris diversam. Hinc *Saturninum* quid tueri alium, alium aliquid *Ioviale*, obtutu vero eorum animorum sese indolem prodere.

At quoniam materia non semper obsequitur animi impressionibus, hinc fieri amat, ut animæ indoles non semper æque exacte in facie se prodat. Inde est quod facie dissimiles haut raro existant, ingenio licet simillimi, materia nempe in uno minus disposita ad recipiendam figuram illam, quam in altero. Quodque in uno adeo ad amussim factum est, in altero imperfectũ relinquitur. Est quoque ea autoris nostri sententia, quod duorum corporum figura, ab eodem derivata sidere, ista cognatione sua amorem producere soleat.

Suprema sede relicta
Quam datur admissis soli conscendere bigis)

Tropicum Cancri intelligit, per quem, ex mente Platonicorum, *descensus* animis datur, quemadmodum *ascensus* per *Capricornum* patet iter. *Cancer* Lunæ domus est, quæ vitalibus partibus præest, *Capricornus* Saturni est, contemplationi qui præsidet.

Dum dulci se pectus pascit amore

In simul

Insimul & pasci patitur se errore jucundo)

Plerumque saltem *amati* majorem, quam est, pulchritudinem esse, *amantes* credunt, eam enim in imagine animo expressam considerant, tanto pulcriorem, quo magis a materia sejungunt, quæ fons est deformitatis. Præterea speciei illi expressæ vel ideo magis favet animus, quod proprius illius ea sit fœtus, imaginatione productus.

Sole omne accenditur uno
Per speculum triplex dignato mittere vultus)

Eadem lux a Deo dimanans & angelicam naturam, & rationalem, & sensibilem hunc mundum illustrat.

Hinc altera cordis,
Hæc spolia ecce sibi rapiens aptare ministra
Gestit

Facultatem imaginatricem intelligit.

Cordi transmittier

Cor & pectus *animam* hoc loco significant, quoniam pręcipua ista sede gaudet, vitæ fonte atque caloris.

---- nova forma refulget,
Obfuscata tamen ---.

Formam aliam ei induit facultas imaginatrix, qua a materiæ deformitate purgatur, ad perfectam tamen immaterialitatem non adducitur, sine qua vera pulchritudo penitus exprimi nequit.

SPEUSIPPUS.

CAP. I.

Vita ejus.

SPEUSIPPUS Atheniensis, pago Myrrhinusius, Pandioniæ tribus, patrem *Eurymedontem* habuit, matrem Platonis sororem, cui nomen *Potones*. (Laert. l. IV. 1.)

Domesticis Platonis auunculi sui, instructus est documentis, qui, quod dicere ipse solebat, Speusippi vitam propriæ vitæ reformavit exemplo. (Apulei. de dogm. Plat. init.)

Erant autem Platoni *agnata* quatuor, neptum suarum filiæ. Earum natu maximam Speusippo junxit, dote exigua, XXX. minarum, quas a Dionysio acceperat. Ei summæ, lætus oblata occasione, talentum Chio addidit, quod tamen accipere diu Speusippus noluit, donec postremo importunis illius precibus cederet, non pecuniam, sed humanitatem suam spectandam esse dicentis, nec aspernanda esse talia dona, quæ augeant honorem; aliam enim ceterorum, quæ honestati officiant, esse rationem. Voluntatem suam saltem laudandam esse, licet pecuniam ipsam cum maxime aspernetur Speusippus. Reliquæ istarum virginum Atheniensium opulentissimis nupserunt, solo paupere Speusippo, qui meliore fortuna magis, quam alius quicunque, dignus existeret. His argumentis inductus, Chionis donum accepit Speusippus. Eaque de re mirum sibi Speusippus gratulatur, quod eam arripere occasionem non prætermiserit lætus, cui similis omni vita sua ei se oblatura forsan haut amplius esset. (Plut. de adulat. & amic. dis. fer. p. 71. E.) (Chion Ep. III. Ed. Cui. ac.)

Dionis, quamdiu Athenis vixit, summa familiaritate est usus, neque alius ex Platonis discipulis quisquam magis ei fuit conjunctus. Factum id Platonis consilio, quod Dionis rigorem placidis moribus sodalis, qualis Speusippus erat, mitiga- (Plut. Vita Dion. p. 964.)

mitigari cuperet, & quod modum eum lætitiæ tenere, temporisque, & loci, observare nosset momenta: unde a Timone quoque, in Sillis, *jocis jucundi* nomen reportavit.

Fuit & Platonis, ultimo ejus in Siciliam itinere, quod importunis Dionysii precibus victus susceperat, comes. Dumque Syracusis agerent, familiarius quidem cum ejus oppidi civibus quam Plato Speusippus versabatur, magisque ad eorum sese insinuare noverat animos. Atque illi quidem primo, quod sentirent, eo præsente dicere veriti, quem ex Dionysii delatoribus crederent unum, temporis tamen successu summa ejus fiducia Dionem per ipsum orabant, ut omissa classis, equorum, militum cura, id tantum ageret, ut navem, qua in Siciliam deveheretur, compararet. Nomine enim ejus solo, auspiciisque, adversus Tyrannum opus Siculi habebant.

Redditus Athenis Speusippus, indicendi Dionysio belli autor extitit Dioni, ut Tyranni jugo tandem liberaretur Sicilia, quæ maxima eum sit exceptura lætitia. Cujus ergo monitis ita accensus est Dion, ut militem scribere occiperet clanculum, philosophis interea nihil non adjumentorum illi afferentibus. In Siciliam rediens, suburbanum, quod comparaverat ex quo Athenas fuerat delatus, Speusippo dono dedit.

CAP. II.

Philosophiam professus ut fuerit.

Laert. IV, 1.] PLatone CVIIIæ Olympiadis anno primo vita functo, Archonte Theophilo, Speusippus scholæ in Academia cœpit præesse, doctrinam quoque Platonis secutus.

Primus vero in (*a*) mathematicis * disciplinis quid esset commune investigavit, easque sibi invicem junxit & fœderavit, quod ceteris scientiis jam ante eum officium Plato præstiterat.

a IV, 2.
* μαθήματα ejus habet quod scientias & artes in genere notare poterat.

Primus item quæ ab Isocrate dicebantur arcana edidit, ut relatum Cæneo, quæ suspicio est hæc esse ipsa, quæ Isocratis μυροθήκιον Ciceroni sunt appellata.

Cic. ad Attic 2.1

Mentem (*c*) sive cum bono, sive cum uno, eandem esse negabat, quam naturæ esse peculiaris, sibique propriæ, statuebat.

c Stob. Ecl. Phys I, 1.

Gratiarum signa in schola, quam Plato exstruxerat collocavit, a discipulis vero didactrum exegit, secus quam Plato solebat. Discipulas *Lastheniam* Mantineam, & Phliasiam *Axiotheam*, perinde ac Plato, habuit.

Laert. IV, n. 2.

Octo annis scholæ ubi præfuisset, cum paralysi solutum totum corpus haberet, ad *Xenocratem* misit, quem ut scholæ onus susciperet exoravit.

Laert. IV, 3.

CAP. III.

Scripta ejus.

MUlta de rebus philosophicis scripsit, sive *Commentaria*, sive *dialogos*, in quibus fuere *Aristippus Cyrenaicus*, *de divitiis I*, *de voluptate I*, *de justitia I*, *de philosophia I*, *Ad Cephalum I*, *Cephalus*, *Clinomachus S. Lysias I*, *civis I*, *de anima I*, *Commentariorum ad Gryllum I*, *Aristippus I*, *artium reprehensio I*, *Commentariorum dialogi*, *artificiale I*, *Dialogi earum rerum quæ sunt in quaque re similes X*, *Divisiones & argumenta ad similia*, *de generibus & speciebus exemplorum*,

Laert. I. c.

rum,

rum, *ad Amartyrum*, *Platonis laudes*, *Epistola*, *ad Dionem*, *Dionysium*, *Philippum*, *de legis sanctione*, *Mathematicus*, *Mandrobulus*, *Lysias*, *Definitiones*, *quæ sola ex omnibus ejus Scriptis supersunt: Commentariorum ordines*, *Versus*.*

Ejus libros Aristotelem tribus talentis emisse Phavorinus in secundo commentariorum est autor.

CAP. IV.

Mors Speusippi.

Laert. IV. 3. INfirmissima, teste Timotheo, corporis valetudine fuit, ita ut vehiculo eum in Academia ferri necesse esset. Eo vero modo vectus Diogenem aliquando obvium habuit, quem, cum *salvere* jussisset, *tu vero*, ille respondit, *minime salve*, *quem talis cum sis*, *vivere haut pudet*. Postremo voluntariam mortem mœrore sibi conscivit, ut Laertio affirmatum, qui tamen eum pediculari morbo, juxta alios, esse extinctum, ex Plutarcho narrat.

Laert. IV. 1. Platonem autem, doctrina licet imitaretur, moriens tamen ei dissimillimus extitit, namque & iracundus erat, & voluptatibus deditus. Catulum eum præ animi impotentitia in puteum ajunt jecisse, & voluptatibus delinitum in Macedoniam ad Cassandri nuptias profectum esse. Lucro adeo intentus fuit, ut poemata quædam sua parum probæ notæ mercede publice cantillaret. De quibus vitiis ad eum scribens Dionysius ita ei illudit: „Ex Arcade discipula tua „philosophiam discere possumus. „Et Plato quidem gratis discipu„los suos docebat, tu vero tributa „exigis, accipisque a volentibus nolentibus.„ Eandem Epistolam allegavit Athenæus, avaritiam & voluptatem ei improperans, pecuniasque a variis corrasas, improbum item in *Lasthenium* amorem, Sardoam meretricem, quibus omnibus ista subjungit: „Quid est „quod meam accuses avaritiam? „qui nullam turpis lucri occasio„nem prætermittas ipse. Nonne „extinctis Hermiæ debitis, ejus „nomine stipem ab amicis ejus cor„rogasti, in tuos convertendam „usus?„

(haec apud Laertium non occurrunt.) (Athen. L. VII. p. 279. L. XII. p. 546.)

Ad divitem, feminæ deformis amantem, *quid tibi*, inquit, *isthac est opus? Ego tibi decem talentis longe magis formosam inveniam*. Laert. IV. 4.

Ad hunc Simonides scripsit historias, in quibus Dionis ac Dionis gesta signaverat, fuitque præter eum alter *Speusippus*, Medicus Alexandrinus. Laert. IV. 5.

XENOCRATES.

CAP. I.

Patria, *parentes*, *Platonis contubernium*.

XENOCRATES, Chalcedona patriam habuit, sive Agathonis, (*a*) sive Agathenoris (*b*) filius. Natum esse Olympiadis XCV anno quarto, ex eo colligas licet, quod XCII annos vivendo absolvit, eo non dubie mortuus anno, quo *Polemon* ei in schola successit, qui CXVIæ Olympiadis primus extitit. Hebes ingenio, ac tardus fuit, adeo, ut, cum illum Aristoteli Plato conferret, *alterum fræno*, *alterum*

(a Suid. Ξενοκρ. b Laert. IV. 6.)

---

* Non videtur carmina intelligere Laertius sed more veterum στίχους librorum hucusque recensitorum numerat: nam additur numerus 43457.

alterum diceret egere calcaribus: item; *cui equo quem ego asinum iungo*! Severæ frontis & subtristi facie fuit, quæ causa extitit, ut identidem ei Plato inculcaret, *Gratiis sacra ab eo esse facienda*: quo solebant antiquitus loquendi genere ingenii tristioris homines excitare.

Æliani V. H. XIV. 9. Severius aliquando a Platone, propter mores parum urbanos, increpatus, æquissimo id animo tulit, imo & illi, a quo, ut acrius Platoni responderet, instigabatur, *hoc*, dixit *conducit mihi, magnoque meo cedit emolumento*.

Laert. IV, 2. Platoni in Siculo itinere se iunxerat comitem, ubi, dum compotationi solenni cum Dionysio vacaret, corona aurea donatus, quæ ex floribus textæ locum sustineret, quales convivis inter compotandum offerri moris erat, eam discedens Mercurii imposuit statuali, ubi ex flore etiam textas coronas ponere solebant.

Laert. IV, 11. Dionysio, gravius succensente Platoni, atque mox adfuturum dicente, qui caput ei tollat, *id quidem fieri non posse*, respondit, tum forte præsens Xenocrates, *nisi suum auferatur prius*.

Var. Hist. III, 19. Refert Ælianus, Xenocrate in patriam profecto, ad Platonem Aristotelem cum suis discipulis venisse. Adversa autem tum quidem detentum valetudine Speusippum, ad Platonem venire haut potuisse. Platonem autem, octogenarium senem, (quo ipso CVIIæ Olymp. anno quarto qui proxime mortem Platonis præcessit, hæc gesta esse colligitur) memoria jam destitutum, sophisticis quæstiunculis aggressus est Aristoteles, quæ causa fuit, ob quam publicis diatribis omissis Plato ad domum privatam cum suis familiaribus concessit. Trium autem mensium exacto spatio, cum ex itinere Xenocrates rediisset, Aristotelem invenit deambulantem, quo loco Platonem reliquerat. Videns autem eum cum familiaribus suis non ad Platonem commeare, sed alio in civitatem ex auditorio vestigia ferre, quendam in peripato, Plato ubinam esset? interrogavit, ægrotare eum arbitratus. Cui alter, non male quidem habere Platonem respondit, sed molestias ei facessivisse Aristotelem, eoque effecisse, ut, Peripato relicto, domi in horto philosophiam tractet. Quibus auditis Xenocrates derepente ad Platonem advolavit, eumque coram præsentibus disserentem invenit, maximæ existimationis viris. Is, cum loquendi finem fecisset, perhumaniter Xenocratem pro more salutavit, vicissimque eum Xenocrates. Dimissa concione, ne verbum quidem ea de re ad Platonem locutus, amicis congregatis, Speusippum ubi severe increpasset, quod schola Aristoteli concessisset, factione contra Aristotelem excitata, summis viribus eum, donec istum scholæ restituisset, impugnavit. Ita vero Ælianus quidem, fassus tamen fama sola hæc omnia niti, quæ parte non una vitæ Aristotelis repugnat historiæ, testimoniis longe solidioribus nixæ.

CAP. II.

Philosophiam professus ut fuerit.

Laert. IV, 3. SCholæ octennio Speusippus ubi præfuisset integro, neque ei se-parem

parem amplius oneri esse sentiret, Xenocrati accersito illud imposuit, qui etiam illud suscepit anno II Olymp. CX, Lysimachide archonte, multum ringentibus Peripateticis. Sane enim Aristoteles, quando ex Macedonia redux, Xenocratem in Academia invenit, scholam ei in Lyceo opposuit, dicens:

Laert. IV, 14.

Laert. V. 3.

Silere turpe me, & Xenocratem loqui

Sunt, qui referant (*a*) Alexandrum, Aristoteli infensum, ut ægre ei faceret, donum ad Xenocratem misisse L talentorum, (*b*) ex qua pecunia triginta minas Atticas tantum ille admisit, (*c*) reliqua pecunia ad Regem remissa, illi enim opus esse pluribus dicebat, qui plures nutriret. Stobæo (*d*) res ita relata: eum, postquam more solito cum regio locutus nuntius esset, postremo dixisse: *ito, & Alexandro refer, me quidem illa, quam sequor vivendi ratione, ne omni quidem vita mea L talentis opus habiturum*. Pecunia illa cum Alexandro redderetur, an amici Xenocrati nulli essent, interrogavit, suis enim quidem amicis ne Darii quidem opes sufficere ajebat.

a Laert. V. 11.

b Plut. Alexandro. Cic. Tusc. V. 22. XXX talenta Suidas & Stobæus habent.

d Laert. IV. 8.

e Serm. V. p. 74.

Anton. & Max. serm. LVIII. p. 95. Stobæus Ecl. Phys. I. 3.

Monadem atque *binarium* Deos esse ajebat; primum marem esse atque parentem, cœlique tenere imperium, quem & Iovem appellabat, imparem item, & mentem. Alterum femininum, & matrem, omnium, quæ sub cœlis sunt, præsidem. Hunc mentem appellabat universi. Sed & *cœlum* divinæ esse naturæ affirmat, *stellasque* ignitas Deos olympios dicit, *subter lunam* Deos invisibiles esse censet, qui per materiæ permeent elementa, quorum ille, qui per aerem commeet, *Juno* dicatur, qui aquam animat *Neptunum*, *Cererem*, qui terram occupet. Atque id ab eo Stoici, ut a Platone ipse, deinde acceperunt.

Scholæ præfuit annis XXV, usque ad annum I. Olympiadis CVIIæ, quo ipsi Polemo, ejus discipulus, successit. Omni eo tempore in Academia vitam egit, a turba sejunctam quam maxime, ut, quoties cœtus ingrederetur hominum, ad videndum eum concursus fieret.

Laert. IV. 14.

CAP. III.

Virtutes & Apophthegmata ejus.

INter ceteras virtutes notabilis continentia ejus extitit, cujus egregium habemus specimen. Phryne, nobile Athenis scortum, juxta eum, vino gravem, in pervigilio accubuit, pignore cum quibusdam juvenibus posito, an temperantiam ejus corrumpere posset. Interrogantibus eam & deridentibus proximo mane adolescentibus, de homine se cum iis, non de statua, pignus posuisse respondit. Imo eum continentiæ studio secare & urere verenda passum identidem esse, sunt qui narrent.

Laert. IV. 7. Val. Maxim. IV. 3. extern. 3.

Sapientia pariter & sanctitate clarus fuit apud Athenienses. Cum testimonium enim dicere coactus, ut, more civitatis, juraret omnia se vere retulisse, adigeretur, universi judices consurrexerunt, proclamatumque ne jusjurandum diceret. Quodque sibimet ipsis postea dicendæ sententiæ loco remissuri non erant, sinceritati ejus concedendum existimarunt.

Val. Max. II. 10. C. & Att. I. 16.

Ad Philippum, una cum aliis, missus, ceteris donis emollitis, nec raro in privatum cum ipso colloquium venientibus, neutrum

Laert. IV. 8.

Xeno-

Xenocrates fecit, eoque ab eo nunquam admittebatur. Reversi igitur Athenas legati, Xenocratem, comitem, nullius usus sibi fuisse conquesti sunt. Jamque in eo erant ut mulctam ei imperarent Athenienses. At edocti ab eo, maximam jam curam adhibendam, ne aliquid detrimenti publica res pateretur, corruptis Philippi muneribus reliquis legatis, quæ ipse repudiaverit quidem, eo majore ab ipsis honore affectus est. Dictumque postea de eo Philippo, ex omnibus qui ad sese unquam venissent, solum eum fuisse, qui muneribus vinci haut potuerit.

Lamiaci tempore belli, quod circa secundum annum CIV Olympiadis incidit, ad Antipatrum legatione functus, ut, qui ex Atheniensibus capti fuerant, redderentur; ad cœnam ab eo invitatus, hisce Homeri versibus respondit:

Quis cupiat, Circe, prudens, vel sanior, unquam
Sustineat bibere, atque cibum gustare, priusquam
Solvantur socii, mihi vel reddantur ad unum.

Qua applicandi versus istos dexteritate tantopere est delectatus Antipater, ut statim captivos libertatem jusserit recuperare.

Ælian. XXX, 3. Clementia, Æliano teste, non homines tantum, sed bruta etiam complexus haut raro animantia fuit. Sic enim aliquando passerem, qui, accipitrem imminentem fugiens, in sinum ejus se receperat, magna voluptate, donec abiisset hostis ejus, occultavit. Eum que, ubi nihil ei metuendum esse amplius judicasset, sinu diducto dimisit, *supplicem sese haut prodidisse*, dicens:

Laert. IV. 10. Cum a Dione rideretur, *non tibi*, inquit, *respondebo equidem, nam neque tragœdia comœdiam, cum ab ea lacessitur, responsione dignatur.*

Id. ib. Ad eum qui neque Musica, neque Geometria, neque astronomia instructus, ad ejus admitti disciplinam cupiebat, *abi*, inquit, *ansis enim, & adminiculis philosophiæ cares*. Alii dixisse ferunt, *apud me vellus non mollitur*.

Id. IV. 11. Antipatro, Athenas adventanti, & salutanti humaniter, antea non respondisse fertur, quam orationem absolvisset.

Id. ib. Stob. S. XXIII. p. 214. Gloriæ & fastus inprimis contemtor extitit, & quæ parte diei quavis agenda essent, diligenter animo proponebat, ejusque partem longe majorem meditationi, partem etiam silentio dicabat.

Si quando vini cadum accepisset, in vappam illud convertebatur, antequam totum exhauriret. Sæpe & obsonia jam corrupta altera die projecit, unde proverbium natum, *Xenocratis caseus*, de rebus diu durantibus quæ facile non absumuntur.

Val. Max. VII. 2. Extern. 6. Cum maledico quorundam sermoni summo silentio interesset, uno ex his quærente, cur solus ita linguam suam contineret? *quia dixisse me*, inquit, *aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.*

Tantum tamen virum vendidere Athenienses, quod peregrinitatis solvere tributum non posset. Eum Demetrius Phalereus emit, & utrique parti satisfecit, Atheniensibus tributo, Xenocrati libertate reddita.

CAP.

CAP. IV.

Scripta ejus.

Laert. IV. 11.

SCripta, versus, exhortationes, orationes magna copia scripsit, quorum omnium en tibi titulos. *De natura libri VI. De Sapientia VI. De divitiis I. Arcas I. De infinito I. De puero I. De continentia I. De utili I. De libero I. De morte I. De voluntario I. De amicitia II. De aequitate I. De contrario II. De felicitate II. De scribendo I. De memoria I. De mendacio I. Callicles I. De prudentia II. Oeconomicus I. De fragilitate I. De potestate legis I. De republica I. De sanctitate I. Quod virtus tradi possit I. De eo quod est I. De fato I. De perturbationibus I De vitis I. De concordia I. De discipulis II. De justitia I. De virtute II. De speciebus I. De voluptate II De vita I. De fortitudine I. De uno I. De ideis I. De arte I. De Diis II. De anima II. De scientia I. Civilis I. De scientificis I. De philosophia I De Parmenide I. Archedemus sive De justitia I. De bono I. De his quae circa mentem sunt VIII. Solutio eorum, quae accidunt orationi X. De his quae de physica ratione audiuntur VI. Caput I. De generibus & speciebus I. Pythagorea I. Solutiones II. Divisiones VIII. Positionum libri XXXIII. De ratione differendi libri XIV. Posthac libri XV. & alii XVI. De disciplinis eorum, quae circa dictionem versari possunt libri IX. Eorum quae circa disciplinas versantur libri VI. Eorum, quae circa mentem sunt, alii libri II. De Geometris libri V. Commentariorum I. De numeris I. Numerorum speculatio I. De intervallis I. De his, quae in astrologia versantur, libri VI. Elementa ad Alexandrum, De regno, libri IV. Ad Arybam. Ad Ephaestionem. De geometria II. Versus* * CCCXLV.

CAP. V.

Mors ejus.

MOrtuus est aetatis anno XXCII. noctu, cum in pelvim forte incidisset, quo submersus periit. Contigisse id videtur anno I. Olympiadis CXVI, eo enim anno scholae successor ipsius, *Polemo*, coepit praeesse. Laert. IV. 15.

Ejus nominis VI. extitisse Laertius ait, quorum quinque tamen tantum nominat. *Unum* antiquissimum, Tacticorum autorem *alterum* ejusdem cum philosopho patriae & generis, orationis funebris in Arsinoen autorem. *Porro* philosophum itidem, & Elegiacum poetam non satis probatum, qui forte is ipse est quem nostro Xenocrate continentia nihil fuisse inferiorem Suidas ait Statuarium *inde*, & hymnographum *postremo*, cujus apud Aristoxenum mentio.

POLEMO.

POLEMO Atheniensis, (*a*) pago Oetensi oriundus, qui Oeneae extitit tribus, patrem *Philostratum* (*b*) habuit, qui, Antigono Carystio teste, ex primariis civibus fuit, equosque iugales aluit. (*c*) Ipse Polemo adolescens (*d*) adeo impudicus ac lubricus fuit, ut saepe pe-

a Laert. IV. 16.
b ἡ Οἶηθεν ἱππεὺς ut ait apud Suid.
c Laert. IV, 17.
d Laert. IV. 16.

* De his versibus idem moneo, quod paulo ante vita Speusippi c. 3. praeterea numerus horum ἐπῶν sive versuum plane aliter exprimitur, & ut Delio natatore opus habeat h. m. ἔπη μ', κ' ; μ' δ' ε' λ' θ'.

pecunias in viis & angiportis occuleret, ut paratior esset ad voluptates, ubi occasio ferret, prosequendas, repertique in Academia feruntur juxta columnam quandam tres oboli, ab eo illic ad similes usus repositi. Illa vivendi licentia miris dissensionibus ipsius uxorisve ejus animos distraxit, quæ improbitate ipsius injuriam sibi existimans fieri, dicam ei puerilis Veneris scripsit.

Laert. IV. 17.

Val. Max. VI, 7. Ext. 1.

Perditæ autem adeo cum esset luxuriæ, ut non illecebris tantum, sed ipsa etiam infamia gauderet, e convivio aliquando, non post occasum solis sed post ortum, surgēs, domumque repetens, Xenocratis philosophi apertam ianuam vidit. Vino itaque gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucida veste amictus, refertam turba doctorū hominum scholam ejus intravit. Nec contentus tam deformi introitu consedit etiam, ut clarissimum eloquium & prudentissima præcepta temulentiæ lasciviis eluderet. Orta deinde, ut par erat, omnium indignatione, Xenocrates in eodem habitu vultum continuit, omissisque de quibus disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Cujus gravitate sermonis resipiscere coactus Polemo, primum coronam capite detractam proiecit, paulo post brachium intra pallium reduxit, procedente tempore oris convivalis hilaritatem deposuit, ad ultimum totam luxuriam exuit, uniusque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus Philosophus evasit, ita ab eo tempore studiis addictus, ut, ceteris victis, in schola regenda Xenocrati successerit, quod factum Olympiadis CXVI. anno I.

Laert. IV, 16.

Tantam vero inter ipsa philosophandi initia oris atque habitus constantiam induit, idem ut semper permaneret, neque vocem unquam mutaret, quod Crantorem ipsi conciliavit. Canis rabiosi morsu in sura vulneratus, solus præsentium, quasi nihil ea res ad se pertineret, non expalluit. Tumultuque ob eam in civitate orto, *quid rei esset?* interrogavit. Neque in theatris visus est commoveri. Cumque Nicostratus, Poeta, qui Clytemnestræ habuit cognomen, aliquid eo & Cratete præsente recitaret, multum eo se affici Crates ostendebat, Polemo vero, perinde ac si nihil audivisset, se gessit, talemque omnino se præstitit, qualem in libris de pictura Melanthius pictor repræsentavit: is enim ei quandam in moribus contumaciam atque duritiem tribuit.

Laert. IV, 18.

Dicere autem solebat Polemo, in rebus nos exerceri oportere, non in dialecticis speculationibus, ne exiguam quandam artem sorbētes, atq; meditātes, differendi subtilitate clari, moribus nobis ipsi cōtradicamus.

Urbanitate erat ingenio egregie temperata, idque evitabat, quod in Euripide taxavit Aristophanes, *acutum & splendidum*. Non sedens vero docebat, sed ambulans. Atheniensibus summam ob integritatem inprimis carus fuit. Solitudine delectatus, maximam vitæ partem in hortulo transigebat, secundum quem discipuli, casis extructis, scholæ ipsius proximi habitabant. Xenocratem magno studio est imitatus, qui, teste Aristippo, plurimum eum adamabat, semperque ejus ob oculos integritatem, seve-

ritatem, & gravitatem habuit, atque illis moribus ejus, quasi Doricis modulis, gressuum suorum mensuram adtemperavit.

Athen. L. II. p. 44. Antigonus Carystius eum, a XXX inde ætatis anno, aquam bibere exorsum, ad finem vitæ abstemium mansisse ait.

Stob. Ecl. Phys. l. 3. Mundum Deum esse statuit.

Cic. de Fin. IV. 6. Summum bonum esse ajebat vivere secundum naturam.

Laert. l. la. Sophoclis in primis erat studiosus, maxime vero iis eum mirabatur locis, quibus, ut Comicus ait, canis Molossicus ipsum in poematibus juvasse videbatur, & ubi, juxta Phrynichum, non elatus aut turbidus, sed miris incedit atque placidus. Sophoclem autem Tragicum vocabat Homerum, quemadmodum Homerum Epicum Sophoclem appellabat.

Obiit jam senex ex Phthisi, variis relictis ingenii monimentis, in eum sequens extat Diogenis Laertii epigramma:

Heu bone, si nescis, tegimus Polemona, viator,
Quem morbus heic jam collocavit pessimus.
Imo non Polemona, sed hoc, quod ad astra profectus
Humi reliquit, corpus semiputridum.

Ex discipulis ejus *Crates*, Stoicus *Zeno*, & *Arcesilaus* maxime inclaruerunt.

CRATES.

Laert. IV. 21. CRATES Atheniensis, pago Thriasius, patre natus Antigene est, eum Polemon in charissimis discipulis habuit, cui etiam in schola regenda successit. Ita vero sibi profuere invicem, ut non modo viventes eadem studia sint secuti, verum ad ultimum vitæ halitum similes expresserint mores, post mortem quoque in eodem conditi sepulchro. Unde & Antagoræ laudati carmine fuerunt in hanc sententiam:

Hoc Polemona situm tumulo, sanctumque Cratetem
Qui facis hac, narra, quisquis es hospes, iter.
Mutua quos pariter junxit concordia, quorum (lepos.
Ambrosius sacro fluxit ab ore
Et sua, quæ monitis fuerat contracta severis, (ties.
Vita illustravit secula mundi-

Hinc a Theophrasto discedens Arcesilaus, atque eorum disciplinam amplexus, *Deos esse* dixit, *vel aureæ ætatis saltem reliquias.*

Ingenio erant minime populari, sed, quod de Dionysodoro tibicine dicitur, optime in eos quadrabant, quem aliquando gloriatum ferunt, *neminem unquam canentem se audivisse, ut Ismenium, vel in navi vidisse, vel ad fontis aquas.*

Refert Antigonus, apud Crantorem se fuisse eo tempore, quo maxima ei cum Arcesilao intercessit familiaritas, atque cum Crantore quidem Arcesilaum, Cratetem vero cum Polemone vixisse, juxta cum Lyside, inter cives qui erat adscriptus. Et certe, ut antea dictum, Cratetem Polemo, Crantorem Arcesilaus amabant. Moriens vero Crates libros a se conditos reliquit, ut in tertio Chronicorum Apollodoro relatum, philosophici partim, partim Comici argumenti. Orationes item, populares alias, & alias de legationibus.

Discipulos habuit clarissimos, in quibus *Arcesilaus* fuit, & *Bi-*

on, Borysthenita, qui Theodoriis postea adscriptus fuit.

Ejus vero nomine X extitere, *primus* vetus poeta Comicus, Orator *secundus* ex Isocratis familia, *tertius* Cuniculorum effossor, magni Alexandri castra secutus. *Quartus* Cynicus. Peripateticus *quintus*. *Sextus* Academicus. Inde Grammaticus *septimus*. *Octavus*, qui de Geometria scripsit. *Nonus* Poeta epigrammatum scriptor. *Decimus* Tarsensis, philosophus academicus. Laert. VIII, 24.

CRANTOR.

CRANTOR Solis ortus, amplissima in patria autoritate fuit. Athenas delatus Xenocratem audivit, Polemone condiscipulo usus.

Commentaria reliquit, versibus triginta millibus comprehensa, quorum partem Arcesilao qui tribuant, inveniuntur.

Interrogatus, quamobrem ita se Polemoni addixisset? *quia* respondit, *illum neque intendere unquam, neque remittere vocem plus solito audivi*.

In morbum cum incidisset, ad Æsculapii templum se contulit, atque ibi deambulavit. Eo igitur statim undique discipuli confluxere, non morbi eo illum secessisse, sed scholæ instituendæ causa, existimantes. Inter ceteros Arcesilaus quoque adfuit, quem plurimum amaret licet, Polemoni tamen commendavit, quem & ipse recuperata sanitate audivit, eique tenacissime adhæsit.

Arcesilaum hæredem scripsit, XII. talentorum relicto patrimonio, a quo, ubi sepeliri vellet? interrogatus, respondisse fertur

Terra in latebris condi amicis expedit.

Pœmata scripsisse dicitur, eaque obsignata in patria, templo Minervæ, deposuisse. De eo autem ita Theætetus:

Gratus erat superis, Musis sed gratior ipsis
Crantor, & huic nondum cana senecta aderat.
Exanimem sed, terra, virum tu suscipe sacrum:
Vitam ut mollem istic ipse quietus (agat.

Maximi autem Crantor Homerum fecit & Euripidem, difficillimum esse dicens vernacula lingua tragicam sublimitatem cum affectuum conjungere vehementia, proferebatque identidem istum ex Belerophonte versiculum. (*sumus*.

Humana quantum Dii boni passi

Antagoras Poeta sequentes versus, a Crantore facti qui sint, allegavit;*

In dubio est animus, (dubium nempe est genus illi)
Te diuum in numero primumne Cupido reponam,
Quos erebusque senex, & nox divina, profundis
Oceani (ut memorant) quondam genuere sub undis.
An Veneri, an ventis, an terra te esse creatum
Dicam? namque vagus mala tot mortalibus affers,
Totque bona. Hinc corpus tribuit natura biforme.

Erat in nominibus fingendis felicissimus, *Tragœdum cortice plenam vocem habere* dixit, & *Teophrasti quæstiones ostreis esse conscriptas*.

Librum de luctu edidit, plerisque laudatum, ut Laertius & Cicero perhibent. Laert. II ... Cic. Acad. Qu. IV. 44.

Diem ante quam Polemon, atque

* Ita Laertii verba Stanleius accepit. Viri docti ad Laert. Antagoræ versus esse putant in Crantoris amorem. Vide ipsos.

Crates, obiit, aqua intercute cum laborasset.

ARCESILAUS.

CAP. I.

Laert. IV. 28.

Patria, genus, Praceptores.

ARCESILAUS, Ciceroni *Arcesilas* passim appellatus, Pitanæus, ex Æolide, patrem *Seuthum* habuit, teste Apollodoro, Chronicorum Libro tertio, vel *Scythum*, ut aliis appellatur.

Inter quatuor fratres, quorum duos uterinos habuit, duos eodem patre genitos, minimus natu extitit. Eorum omnium natu maximus Pylades fuit, eorum, qui patrem habeb.nt unum, major Mæreas erat, in cujus tutela Arcesilaus extitit.

Aldobrandin. lectio CXXX.

Natum esse, si ætatem & tempus mortis, quod in LVII ætatis ejus, quartum vero Olympiadis CXXXIV annum incidit, computemus, anno Olympiadis CXVI primo.

Autolycum, priusquam Athenas veniret, Mathematicum audivit, cum quo Sardes est profectus.

Laert. IV. 22.

Inde *Xanthum*, Atheniensem Musicum, *Hipponicum* item Geometram, in quo cum artis illius peritia summa conjuncta erat oscitantia, & ingenii scabitudo, quamobrem, ei oscitanti geometriam in os involasse, per jocum Arcesilaus dicere solebat. Ejusdem, dementia correpti, tantam curam gessit, ut domi suæ haberet, donec penitus restitutus esset sanitati.

Laert. IV. 29.

Fratris suasu Rhetoricis quoque operam impendit, cumque a natura ita esset comparatus, ut cum vehementia quadam diceret, & labore insuper nullo defatigaretur, ad poesin etiam animum adjecit. Extatque ejus in Attalum epigramma in hunc sensum:

Laert. IV. 30.

Sæpe per egregiam memoratur Pergamus armis
Urbem & equis Pisam, & relligione sacram.
At si mortali fas præsagire futurum,
Rursus erit multo commemorata magis.

Aliud ejusdem in Menodorum extat, Eudemi filium:

Sacra quidem procul est Phrygia & procul est Thyatira,
Tua Menodore patria & Cadanade.
Verum aditus tetrum patet undique liber ad orcum,
Quem perspicaci mensus es præsentia.
Eudamus insigni tibi sed dedit arte sepulchrum,
Pauperrimo quidem, verum charissimo.

Quamvis autem oratorem eum fieri cuperet Mæreas, major tamen erat animi ejus ad philosophiam propensio. Quamobrem Theophrasti primum auditor est factus, quo quidem tempore amore ejus captus Crantor, isto Euripidis, in Andromeda, versiculo eum affatus est:

Laert. IV. 28.

O virgo, si te servem, habebis gratias?

Cui ille sequenti versu respondit:

Duc hospes ancillam me, aut, si vis, conjugem.

Ab eo tempore conjunctissimi vixerunt, id quod ægre ferens Theophrastus, juvenem se perdidisse dicebat ingenio maximum, apprehendendi facultate celerrimum.

Pyrrhonem æmulatus, juxta nonnullos, ad Dialecticam studium contulit, & Eretricam Philosophiam: unde dictum de eo Aristoni:

Ante Plato, retro Pyrrho, medius Diodorus.

Et Timoni: Hunc

Hunc sequitur Menedemus, habens sub pectore plumbum,
Certe aut Pyrrhonem carnosum, vel Diodorum.

Et paucis interiectis loquentem eum inducit idem;

Natabo ad Pyrrhonem, obliquumque ad Diodorum.

Laert. IV. 33. Maximus Platonis extitit admirator, cujus & libros ad manum habebat.

CAP. II.

Qua occasione mediam condiderit Academiam.

Laert. IV. 32. MOrtuo Cratete, scholæ præesse cœpit Arcesilaus, quam ipsi Socratides quidam cessit. Quam stationem ubi obtinuisset, formam doctrinæ a Platone & successoribus, hucusque observatam, sequenti mutavit occasione.

Plato cum successoribus ad Arcesilaum usque, prout suo loco monitum, duo rerum genera esse statuebant, quorum *sensibus* unum, alterum *intellectu* percipiatur. Posterius genus *scientiam* fundare, prius *opinionem*. Solamque mentem cernere id, quod semper esset simplex, & uniusmodi, & tale quale esset, hoc est *ideas*. Cic Acad. Qu. I, 8.

Sensus autem omnes hebetes esse tardos, nec percipere ullo modo res eas, quæ subiectæ sensibus viderentur, quæ essent aut ita parvæ, ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles & concitatæ, ut nihil unquam unum esset constans; ne idem quidem, quia continenter laberentur & fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant.

II. Acad. Q. IV, 32. Vehementer tamen errare eos ajebant, qui dicant ab Academia sensus eripi, a quibus nunquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut sonum nullum esse: illud sit disputatum, non inesse his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri & certi notam.

Hinc sensuum usum in rebus gerendis admittebant, & rationes, quas ipsi suppeditassent, illis tamen, tanquam absolute veris, falsique nesciis, fidem negabant. Plutarch. adv. Colot. p. 1122.

Atque ista Academicorum usque ad Polemonem doctrina fuit, quem cum diligenter Arcesilaus & Zeno audivissent, Zenon, qui Arcesilaum ætate anteibat, valdeque subtiliter disserebat, corrigere conatus est disciplinam, non, ut Theophrastus ait, nervos virtutis incidens, sed contra omnia, quæ ad beatam vitam pertinerent, in una virtute ponens, nec quidquam aliud numerans in bonis, idque appellans honestum, quod esset simplex quoddam, & solum, & unum bonum. Cetera autem etsi nec bona nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturæ esse contraria. Iis ipsis alia interiecta & media numerabat. Quæ autem secundum naturam essent, ea sumenda & quadam æstimatione dignanda docebat: contraque contraria: neutra autem in mediis relinquebat: in quibus ponebat nihil esse omnino momenti. Sed quæ essent sumenda, ex iis alia pluris esse æstimanda, alia minoris: quæ pluris, ea præposita appellabat; rejecta autem, quæ minoris. Atque ut hæc non tam rebus, quam vocabulis commutaverat; sic inter recte factum atque peccatum, officium & contra officium, media locabat quædam: recte facta sola in bonis actionibus ponens; prave, id est peccata, in Cic. Ac. Q. I. 10.

ta, in malis. Officia autem & servata, prætermissaque, media putabat, ut dixi. Cumque superiores non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura, aut more perfectas: hic omnès in ratione ponebat: cumque illi ea genera virtutum, quæ supra dixi, seiungi posse arbitrarentur; hic nec id ullo modo fieri posse disse. rebat: nec virtutis usum modo, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse præclarum, nec tamen virtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. Cumque perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque & condolescere, & concupiscere, & extimescere, & efferri lętitia dicerent, sed ea contraherent, in angustumque deducerent: hic omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem. Cumque eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent, & rationis expertes, aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent, ne his quidem assentiebatur. Nam & perturbationes voluntarias esse putabat, opinionisque judicio suscipi, & omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem immoderatam quandam intemperantiam. Hæc fere de moribus.

De naturis autem sic sentiebat, primum, ut in quatuor initiis rerum illis quintam hanc naturam, ex qua superiores sensus, & mentem effici rebantur, non adhiberet. Statuebat enim ignem esse ipsam naturam, quæ quidque gigneret, & mentem, atque sensus. Discrepabat etiam ab iisdem, quod nullo modo arbitrabatur quidquam effici posse ab ea, quæ expers esset corporis. Cujus generis Xenocrates, & superiores etiam, animum esse dixerunt: nec vero, aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, posse esse non corpus. Plurima autem in illa tertia philosophiæ parte mutavit. In qua primum de sensibus ipsis quædam dixit nova, quos esse censuit a quadam quasi impulsione, oblata intrinsecus, quam ille φαντασίαν, nos visum appellemus licet: & teneamus hoc verbum quidem; erit enim utendum in reliquo sermone. Sed ad hæc, quæ visa sunt, & quasi accepta sensibus, assensionem adiungit animorum: quam esse vult in nobis positam & voluntariam. Visis non omnibus adiungebat fidem, sed iis solum, quæ propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quæ viderentur: id autem visum, cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile. *Feretis hæc?* Nos vero, inquit. Quonam enim modo καταληπτὸν diceres? Sed, cum acceptum jam, & approbatum esset, comprehensionem appellabat, similem iis rebus, quæ manu prenderentur: ex quo etiam nomen hoc duxerat, cum eo verbo ante nemo tali in re usus esset: plurimisque idem novis verbis (nova enim dicebat) usus est. Quod autem erat sensu comprehensum, idipsum sensum appellabat, & si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, scientiam: sin aliter, inscientiam nominabat: ex qua existeret etiam opinio, quæ esset imbecilla, & cum falso, incognitoque communis. Sed inter scientiam, & inscientiam, comprehensionem illam, quam dixi, collocabat, eamque neque in rectis, neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat.

dicebat, quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus & vera esse illi, & fidelis videbatur: non quod omnia, quæ essent in re, comprehenderet: sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura quasi normam scientiæ, & principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur; e quibus non principia solum, sed latiores quædam ad rationem inveniendam viæ reperiuntur. Errorem autem, & temeritatem, & ignorantiam, & opinationem, & suspicionem, & uno nomine omnia; quæ essent aliena firmæ, & constantis assensionis, a virtute sapientiaque removebat. Atque in iis fere commutatio constitit omnis, dissensioque Zenonis a superioribus.

Atque ita in haut paucis a Platone cum dissentiret Zeno, exempli causa de animorum immortalitate, & de eo, quod solus hic sit, qui oculis nostris patet mundus, eam doctrinam latius spargi sentiens Arcesilaus, prudenter Academiæ placita dissimulavit, ne Platonis mysteria publicata, & vulgi notitiæ prostituta, vilescerent. Indeque, ut dictum est Augustino, instituit dedocere potius male doctos, quam docere, quos dociles non arbitrabatur.

Cont. Acad. L. I. T. I. c. XVII. p. 219. ed. Antverp. Cic. Ac. Q. II. 12.

Cum Zenone itaque Arcesilaus sibi omne certamen instituit, non pertinacia aut studio vincendi, sed earum rerum obscuritate, quæ ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pæne veteres, qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt; angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, & (ut Democritus) in profundo veritatem esse demersam, opinionibus & institutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circumfusa esse.

Itaque Arcesilaus negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset, (nihil se scire) sic omnia latere censebat in occulto, neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi possit. Quibus de causis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assertione approbare, cohibereque semper, & ab omni lapsu continere temeritatem, quæ tum esset insignis, cum aut falsa aut incognita, res approbaretur. Neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni & perceptioni assertionem approbationemque præcurrere. Ib.

Huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dies jam plerosque deduceret: ut, cum in eadem re paria contrariis momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assertio sustineretur. (a) Atque hoc est, quod Laertius spectat, quando enunciationes (b) eum primum cohibuisse ait propter rationum (c) contrarietates. Primumque in utramque disserere partem aggressum esse. Defendebat item neque sensus fidem mereri, neque rationem, atque eam ob causam Hesiodi dictum laudabat:

Ibid. a ἀντιλέξεις Laert. IV. 28. b ἀποφάσεις, male Stanlei. cum Laertii interpretibus: c propter sermonum contrarietates. Euseb. Pr. ep. XIV, 4.

Ignaras hominum suspendit numina mentes.

Id tamen, si fides Augustino, omne spectabat eo, ut Platonis occultarentur mysteria, cujus interea dogmata Academia retinebat & tuebatur,

L. 3 adv. Acad. l. c.

Plut. Quo. m. disc. adul. ab amic. p. 63 C. M. drachmas misit. Eandem rem Plutarchus narrat, Ctesibio tamen Apellem substituens, Chium pictorem, quem post alia humanitatis argumenta, cum visitasset Arcesilaus ægrotum, ejusque pauperiem animadvertisset, abiens, atque paulo post reversus, secum allatis drachmis XX. lectulo Apellis sese applicuit, atque *nihil hic est*, inquiens, *præter quatuor Empedoclis elementa, ignis, aqua, terra, & æther superiora petens, tu vero minus commode mihi cubare videris*, pulvini submovendi occasionem captavit, qua accepta, pecuniam eidem clanculum subjecit. Quam repertam anus, quæ curam gerebat ægroti, ubi cum admiratione Apelli ostendisset, ille ridens, est istud ex illis, inquit, quæ Arcesilaus committere solet furtis.

Laert. IV, 44 Archiam Arcadem Eumeni, Pergami Regi, commendavit, a quo ad maximos ille provectus honores fuit. Liberalisque ipse, & argenti minime cupidus qui esset, ad mensas argentariorum * sæpe currebat, & præterquam, quod ad Archecratis & Callicratis mensas frequens esset, eorum, qui aurum signatum haberent mensas omnes assidue frequentabat, plurimisque suppeditabat sumtus, & pecunia collatitia eos juvabat. ** Aurea quoque nonnemine pocula ab eo mutuante, quibus amicos exciperet, pauperem eum esse ubi rescivit Arcesilaus, pocula ab eo repetere noluit. Alii rem ita referunt, ea ipsi Arcesilaum eo proposito mutuo dedisse, atque reddere volenti, eo quod pauperem nosset, donavisse.

Prædia autem in Pitane habebat, ex quibus ipsi quantum opus esset Pytades frater suppeditabat. Sed & Eumenes, Philetæri filius, amplissimis eundem identidem donis est prosecutus, quę causa etiam fuit, ut ei soli Regum sese addiceret.

Cum plurimi autem Antigonum sequerentur, illiusque limina salutandi causa assidue tererent, ipse quidem se continebat, in ejus nolens pervenire familiaritatem. Hierocle vero familiarissime utebetur, qui Munychiam præsidio tenebat, & Piræeum, ad eumque festis diebus assidue ventitabat. Cumque ille eum, ut iret Antigonum salutatum, assidue hortaretur, id ille constanter est deprecatus, atque ad limina Antigoni eum comitatus, ibi ei valedixit semper. Post navalem pugnam, a partibus Antigoni infeliciter pugnatam, multis consolatorias ad eum scribentibus epistolas, Arcesilaus silebat. Et legatione pro patria ad Antigonum functus Demetriade, frustra operam perdidit. Laert. IV, 39

Maximam partem in Academia vixit, a publicis remotus negotiis, in Piræeum tamen, ut paulo antea dictum, ventitabat, Hieroclis amore, quod vitio ei haut pauci vertebant.

Victu magnificus erat, Aristippus alter, conviviis indulgens haut raro. Theodotam vero & Philetam, Elie- Laert. IV, 40

* Ad quas accedere disserendi causa viris sapientibus ea ætate usu receptum. Præterea depositam apud eas pecuniam in usus amicorum ab iis reposcere volens Arcesilaus, ad illas frequentior comparuisse videtur.

** Græca Laertii, Stanleio non magis quam Laertii interpretibus intellecta, juxta Salmasium vertimus de fœnore Trapez. p. 547. Stanleius ita: *Liberalis erat & ab avaritia immunis, ut patuit ex argenteis vasis, & commerciis cum Archecrate & Callicrate. Vasa aurea habebat multa, quæ multis ad convivia commodabat.*

Ellenenses meretrices, publice adamabat, quod cum ei improperarent haut pauci, Aristippeis sese sententiis defendit. Erat autem amoribus dedititissimus, & adolescentum commercia ambiebat, quæ causa est, cur Chio Aristoni, secta Stoico, corruptor juvenum audiat, improbus item, & nullius pudoris. Referuntur autem inter delitias eius Demetrius & Leochares: Ipsum vero Demochares, Lachetis filius, & Pythoeles, filius Bugeli, maxime amaverunt.

Multum propterea eum Hieronymi Peripatetici familia vexabat. Is cum amicos ad celebrandum Alexandri, Antigoni filii, natalem invitasset, cui celebrando magnam pecuniæ vim Antigonus quotannis destinabat, disputare inter pocula Arcesilaus noluit, & proponenti quæstionem Aridelo, utque ipse de ea differere velit oranti, *optimam philosophi notam esse* aiebat, *nosse cujusvis rei opportunitatem.*

Laer. IV, 42 A fastu ita erat alienus, ut ipse discipulis suis aliorum magistrorum audiendorum extiterit autor. Cumque adolescens quidam, patria Chius, suæ qui esset disciplinæ, dixisset, magis Hieronymi sibi probari doctrinam, ipse manu apprehensum ad illum deduxit, atque ei, ut pro dignitate sua curam ipsius gereret, commendavit.

Anton. & Max. 1. Cl. P. 167. *Ut vero, ubi medicamentorum & medicorum maxima copia est, ibi plurimos morbos esse contingit*; Sic, *ubi plurima leges ibi summam esse iniquitatem* aiebat.

Stob. S. LXXXI. p. 473. *Dialecticam*, aiebat, *fuge, susque deque confundit omnia. Similes item dialecticos* aiebat *esse ludentibus alea, qui decipiantur quidem, sed non sine delectatione.*

Paupertatem, ut Ithacam, asperam esse aiebat, *sed optimam prolis nutricem, ut qua assuefaciat frugalitati & abstinentia, & omnis virtutis optima sit palæstra.* Stob. S. XC. II p. 515.

CAP. IV.

Mors ejus.

MOrti proximus Pyladę, fratri, quicquid fuit bonorum testamento legavit, quod in Chium eum primum, inscio Moerea, inde Athenas deduxisset. Testamenti vero tria exempla confecit: unum quod Eretriam ad Amphicritum; alterum quod amicis Atheniensibus: tertium quod Thaumasiæ mitteret, proximo agnato suo, ut apud se illud asservaret. Cui postremo sequentes litteras junxit: Laer. IV, 43

Arcesilaus Thaumasiæ S.

„ Testamentum meum Diogeni „ ad te perferendum dedi. Quia e„nim valetudine identidem laboro, „ testamenrum conficere placuit, „ ne humani aliquid passus, ex hac „ vita cum aliqua tui injuria disce„dam, quem tanta animi in me esse „ propensione sæpius sui expertus. „ Te igitur, omnium mihi amicissi„mum, illud custod re velim. Di„gnum te ostende mea fiducia, ut „ pateat me stolidum in eligendo „ haut fuisse. „

Mortuus autem in delirio est, postquam vino se largius invitasset, anno ætatis LXXV, qui quartus OlympiadisCXXXIV, extitit, quod ex Lacydæ in schola successione colligitur, quam in istud incidisse tempus est manifestum. Ei vero Athenienses ea magnificentia, qua alii nemini, funus instruxere. Laer. IV, 44

Uxorem domum non duxit, liberos suscepit nullos, Olympiade Laer. Ib.

vero

vero juxta Apollodorum CXX. floruit.

Ibid. Nomine eius tres alii celebrantur, *Primus* veteris Comœdiæ poeta, Elegiacus *alter*, *tertius* statuarius.

LACYDES.

Laer. IV, 59 ARcesilao successit LACYDES, Cyrenæus, patre Alexandro genitus, vir eximiæ gravitatis, qui instituti sui haut paucos æmulos habuit. Fuit ab adolescentia plurimum bonarum litterarum studiis deditus, pauper quidem sed venustate atque urbanitate summa.

Id. Rei familiaris curam ita gessisse aiunt, ut, si ex penu aliquid depromendum fuisset, fores obsignaret, sigillum autem per foramen in cellam penuariam proiiceret, ne quis illud sibi imprudenti auferret. Quod observantes servi eius, frequenter illud tollebant, foribusque apertis, quicquid visum esset auferebant, sigillum vero in cellam rursus coniiciebant, ita ut nunquam illos ipse deprehenderet.

ap. Euseb Præp. XIV, 7. At, quod maxime narratu jucundum, ea re, Numenio referente, ad *mediæ Academiæ* sententiam, quod sensu nihil assequi liceat, adductus fuit. Ita enim argumentabatur: *Quomodo certo sensus quippiam comprehendere posse existimem, qui toties his meis sensibus deceptum me norim? Domo enim si quando egredior, oculis meis videre me puto ea in cella mea relinqui, quorum rediens invenio nihil, quod fieri haut posset, nisi fallerent sensus, atque incertitudine laborarent.*

Laer. IV, 60 Arcesilao defuncto scholæ indeptus magisterium, anno quarto Olympiadis CXXXIV. in Academiæ docere cœpit hortis, quos Attalus Rex instruxerat, qui *Lacydeani* inde ab eo sunt appellati. Novæ eum Academiæ autorem Laertius facit, quem Suidas secutus fuit, notabili errore. Muneri per annos præfuit XXVI post quorum decursum eo se abdicavit, vivusque discipulis suis, Telecli & Evandro, Phocensibus, eo cessit. Quod factum Olympiadis CXLI anno II.

Eum, cum ad se Attalus accerseret, *imagines Regum procul esse intuendas* dixisse fertur.

Jam senex, Geometricis studiis cum animum applicuisset, eumque interrogasset nonnemo: *Jam ne vero demum est tempus?* respondit: *an ne jam vero demum quidem?*

Relatum est Athenæo, Lacydem atque Timonem, philosophos, ab amicorum nonnemine invitatos, ut biduo secum essent, largius, ut ceteris placerent convivis, bibisse. Tum vero Lacydem, cum in cerebrum ivisset vinum, discessisse, Timonemque etiam se clam subducere animadvertentem Homericum istud protulisse: Athen. L. X p. 435.

Præclarum facinus! cæsum sic Hectora vici, Il. X, v. 393

Cumque proxima die eodem loco in Timonem iterum incidisset, eumque uno haustu siccando poculo imparem vidisset; ut illud iterata vice ori vidit admovere, alio versu Homerico in eum lusit.

Quam miseri nostris opponunt viribus arma! Il. Z, v. 127

Sed & Ælianus duos philosophos istos potentissimis accenset potatoribus, neque immerito forsan, vini enim excessu in paralysin Lacydes incidit, ex quo morbo diem obiit Ælian. V. H. II, 41. Laer. IV, 61

anno

anno II. Olympiadis CXLI.

Philosophicos libros scripsit, & de natura,

Numen. ap. Euseb. Præp. XIV, 7.

In schola successorem, ut dictum, habuit *Evandrum*; *Evander* discipulum suum Egesinum, quem *Hegesilaum* vocat Clemens Alexandrinus, *Pergamo* ortum, *Egesinus* denique *Carneadem*.

L. I. Strom. p. 301. C.

CARNEADES.

CAP. I.

Patria, Parentes, ætas & magistri ejus.

CARNEADES, Egesini successor, Cyrenæus fuit, (*a*) unde Cicero (*b*) acutum dicit fuisse, ut Pœnum. Patrem nactus est Epicomum, vel Philocomum. Apollodorus, Diogeni Laertio (*c*) allegatus, mortuum ait Olympiade CLXII, verum mendo textus laborat, dubium enim nullum est, ad tempus eius natale Appollodori verba referenda esse, quod, eo fundamento nixi, in primum annum Olympiadis CLXII incidisse statuamus licet. Additque Plutarcho (*d*) allegatus Florus, septima die mensis Thargelionis eum in lucem editum fuisse, quo tempore *Carnea* Cyrenæ sint celebrata, a quibus & nomen eum duxisse a vero minime abludere videtur.

a Laert. l. V, 62.
b Cic. Acad. Q. IV, 31. quod pace tamen tanlei dixerim, non ad Carneadem sed Clitomachum illa Ciceronis pertinent.
c Laert. IV, 95
d Plut. Sympos. Q. VI, 2.

Hoc vero tempus cum post constitutam jam Callippicam periodum incidat, juxta Petavii methodum computabimus, quæ licet omni exceptione maior haut sit, Scaligeriana tamen præstat, hanc enim cum Ptolemæi conciliare observationibus haut licet. Est igitur Olympiadis CLXIV. annus IV.

Periodi Julianæ	4585
Epocha Periodi Callippicæ	4383
Qua subducta remanet	202
Subductisque duabus insuper periodis	152
remanent	50

Estque adeo annus, de quo sermo est, tertiæ periodi 50^{mus}. Neomenia Hecatombæonis, Junii d. 26, quæ est 177 dies anni Juliani. Septima Thargelionis, juxta Petavium, eo tempore anni Attici dies 302 extitit.

ad	177
adde	302
Summa	479
deductis	365
remanent	114

Est autem dies 114 anni Juliani Aprilis dies 24, in quem proinde 7ma Thargelionis incidit, ea vero, cum, proleptice loquendo, littera Dominicalis fuerit B, dies solis fuit.

Egesini Academici discipulus fuit, a Stoico vero Diogene dialecticam didicit: unde inter disputandum dicebat haut raro: si recte conclusi teneo, si minus, minam Diogenes reddet: hæc enim merces erat Dialecticorum.

Cic. Acad. Q. IV 6. 30 lib. c. 30.

CAP. II.

Ut novam Academiam condiderit.

EGesino in Schola successit, eumque ab Arcesila quartum Cicero numerat, mediæ autore Academiæ, assensus introducta suspensione, rerum nixa incertitudine. Novam vero Academiam Carneades instituit, eisdem generis suspensionem ample-

Cic. Acad. Q. IV, 6.

amplexam, quam eadem defendebat acrimonia, fundamentis licet mitioribus nixa. Nempe incomprehensibiles res non ideo esse aiebat, quod ita rerum ferret natura, ut Arscesilao visum, nam prout in se res existit, & aliquid de ea affirmatur vel negatur, vel verum est, vel falsum, quousque ad rem ipsam refertur. Verum rebus in seipsis quales sunt permanentibus, phantasma ab iis & imaginem derivamus, quæ maximam partem fallacium nunciorum imitata morem, mentitur atque imponit nobis. Omnibus veris item aliquid falsitatis esse admistum, illamque similem adeo vero esse, ut nulla certa judicandi atque assentiendi suppetant argumenta, unde verum quid sit percipere haut liceat. Nihilominus tamen rigidus erat ἐποχῆς Academicæ defensor, negabatque percipi quippiam posse, ne hanc ipsam quidem propositionem: *nihil est quod percipi valeat*. Eamque in rem ita est argutatus: Duo sunt genera visorum. In uno hæc est divisio: alia visa sunt quæ percipi possint, alia quæ non possint. In altero hæc: Alia visa sunt probabilia, alia non probabilia. Itaque quæ contra sensus, contraque perspicuitatem dicuntur, pertinent ad superiorem divisionem: contra posteriorem nihil dicere oportet. Quare tale visum nullum est ut perceptio consequatur, ut autem probatio, multa. Etenim contra naturam esset, si probabile nihil esset.

Numen. ap. Euseb. Præp. XIV, 8.

Cic. Acad. Q. IV, 31.

Plenius Sextus Empiricus: Carneades, inquit, non solum Stoicis, sed etiam omnibus, qui eum præcesserunt, adversabatur de eo quod judicat. Et primum quidem & commune est ei adversus omnes argumentum, per quod ostendit absolute nihil esse a quo judicetur veritas: non rationem, non sensum, non phantasiam seu visionem, nec ullum aliud ex iis quæ sunt. Hæc enim omnia, ut uno verbo complectamur, nos fallere. Secundum autem, quo ostendit, quod etiamsi sit id quod judicat, non posse id consistere absque affectione, quæ fit ab evidentia. Quoniam enim vi sentiendi differt animal ab inanimatis, omnino & se, & externa, per eum apprehendet. Sensus autem manens immobilis & impatibilis, & immutabilis, nec est sensus, nec aliquid apprehendit. Mutatus autem, & quodammodo affectus ab incursione evidentium, tunc res judicat. In affectione ergo animæ, quæ orietur ex evidentia, quærendum est id quod judicat. Hæc autem affectio debet judicari, cum id appareat, quod ipsam immisit. Quæ quidem affectio non est alia, quam phantasia. Quamobrem dicendum est etiam phantasiam esse quandam in animali affectionem, quæ & se & aliud ostendat: ut cum aliquid adspexerimus, ait Antiochus, visu quodammodo afficimur: nec sic habemus affectum, ut habebamus priusquam adspiceremus. Per eam autem alterationem duo apprehendimus: unum, ipsam alterationem, hoc est phantasiam: secundum autem, id quod indidit alterationem, nempe adspectabile. Et similiter in aliis sensibus. Quo modo ergo lux & seipsam indicat, & omnia, quæ sunt in ipsa: ita etiam phantasia, cum sit dux princeps cogitationis quæ est in animali, debet instar lucis & seipsam ostendere, & indicare evidens

adv. Math. p. 167. sq. ex vers. Herveti.

evidens

evidens illud, quod eam effecit. Sed quoniam non quod vere est semper indicat: sæpe autem fallit & discrepat a rebus, quę eam immiserunt, ut mali nuncii; necessario sequitur, quod non omnis phantasia potest relinquere judicium veritatis, sed ea quæ solum est vera. Rursus, quoniam nulla est adeo vera, ut non possit esse falsa, & in qualibet, quæ videtur esse vera, invenitur aliqua falsa, quæ minime ab ea differt, erit judicandi autoritas in communi phantasia, seu visione, tam veri quam falsi. Communis autem horum phantasia non comprehendit. Si autem non comprehendit, nec erit, quod judicet. Si nulla autem phantasia vim habet judicandi, nec ratio erit id quod judicat: ea enim deducitur a phantasia. Nam primum quidem ei debet apparere id quod judicatur. Nihil autem potest apparere absque sensu experte rationis. Neque sensus igitur, rationis expers, neque ratio est id quod judicat,

Atque hæc quidem, aliis resistens Philosophis, disserebat Carneades, ut ostenderet non esse quod judicat. Rogatus autem ipse quoque, quidnam esset, quod judicaret de vita traducenda, & acquirenda beatitudine, cogebatur per se aliquid de eo decernere, assumens & probabilem phantasiam, & probabilem simul & indivulsam, & discurrentem seu circumeuntem. Quę nam sit autem harum differentia, breviter est ostendendum. Phantasia ergo seu visio, est alicujus phantasia, nempe & eius, ex quo fit, & eius in quo fit. Et ex quo quidem fit, ut externi subiecti sensilis. In quo autem fit, utpote hominis. Quum autem sit eiusmodi, duas habet habitudines: unam quidem, ut ad id, quod phantasia apprehenditur: alteram autem, ut ad id quod visione apprehendit. Et ex habitudine quidem ad id, quod visione apprehenditur, fit vera vel falsa. Et vera quidem, quando consonat cum eo quod phantasia apprehenditur: falsa autem quando dissonat. Ex habitudine ad id, quod apprehendit, alia quidem est, quæ videtur vera, alia vero quę videtur falsa. Ex quibus, quę videtur quidem vera, appellatur emphasis apud Academicos, & probabilitas, & probabilis phantasia. Quæ autem non videtur vera, appellatur apemphasis, & improbabilitas, & non probabilis phantasia. Neque enim quod ex se videtur falsum, neque quod est quidem verum, non autem videtur, a natura habet insitum, ut nobis persuadeat. Ex his autem phantasiis, ea quidem quæ est aperte falsa, & non videtur vera, reprobanda est quidem, neque est id quod judicat, si sit quidem ex eo quod est, ab eo autem discrepet, & ei non congruat: cuiusmodi erat una ex furiis, quæ ab Electra incurrit in Orestem. Eius autem, quæ videtur vera, alia quidem est exilis, ut quæ est in eo, quod minimum abest ut cernatur: aut quod non sit satis spatii: aut propter imbecillitatem visus, qui confuse aliquid accipit, & non expresse. Alia autem est quæ juxta cum eo, quod apparet vera, hoc quoque habet, ut valde videatur vera esse. Ex quibus rursus, quæ est quidem exilis, & soluta, remissaque phantasia, non potest esse id quod judicat.

autem quod aliquando serpentes sint immobiles, hyberno gelu concreti, spiram illam seu involucrum percuteret baculo: & ubi tunc circuitione sic indagasset visum quod incurrebat, assentiretur esse falsum, quod sit serpens corpus illud, quod visione apprehenderat. Et rursus, ut prius dixi, aperte videntes assentimur, quod hoc sit verum, quum prius cogitando percurrerimus, quod sensus habeamus integros: vigilantes item & non in somnis videamus: simul etiam quod adsit aer perspicuus, & proportione conveniens intervallum, & eius quod incurrit immobilitas. Quo fit, ut per hæc sit nobis fide digna phantasia, quum habuerimus satis temporis ad persequendum cogitatione ea, quæ cernuntur in loco. Eadem est etiam ratio de indivulsa phantasia. Eam enim admittunt, cum nihil est quod possit retrahere, ut prius dictum est de Menelao. Huc usque Sextus.

Cic. Acad. Q. IV, 18. 24. 48. Ut percipi vero possit nihil, assensum tamen præbere sapientem permittit etiam ei quod non percipit, hoc est *opinari* eum patitur, ita tamen ut se sciat opinari, nihilque esse quod comprehendi possit & percipi.

Cic. de fin. II, 11. Ibid. c. 13. Acad. Q. IV, 42. Ultimum hominis finem esse aiebat, frui principiis naturalibus: quod non tam ut probaret peculiis, Ciceronis judicio, quam ut Stoicis, quibuscum bellum gerebat, opponeret.

Laer. IV, 62. Stoicorum libros diligentissime evolvit, eoque adversus eos successu disputavit, ut sæpius dixerit: *Nisi Chrysippus fuisset, non essem ego.*

Clitomachus dicere solebat, nunquam se intelligere potuisse, quid Carneadi probaretur: solebat enim modo hanc, modo adversam sententiam tueri, suique ingenii calumnia optimas sæpe, judice Cicerone, sententias deridebat. De Sorite, qui crebriore ipsi fuit in usu, vide Sextum Empiricum. Cic. Acad. Q. IV, 45. Adv. Mathemat. 339. D. 4.

CAP. III.

Qua occasione Romam legationem susceperit.

Athenienfibus ad multam D talentorum a Romanis condemnatis, flagitantibus id cum Oropiis Sicyoniis,* eo quod vastassent Oropum, Bœotiæ civitatem; tres philosophos misere, legatorum munere apud senatum Romanum functuros, ut ex mulcta aliquid remitteretur, quæ inauditis dicta fuerat. Erant illi ex Academia Carneades, Diogenesque ex porticu, & ex peripato Critolaus. De ejus legationis tempore magnus inter autores dissensus est. A. Gellius post bellum Punicum secundum eos Romam ait venisse, & post eorum adventum demum Ennium ait floruisse, quo falli tamen eum merito Dionys. Petavius existimat, cum mortuus Ennius sit anno V. C. 585. Cicero P. Scipione & M. Marcello Coss. h. e. anno V. C. 599. legatos ** istos Romæ fuisse ait. Pausanias eorum adventum ad annum V. C. 603. differt, eumque recte sentire Is. Casaubonus defendit. Plut. Vit. Caton. p. 349. D. Gell. lib. 7. c. 14. Macrob. Saturn. I, 5. Aelian. V. H. III, 17. Acad. Q. IV, 45.

Horum

* Immo a Sicyoniis autoritate Romanorum dicta ca mulcta Atheniensibus, quod graviorem putarent, ad Romanos provocantibus. Pausan. Achaic. c. XI.

** De tempore ejus legationis apud Pausan. nihil invenio. Nec suspicari possum quo loco Casaubonus, id quod Stanleius vult, dixerit.

Macrob. l. 6. Horum Philosophorum seorsim quisque, ostentandi gratia, per celeberrima urbis loca, magno conventu hominum dissertavere. Fuitque, ut relatum, facundia Carneades violenta & rapida, scita & tereti Critolaus, modesta Diogenes & sobria. Et Carneades quidem disputavit de justitia copiose, audiente Galba & Catone Censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputiationem suam postridie contraria disputatione subvertit, & justitiam, quam pridie laudaverat, sustulit, quod ille facere solebat, ut alios, quidlibet asserentes, posset refutare. Eam disputationem, qua justitia refutatur, apud Ciceronem L. Furius recordatur. (Lactant. Instit. V, 14)

Plut. l. c. Factus igitur ad tres illos Philosophos magnus juvenum studiosorum concursus, qui identidem eos audiebant, dictaque plausu prosequebantur. Carneadis vero inprimis mirabantur suavitatem, cuius maxima vis erat, nec minor eius fama quam vis, quæ benevolos undique trahens auditores, venti cuiusdam ad instar totam perstrepebat civitatem. Nempe ubique ferebatur Græcum hominem, admirandi ingenii, omnesque ducentem, sensum juvenibus studium inspiravisse, quod omnes voluptates aliaque oblectamenta in eorum deleverit animis, furore quodam divino ad philosophiam raptorum. Id vero gratissimum nemini Romanorum non extitit, gestientium, a clarissimis viris Græcorum litteris animos filiorum suorum imbui. Solum Catonem primus de admiratione Græcæ eruditionis rumor turbavit, metuentem, ne eo nimium iuvenes animis deflecterent, eloquentiæ gloria gerendis negotiis, & militari disciplinæ, prælata. Cum vero incrementa per urbem philosophorum istorum caperet fama, primæque eorum ad Senatum orationis interpres vir clariss. C. Acilius (quem Cæcilium Gellius & Macrobius appellant) fuisset, qui ipse hoc sibi muneris dari petierat; Cato, jam pene decrepitus, prætextu reperto non incommodo, ut ex urbe ablegarentur philosophi, autor fuit. Atque, in curiam delatus, increpabat eos, penes quos magistratus essent, quod tamdiu Legatos nullo responso dato essent morati, qui, quicquid vellent, ipsis persuadere valerent: Hinc postulabat, ut de re, ob quam missi essent, decerneretur, ut ad suas scholas dimitti iterum possent, Græcorumque instituerent filios, Romana vero iterum iuventus ad patrias leges, magistratusque observandos, sese conferret. Quod quidem Carneadis odio non faciebat, ut tum visum nonnullis, sed ambitiosa Græcæ eruditionis humanitatisque æmulatione.

CAP. IV.

Virtutes & Apophthegmata ejus.

Summa eius industria extitit: *Physicis* tamen non æque ac *Ethicis* studiis sese impendit, quibus tanta diligentia vacabat, ut, comæ unguiumque cura neglecta, squalorem utraque parte contraheret. Ita se mirificum autem, iuxta Valerium Maximum, doctrinæ operibus addixerat, ut, cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur. Et *Melissa*, quam uxoris loco habebat, temperato inter studia non interpellan- (Laert. IV, 62) (Val. Max. VIII, 7, ext. 5)

di, & inediæ succurrẽdi, officio, dexteram suam necessariis usibus aptabat.

Laer. IV, 62. Tantum philosophia valebat, ut oratores quoque, scholis dimissis, ad eum audiendum venirent. Erat autem illi vox plane stentorea, adeo, ut gymnasii princeps ad illum mitteret, monituros, *ne clamaret tantopere*. Cui ille respondens, *da vocis modum*, inquit, *orationem quo metiar*: alter vero sapienter regessit: *modum auditores habeto*.

Laer. IV, 63. Acris erat in reprehensionibus, atque in quæstionibus insuperabilis. Convivia autem, ob eam, quam innuimus, causam, studii nempe assiduitatem, vitabat.

In Mentorem, discipulum suum, qui pellicem eius oblectare cœperat velle, ut Phavorinus refert, in scholam venientem, jocatus est istis veteris Poetæ, ad eum accommodatis:

Tetricus hic quidam versatur homuncio, & idem
Vanus inersque senex, par Mentori membra vocemque,
Exterminari quem schola ex nostra volo.

Cui, statim surgens, Mentor respondit:

Hi dixere quidem, surgant sed protinus illi.

Contra Chrysippum disputaturus elleboro animum detersit, ut ad inventionem valeret, neque corrupti stomachi humores animi vim atque constantiam extinguerent. (*a*)

a Gellius XVII, 15. Plin. XXV, 5. Val. Max. I. c. Petron. Satyr. Tertull. de an. *b* Stob. Ser. LXXXI, p. 473. *c* Plut. de an. Tranq. p. 474. F.

Dialecticam (*b*) *Polypo similem esse* dicebat, *ut ille enim cirros suos auctos devorat, ita Dialecticos, jam peritiores factos, suas quoque opiniones refutare*. Suadebat, (*c*) *fortuna, in summo ejus favore, vicium meminisse, nihil enim esse molestum magis, quam quod inexpectatum eveniat.*

Regum filios, (*d*) *hominumque amplissima fortuna, nihil aliud recte perdiscere* aiebat, *quam equitare*, *quod magistros adulatores, & qui contendere cum iis possent, blande cedentes nanciscantur. Equo contra an Principem gestet, an privatum, an divitem, an pauperem, pensi non habente, sed equitem, frenis tractandis ineptum, nullo habito discrimine, excutiens*.

d Plut. de adul. & amic. discr. p. 50. F.

Exitum ex hac vita moleste admodum tulisse fertur, (*e*) sæpeque dixisse (indignabundum), *eane, qua constituit natura & compegit, eadem & dissolvet*? Haustoque veneno diem obiisse. Antipatrum audiens, ipse quoque, ut contra mortem auderet excitatus, *date & mihi*, inquit, sed interrogatus ab illis, quid vero sibi dari cuperet? *mulsum* respondit.

e Laer. IV, 64.

Lumina eius caliginem occupasse (*f*) inscio ipso aiunt, ita ut lucernam servulum accendere iuberet, quod cum fecisset servulus, jamque adesse lumen dixisset, *tu igitur*, inquit, *legito*.

f Laert. IV, 64. λεγεται ... ψει ... κτες ... τοχυ ... θειμει quod ... dex ... vertet Stanl. ... in esse ... esse factam.

CAP. V.

Mors & scripta ejus.

ANnos XXCV vixisse ait Laertius, (*a*) Cicero XC, Apollodori autem verba, (*b*) quibus mortuus dicitur ann. IV. Olymp. CLXII qui in annum V. C. 626. incidit, facile corruptelæ convincuntur, si maximam circumstantiarum vitæ ipsius partem expendas, atque hanc inprimis, quod Proconsul in Asia (*c*) Antonius, Athenis, ut ipse ait, (*d*) Carneadem Academicum invenit ore patrio Academiæ disputando omnibus adversantem. Fuit

a Laer. IV, 65. Cic. Ac. Q. IV, 6. *b* apud Laert. IV, 65. *c* Ciliciæ substituitur ... da ex Cic. *d* ap. Cic. orat. I. I, c. 18.

autem, quo Proconsul Antonius fuit, Urbis conditæ annus DCLII. Est igitur, ut supra innuebamus, annus ab Apollodoro indicatus Carneadis natalis, a quo inde si pergas numerando, annus ab eo LXXXV. in primum annum Olymp. CLXXXIV incidit, annus vero XC. in annum II. Olympiad. CLXXXV.

I. c. Sub ipsum tempus excessus ejus insigne deliquium passam esse lunam Laertio est annotatum, quod a quibusdam ad jacturam eius morte admissam trahebatur. Atque huic eclipsi tanquam fundamento superstruxisse puto, quæ de tempore mortis Carneadis commentatus est, Petavium, qui eam contigisse docet Athenis, Olympiad. CXLIII, anno I, Maii die II, feria II, H. V, min. 46. Verum, cum in anno sit error admissus, non potuit non in feria quoque & hora peccari. (Doctr. temp.)

Carneades, Cicerone teste, *librum de sustinendis assensionibus** scripsit. (Acad. Qu. 31.) Ad Ariarathem quoque, Cappadociæ Regem *epistolas* exaravit: quod solum eius monimentum Laertii ætate fuit superstes. (Laert. IV, 62.) Omnia alia, nomine eius circumlata, a discipulis ipsius condita esse idem Laertius docet, quos varios habebat, primas inter eos *Clitomacho* tenente.

Duo alii ejus nomine commemorantur, Philosophus *alter*, Anaxagoræ discipulus, cujus mentio apud Suidam: *alter* poeta epigrammaticus, Diogeni Laertio commemoratus.

CLITOMACHUS.

CLITOMACHUS Carthaginiensis fuit, *Diogneti* filius, patria lingua *Asdrubal* dictus (ut iuxta cum Laertio (*a*) affirmat Plutarchus, (*b*) qua etiam apud suos philosophiam docuit.

Quadraginta annos natus (*c*) Athenas se contulit, Carneademque audivit, cui cum valde industriam suam probasset, ab eo in philosophicis studiis est institutus.

Cum eo usque ad senectutem, teste Cicerone, fuit, (*d*) eidemque in schola successit, atque ejus imprimis doctrinam multitudine librorum (*e*) illustravit, quorum ultra quadringentos numeratos esse ferunt, (*f*) quibus industriæ plurimum in Clitomacho fuisse declaratur, ingeniique in eo non minus, quam in Carneade eloquentiæ fuisse (*g*) ostenditur. Versatus autem est in tribus maxime sectis, (*h*) *Academicorum*, *Peripateticorum atque Stoicorum*.

Librorum ejus sequentium superstes memoria est, *Consolatio*, (*i*) quam, eversa Carthagine, misit ad captivos armis Romanis cives suos. *Liber* item *ad C. Lucilium Poetam*, quo assensionis defendit suspensionem,

a Laert. IV, 67.
b de Fortuna Alexandri.
c Laert. l. c.
d Acad. IV, 31. Q.
e Ib. c. 6.
f Laert. l. c.
g Cicer. l. c.
h Laert. l. c.
i Cicer. Tusc. Q. III, 22. Cic. Ac. Q. IV, 32.

* Rursum errat Stanlejus, Ciceronis verba, quæ ad Clitomachum pertinebant, ad Carneadem referens, quem supra quoque erravit errorem cap. I. Qui, ut plene revincatur, en ipsa Ciceronis verba; ita igitur ille, de Carneadis placitis acturus; *Nec vero quidquam ita dicam, ut quisquam id fingi suspicetur, a Clitomacho sumam, qui usque ad senectutem cum Carneade fuit, homo & acutus, ut Pœnus, & valde studiosus ac diligens. Et quatuor ejus libri sunt de sustinendis assensionibus. Hæc autem, quæ jam dicam, sunt sumpta de primo.*

nem, cum scripsisset iisdem de rebus ad *L. Censorinum*, † eum, qui consul cum M. Manilio fuit, scriptumque est ita:

Academicis placet: esse rerum ejusmodi dissimilitudines, ut aliæ probabiles videantur, aliæ contra; id autem non esse satis, cur alia percipi posse dicas, alia non posse: propterea, quod multa falsa probabilia sint: nihil autem falsi perceptum & cognitum possit esse. Itaque ait, vehementer errare eos, qui dicant, ab Academia sensus eripi, a quibus nunquam dictum sit, aut colorem, aut saporem, aut sonum nullum esse. Illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quæ nusquam alibi esset, veri & certi notam. Quę cum exposuisset, adjungit dupliciter dici assensus sustinere sapiĕtem: uno modo, cum hoc intelligatur, omnino eum rei nulli assentiri: altero, cum se a respondendo, ut aut adprobet quid, aut improbet, sustineat, ut neque neget aliquid, neque ajat. Id cum ita sit, alterum placere, ut nunquam assentiatur; alterum tenere, ut sequens probabilitatem, ubicunque hæc aut occurrat, aut deficiat; aut etiam, aut non respondere possit; nec, ut placeat, eum, qui de omnibus rebus contineat se ab adsentiendo, moveri tamen, non agere aliquid, reliquit ejusmodi visa adprobari, quibus ad actionem excitemur: item ea ad quæ interrogati in utramque partem respondere possumus, sequentes tantummodo, quod ita visum sit, tum sine assensu: neque tamen omnia ejusmodi visa approbari, sed ea, quæ nulla re impedirentur.

In doctrina de bono voluptatem cum honestate, quod & Callipho (*a*) fecit, conjunxit.

Rhetoricæ infensissimus extitit hostis, (*b*) quo animo adversus eam Critolaus quoque, Peripateticus, & Charmidas fuere. Et artes quidem eas, juxta hosce, civitates non expellunt, quas sciant vitæ valde utiles esse, quomodo nec oeconomicos expellimus ex ædibus, nec bubulcos a grege: omnes tamen Rhetoricam, tanquam infensissimum hostem ubique persequuntur, & undique eiiciunt.

Dialecticam (*c*) lunæ comparabat, quæ assidue sive crescat, sive decrescat.

Morbo correptus, (*d*) cum in veternum incidisset, atque postremo evigilasset, *non*, inquit, *me quidem vita posthac amplius fallet amor*, atque ita ipse damnatam manum sibi intulit. (*e*)

a Tusc. Q. V, 30. Ubi tamen in Victorii & Lambini editionibus, ac quæ eas sequuntur, *Dinomachus*, pro *Clitomacho* legitus.
b Sextus Emp. adversus Rhetor. p. 66.
c Stob. Serm. LXXX. p. 473.
d Stob. Serm. VII. p. 50.
e Stob. Eclog. Ethic. p. 160.

PHILO.

PHILO, Larissæus fuit, *Clitomachi* per complures annos discipulus. Illum Sextus Empiricus (*a*) quartam constituisse Academiam dicit. A Cicerone (*b*) tamen relatum habemus, negasse eum duas Academias esse, erroremque eorum, qui ita putarunt coarguisse. Eo vivo patrocinium Academiæ non defuit. (*c*) Eum Romani super omnes, teste Plutarcho, (*d*) admirati sunt Clitomachi discipulos, obsermonum excellentiam, morumque suavitatem, illumque Cicero rudimentis doctrinæ vix positis audivit, (*e*) ut ipse quidem agnoscit.

Is, autore Stobæo, (*f*) tum alia dextre tradidit, tum sequentem philosophiæ

a Pyrrh. Hyp. L. I. p. 45.
b Acad. Q. L. 4.
c Cic. Acad. Q. 6.
d Plut. in. Cic.
e de Nat. Deor. L. I. c. 3.
f Stob. [illegible]

† His omnibus adde libros ejus IV. de sustinendis assensionibus ex cap. præc. fin.

sophiæ divisionem. Nempe Philosophum Medico similem esse ajebat. Quemadmodum igitur medici est officium, primum quidem ægroto persuadere, ut curationem admittat; deinde vero adversariorum rationes confutare: sic etiam philosophi, qui utrumque in adhortatione positum habet. Est enim adhortatio ad virtutem incitans oratio, cujus altera pars magnum ipsius usum exponit, altera adversarios vel philosophiam aliquo pacto calumniantes refellit. Secundo porro modo sic instituitur comparatio. Quemadmodum est medici, postquam persuasit admittendam curationem, eam adhibere, partim sublatis morborum causis, partim sanitatis efficientibus substitutis, sic etiam in hac scientia se res habet. Etenim post adhortationem studet curationem adhibere, partim falsas opiniones, quibus animæ judicium inficitur, tollens, partim veras substituens. Secundo igitur de bonis ac malis agitur, propter quæ fuerat instituta adhortatio. Tertio denique modo sic instituitur comparatio. Sicut medicinæ studium omne refertur ad finem, sive sanitatem; sic hujus philosophiæ ad beatitudinem. Conjungitur autem cum tractatu de finibus, alter de vita. Etenim sicut medicinæ non sufficit, sanitatem restituere, nisi etiam præcepta tradat, quibus obsequentes bonam corporis valetudinem conservent. Sic etiam in vita pręceptis quibusdam est opus ad finem conservādum. Verum hic quoque tractatus duplex est, vel privatus, vel communis: quorum ille singulorum res considerat, velut an prudenti sit gerenda res publica, an cum principibus vivendum, an sapienti uxor ducenda; hic omnium, velut quæ sit optima respublica, utrum pro censu magistratus, an pro capite tribuendi sint. Communem sane hunc licet quidem appellare civilem, convenit autem separatim tractare, quamvis in parte ponatur, quoniam latissime patet. Jam si quidem omnes contingeret esse sapientes, pluribus locis non esset opus, quandoquidem subtiliores divisiones de præcedentibus subnascuntur: quoniam vero mediocrium quoque hominum est gerenda cura, qui cum disputationibus gravioribus, vel per temporis penuriam, vel per alia negotia vacarę non possint, magnum ex præceptis usum capiant; non est omittendus præceptorum tractatus, qui de recto singulorum usu breves tradat regulas.

Quantum ad Stoicorum criterium, quod phantasia est comprehendens, res quidem omnes incomprehensibiles esse ajebat, quas tamen in seipsis spectatas comprehendi minime repugnet, Atque ita phantasiam comprehendentem tollebat, a Zenone defensam. Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. l. 2. p. 48.

Minime vitiosum esse putabat connexum, quod incipit a vero, & non desinit in falsum, ut si, dum dies existit, disputans dicam: *Si dies est, ego disputo*. Quod si admittatur triplici modo vera dari axiomata possunt, falsa unico tantum. Verum enim est, si a vero incipiens desinat in verum: v. g. *si dies est lux est*. Si incipiens a falso in falsum desinat. v. g. *Si terra volat, habet pēnas*. Et denique si a falso incipiens desinat in verum: v. g. *si terra volat, terra est*. Falsum vero est, quando incipiens a vero in falsum desinit. v. g. Id. Pyrrh. Hyp. l. 2. p. 5.

Si

